





XV
PRIM
1560
1
7
304











JACOBI PRIMEROSII
Doctoris Medici

DE

FEBRIBVS

LIBRI QUATUOR.

In quibus plurimi veterum, & recentiorum errores declarantur & refelluntur.

Plurima nova & paradoxa continentur.





ROTERODAMI,
Ex officinâ ARNOLDI LEERS.
Anno cIↄ Iↄ c LVIII.

JACOBUS PRIMEROSIUS

LECTORI

S. P.

ABSURDUM forſan tibi videbitur, *Lector*, quod inclinante hoc ſeculo, poſt tot tantoſque ſcriptores auſus ſim etiam aliquid de Medicinâ meditari. Non parvi ſanè momenti eſt doctorum ſubire judicia, præſertim Medicorum, quibus familiaris invidia eſſe creditur, quorum quiſque tantùm ſibi & lucri & laudis detractum putat, quantum alteri acceſſerit. Cenſent plurimi tùm veterùm tùm recentiorum & operâ & diligentiâ, ita conſummatam omnibuſque numeris abſolutam artem fuiſſe, ut inutilis deinceps futurus ſit omnis ſcribendi labor. Vera hæc eſſe quamvis ſciamus omnes & fateamur, nos tamen detinet ſcribendi quoddam cacoœthes, *Scribimus Indocti doctique poëmata paßim*. Propterea in communi errore & epidemio, nec veniam deprecor, nec timeo cenſuram, ſed quia animo meo ità lubitum eſt, ut mihi ipſi morem geram, placet aliorum exemplo ingenii mei vires experiri. Non tibi primum, ſed mihi hoc minutal olim condiebam, cujus te ideo participem nunc eſſe volo, ut rei Me-

dicæ aliquatenus prodesse possim, simulque nominis mei obtrectatores & adversarios, quos habeo sat multos, excitem saltem ad meliora, Cum enim recentium Medicorum, quos mihi legere contigit, nemo ità scripsisset acuratè. Ut solus sufficere posse videretur, ea mihi tunc mens erat, *Oribasii* exemplo, principum Medicorum epitomen concinnare, ut quod habent singuli in unâ quasi tabulâ complecterer, quæ legentibus commentarius, mihi verò exercitii loco foret. Perlectis igitur Græcorum, Latinorum, & Arabum monumentis, advocatis quoque in consilium recentioribus quibusdam, quæcunque ad medendi usum necessaria, firmissimisque rationibus comprobata judicavi, excerpsi primùm & in unum contuli, sic excrevit opus in aliquam molem, in quo singulorum morborum naturam, causas, curationem abundè & clarè exposui, controversa plurima additis novis rationibus composui, prognosin morborum fusiùs quàm hactenùs quispiam explicavi, remediis quamplurimis locupletavi. Improbat commentarium Anatomicum *Galenus* in quo nihil novi continetur, cujus sententiæ immemores quamplurimi quique etiam doctissimi habentur, non sine maximâ laude & utilitate, libros suos ex alienis ad verbum sæpè compilarunt.

runt. Hæc erat ſcribendi ratio veteribus familiaris *Oribaſio, Paulo, Aëtio, Valeſco, Gordonio, Guidoni*, recentiorum quamplurimis, imò fermè nunc omnibus, quam quoque ſi ſecutus forem, magnorum me virorum exemplo tuerer. Sed tamen factum eſt ut plurima à me addita, plurima immutata fuerint. Nihil enim tam exactè elaboratum hactenus legi, quin multa nobis ſeſe obtulerint aut addenda, aut refellenda, aut clarius explicanda, unde quamvis adjuti plurimum fuerimus doctiſſimis recentiorum laboribus, tam multa tamen à nemine, quod ſciam, animadverſa meditatus ſum, aut clarius explicavi, aut etiam emendavi, ut etiamſi plurimi eâdem de re libri ſcripti inveniantur, noſtros tamen non inutiles fore ſperem. Primùm itaque quatuor hoſce de febribus libros offerimus, tanquam ſpecimen reliquorum, in quibus piaculum eſſe non putavi *Galeno*, *Hippocrati*, aliiſque, prout me tempeſtas rapiebat, adverſari, neque mihi illorum manes, quod alii faciunt, propitios velim. Id indigne ferent moroſi quidam; audacius factum & ex juvenili petulantiâ profectum clamabunt alii; ſed ſive placeant, ſive diſpliceant, perinde mihi eſt; Certum tamen eſt atque animo fixum, reliqua eodem filo ad calcem deducere obſtinatè. Nec popularem auram ca-

pto, nec tuum ambio favorem, nec Invidorum, & forſan otioſorum hominum curo maledicta,

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

Vale & ſi lubet fave.

IN-

INDEX CAPITUM

Libri Primi.

V. An

INDEX CAPITUM.

*Quæcunque asterisco * notata Lector reperiet, sciat ea à nobis addita fuisse, reliqua tantùm fusius aut clarius explicata.*

Ja-

JACOBI PRIMIROSII
DE
FEBRIBUS.
LIBER PRIMUS
Quid sit Febris.
Caput I.

1 Medicos hosce tractatus nostros à Febribus exordiri ideo optimum mihi visum est, quòd universi corporis morbus Febris sit, & omnium maximè familiaris, tùm quòd particularium ægritudinum deinceps libris sequentibus explicandarum plurimæ, aut Febres habeant comites & assèclas, aut febrium ipsarum sint symptomata. Imò vulgari Proverbio fertur, neminem absquè febre mori, collapsis etenim viribus, etiam in frigidioribus, chronicisque morbis, & ætate decrepita; febricula quædam ante obitum succendi solet, quæ afflictis & attritis viribus certissimam omninò ruinam portendit. Febri olim veteres Ethnici tanquam Deo sacra faciebant, quod sanè in febribus divinum aliquid & admirandum inesse videatur: Quis enim periodorum statas vices non admiretur, quis ad crisem repentinos motus, & impetus non obstupescat, quis pestilentium febrium & contagii inopinatos, minimè prævisos & lethales insultus, non reformidet & expavescat: Non defuerunt ab *Hippocratis* temporibus ad nostra usque secula præclara ingenia, quæ in harum rerum causis indagandis occuparentur; sed aut absurdas rationes attulerunt, aut rei difficultate territi, cum assequi eam non possent, ad τὸ θεῖον tanquam ad sacram anchoram confugerunt: Nec dignotionis tantùm, & causarum, sed & curationis obscura, nec facilis, nec expedita cognitio est, inde dissensus Medicorum, & controversiæ, quæ vix adhuc plenè compositæ videntur. Sed quid amplius de hujusce operis difficultatibus præfabor, cum in ipso statim limine febris natura & definitio sese offerat, tot labirinthis implicata, *Operis difficultas.*

tot disceptationibus involuta, ut vix inde extricare sese quispiam possit; veteribus quidem Medicis *Hippocrati*, *Galeno*, posterioribusque Græcis satis plana & aperta fuisse videtur. Nec enim *Galenus* alioqui diligentissimus, libris suis de febribus, ullam protulit, nec eam apud
Etymologia febris. *Oribasium*, *Paulum*, *Aëtium* reperire licet. Et revera ipsa nominis notatio, ita clarè istius morbi naturam exprimit, & quasi oculis objicit, ut sola sufficere videatur. Unde enim Latinis febris, Græcis πυρετὸς quam ab igne & fervore nomenclaturam accepit, ὅταν θερμαίνεται πᾶν τὸ σῶμα καλέεται τοῦτο πυρετὸς, inquit *summus præceptor* 1. de morbis; malè tamen, imò tum *peregrinationum* suarum libris, tum reliquis operibus πῦρ
* vocavit, οὕτως ὀνομάζειν εἴωθε τὸν πυρετὸν, ὅταν ᾖ σφοδρότατος ex *Galeno*, quando
1. Epidem. ægro 2. scilicet ad summum ignis fervorem quam proximè accedit: Omnes enim communi notione Febrem norunt esse calorem naturali adversantem, & quando diutius incalescunt, se febricitare putant. Cum igitur febris natura ita ipso nomine cognita sit & comprobata, definitionem ipsius attulisse *Galeno* supervacuum & inutile visum est. Ex reliquis tamen illius operibus elici illa potest, nam *Aphorismor.* lib. 1.
Febris definitio. com. 16. *conversionem esse* ait, *caloris nativi in igneum*, & nono methodi *excessum intemperiei in caloris abundantia*, & de morborum causis 2. *totius animantis immodicum calorem*, aliaque ejusmodi aliis locis protulit. Ex quibus definitionem suam composuisse *Avicennam*, verisimilè est, cujus interpretes postea ex quâdam ingenii lascivia in varias sententias abierunt: Ea autem ejusmodi est, *Febris est calor extraneus, accensus in corde, & ab eo procedens mediante spiritu & sanguine per venas, & arterias in universum corpus, & inflammatur in eo inflammatione qua nocet operationibus naturalibus, non sicut caliditas iræ & laboris cum non ultimatur*, quæ definitio tanquam perfectissima ab omnibus hactenus recepta, à paucissimis improbata fuit. Sed *Averrhoes* febrem calorem compositum esse ex naturali & præternaturali scriptum reliquit, cujus sententiam etsi ab omnibus fermè rejectam, tanquam *Galeno* & rei veritati maximè consentaneam, deinceps probabimus. Singulas igitur definitionis particulas aggrediamur.

Genus febris. II Dicitur ergo *calor præter naturam*; quo nomine qualitatem tantùm intelligimus, non ipsam calidi innati substantiam, nam ex *Gal. ad Aph. 14. lib. 1.* calidum vel pro qualitate sumitur in abstracto, vel in concreto, pro ejusdem qualitatis subjecto; at abstracta nomina qualitatum apud Philosophos pro subjectis corporibus nunquam sumuntur,
* cum de iis nequeant prædicari; ex *Arist. c. de substantiâ*. Itaque per calo-

rem

rem qualitas mera quæ calido innato tanquam subjecto inhærescit, & quæ sola exuperat, intelligenda venit. Sed calorem *Ioh. Argenterius. 1. de Febribus, capite primo*, contendit esse causam febris, non genus, verùm intemperiem calidam quæ sola morbus est, hinc *Capivaccius* definitionem causalem esse dixit non formalem, abiitque in hanc opinionem recentiorum pars maxima: At ego vix distinguere possum intemperiem calidam cordis à calore accenso in corde, præsertim cum indicatio curativa febrium sumatur à calore, calor enim indicat refrigerationem, solet autem curativa indicatio peti à morbo, & præservativa causâ morbi, ideo calor morbus erit, nec ab intemperie calida distinguetur; insuper si calor causa esset, non morbus, sequeretur febrem hecticam causam habere, quod tamen falsissimum est, cum morbus factus sit, nec à causâ amplius dependeat: Concedimus quidem calorem spiritibus & humoribus conceptum, causam esse febris, at qui in corde totoque corpore productus est, is ipsa febris formaliter est, nihil enim refert sive calorem cordis dicamus, sive intemperiem calidam. Nec obstat quod idem *Argent. com. ad caput 2. lib. primi ad Glaucon.* in suæ sententiæ confirmationem producit. Morbus, *inquit*, est vitium corporis, sicut sanitas perfectio, & uterque diathesis, at calor nullus est vitium, vel perfectio, vel affectus, etenim febris est intemperies, sed calor non est intemperies, sed causa, ut lapis in vesica. 2. Si febris est calor & morbus, sanitas contraria febri erit frigus, vel calor secundum naturam. Facilis est solutio, & primum calorem dicimus esse vitium, & perfectionem & affectum, perfectio est, si sit secundum naturam, vitium si sit præter naturam, & affectus quà corpus afficit. Morbus enim diathesis dicitur ratione corporis affecti; quod vero calorem dicit non esse intemperiem sed causam, negavimus superius, qui volumus calorem cordis, ejusque calidam temperiem idem prorsus esse, nec distingui. Et sane intemperies illa à calore producta quid demum erit? qualitatem esse *Argenterius* non negabit, qui id & doctè & eleganter commentariis in artem parvam docuit, si qualitas, primam esse necesse est, quia à calore, qui prima qualitas est, univocè agente producta fuit; agens enim sibi simile patiens reddere conatur, si prima, calor erit & intemperies unum & idem: *ut plenius Physiologicis nostris dissertationibus docebitur.* Ad 2. dicimus, febrem esse calorem & morbum, sed negamus sanitatem contrariam febri esse frigus, quamvis enim calor ut calor frigori tantùm

Iohann Argenterii opinio reprobatur.

contrarietur, tamen si consideretur ut est præter naturam, non frigori, sed calori naturali adversabitur, idque ut extremum mediis: sic prodigalitas avaritiæ opponitur, at utrumque intermediæ virtuti contrarium est, qua vitium est. Igitur sanitas contraria febri est calor secundum naturam, aut temperies calida naturalis. Statuendum igitur calorem præter naturam esse verum genus. Sciendum autem duplicem in nobis esse calorem; naturalem, qui omnium actionum communis opifex, ipsaque corporis natura à Medicis interdum appellatur, & præternaturalem priori omnino adversum, nam naturalis vitam custodit; humores coquit, apponit, assimilat, morbosque curare *Hippocrati* perhibetur: extraneus inflammat, putrefacit, nativumque calorem corrumpit, cæterasque actiones labefactat; *putredinem*, *volunt Arist. & Galenus*, esse calidi innati corruptionem à calore extraneo. Etsi enim genere convenire videantur, & ejusdem esse apud Philosophos prædicamenti, contraria tamen esse, & maximè adversa ostendit operationum varietas. Contraria vel sunt duo extrema, ut calidum & frigidum, vel unum medium est, aliud extremum, medium enim contrarium est extremo, quatenus ad aliud extremum accedit, ut virtus extremo vitio: Calor innatus medius est & temperatus, extraneus autem, igneus, unde tanquam extremum medio inter se opponuntur; differunt igitur specie, nam extrema à mediis quæ ex ipsis constituuntur specie diffident; nec specie tantùm, sed & apud Medicos toto genere differunt, nam naturalis rebus secundum naturam, extraneus rebus præter naturam accensetur, sic dum ambo isti calores in eadem substantiâ calidi innati permanent, perpetuum certamen adest, donec alter superetur & vincatur.

Immitis hic & igneus calor triplex *Fernelio* statuitur, simplex elementaris, assiduo incremento de temperie & mediocritate sua decedens, alter ex putrescente materia prognatus; tertius est malignus & pernitiosus, quem pestilens & venenata materia fundit, hunc tamen à putrido non differre, quod febris pestilens tantùm gradu putredinis à reliquis distinguatur, plurimorum jam opinio percrebuit.

Sed animadvertendus hic error in quem recentiorum quidam ex vocum homonymiâ lapsus est, dum calorem præternaturalem ab acquisito non distinxit; Nam juvenes & senes inculpatâ sanitate prædi- *Altimari lapsus.* ti, acquisititio hoc calore plurimo pollent & acri, à quo tamen omnes naturæ operationes perficiuntur. Dupliciter enim potest acquiri calor,

lor, vel à causis naturalibus, tuncque est maximè secundum naturam. Id potissimum ætatum successione fit, quibus corporis nostri constitutio sensibiliter immutatur; quæ enim substantia calidi innati, pueris, blanda mitisque, ex benigna humoris primigenii temperatione aderat, progressu temporis eo siccescente acrior evadit & mordacior, etsi febricitantium respectu suavis censeri debeat: Non igitur substantiâ differt ab insito, sed ejus est ad siccum permutatio naturalis, sensim ætatis decursu facta, unde ab eodem potius perfici quam vitiari actiones naturales solent. Vel novus acquiritur calor à præternaturalibus causis, internis externisque; & hic est febrilis, igneus, naturæ adversus; sub hoc acquisititii caloris genere febrem reponimus, & *Galenum* intelligendum putamus, quoties naturalem acquisito opposuit.

III. Sed præterea circa genus febris, & ea quæ à nobis dicta sunt; tria sese offerunt explicanda: *Primùm*, utrum febris sit calor auctus; *Secundò*, cum dixerimus febrem calidam esse intemperiem, quæri posset, utrum quoque sicca sit intemperies. *Tertiò* utrum in febre sint duo calores, naturalis & præter naturam. Voluit enim *Averrhoës* febrem mixtum esse ex utroque calore affectum. Et quidem priores duæ difficiles non habent explicatus, sed postrema hæc difficilior paulo cæteris, & magis intricata videtur. Quod itaque *Primam quæstionem* spectat, dubitandum non est calorem esse auctum & intensum, id acrimonia & acquisita ignea qualitas manifestè declarant, & *Galenus* locis à nobis in principio citatis astruit, ut nihil certius tum Medicis, tum ipsi vulgo esse queat. Sed objiciunt quidam paroxysmorum principia & ἐπισημασίας in quibus rigor, horror, frigus sentitur, non calor, quæ objectio *Fernelio* adeo valida visa est, ut tunc febrem adesse negarit, quod nondum sit calor incensus, ideoque in accessionum principiis fiant pulsus rari & parvi, quod maximum est frigiditatis indicium. Secundò qui moriuntur exspirant frigidum *3. prorhet*. Tertiò in malignis febribus calor moderatus apparet, imò interdum frigida corporis superficies, aut saltem tepidior videtur. Sed his satisfacere erit facillimum; nam in accessionum principiis auctus est & accensus in visceribus calor, qui propter rationes à nobis suo loco recensendas, non habet ἔκλαμψιν, & quidem rigor, frigus, horror, non mera sunt accessionis principia, sed putridi & efferati humoris symptomata; pariter in malignis interiora ardentissimo incendio conflagrant, valent tamen hæ rationes adversus eos qui febrem universi corporis affectum esse voluerunt. Ad secundam dici-

Quæstiones tres.

Prima quæstio.

mus eos qui ex ardentissima febre moriuntur, tandem exspirare frigidum, quod omnis febrili incendio exhaustus sit calor, *Sic. 6. Epid. sect. 4.* docet *Galenus* cor prope mortem frigida affici intemperie, quamvis quispiam ex fervidissimo morbo moriatur, quia morbus calidus in frigidum degeneravit, quæ successio perpetuò funesta est. Sed in postremâ editione meorum errorum popularium contrariam sententiam secutus sum.

II *Quæstio an febris sit calida sicca.*

IV. Secunda quæstio, an febris sit calida sicca intemperies, priori difficilior non videtur., *Galenus aph. 16. libri primi, & 1. acutor. com. 18.* apertè calidam siccam passionem esse profitetur; idem comparans febrilem calorem cum naturali, hunc blandum & mitem, illum fuliginosum & aridum dicit. Id quoque notatio nominis docet, à calore igneo qui calidus siccusque est πυρετὸς Græcis nominatur. Sed & *Hippocrates aphor. 16.* victum humidum febricitantibus præscribit, unde si contraria contrariorum sunt remedia, febris morbus siccus erit. Sed rectius alii febrem calidum affectum, non necessariò siccum constituunt: Etenim calor & cum siccitate, & cum humiditate amicè coire potest, neutrum igitur naturâ suâ postulat. Tum si siccitas esset de natura febris in omnibus adesset febricitantibus, at plurimæ febres cum insigni sunt humiditate. *Horatius Augenius* respondet id esse per accidens, quòd febribus quædam conjungi possint, quarum causâ aderit humiditas. Sed *malè*, si enim hoc febri est essentiale quà febris est, & calor, non potest per accidens tolli, sicut nec per accidens frigida ulla febris fieri. Secundò non magis convenit siccitas calori & febri quam humiditas: Sunt enim febres humidæ, sunt siccæ, in aridiori materiâ accensæ, ergo ipsis utrumque erit accidentale. At validiori ratione rem hanc conficiamus. Febres hecticæ sunt omnium siccissimæ; At siccitas non est in omnibus hecticis: In primo etenim gradu sola rorida humiditas effervescit; siccitas in iis est tantùm, quæ sunt marasmodes; multo igitur minus in reliquis febribus aderit. Ideo ad contraria respondemus: Quando *Galenus* febrem affectum calidum siccum vocavit; Quando *Hippocrates* victum humidum præscripsit, id fecere quia febris desiccat: Unde ab effectu potius quam ab affectu sumpsere indicationem. Sed *Mercurialis* per victum humidum liquidum intelligit, quod sorbitionibus alendos febricitantes potius, quam cibo solido *Hippocrates* voluerit. *Paulus Pereda* victum humidum præscribi ait, quia calorem retundit quem siccitas exasperat, quæ respon-

Refutatio Augenii. *.

siones

ſiones omnes veræ ſunt: Ideo quoque calor igneus dicitur quia exſiccat; eſt enim morbus actu calidus, ſiccus facultate, ſi in humore accendatur, poteſtate tantùm exſiccabit, unde à *Galeno* inter ſimplices intemperies recenſetur *1. de different. febrium cap. 3.* & *in libris methodi ſecundo & octavo cap. primo*, & pro ratione accenſæ materiæ calor ſiccus evadit & tactu percipitur mordax, & in humidâ materiâ humidus, mitis ac ſuavis, hinc *6. Epid. ſect. prima, textu 29* febres aliæ mordaces, aliæ mites, aliæ tactui humectæ ſtatuuntur. Statuendum igitur febrem eſſe affectum calidum ſimpliciter, interdum humidum, interdum ſiccum, neutrum neceſſariò.

v. Sed tertia jam quæſtio ſeſe offert omnium difficillima, utrum duo in febre calores ſint, naturalis, & ipſi adverſus extraneus. In febre unicum calorem conſtituunt omnes, ſcilicet præternaturalem, quem ſuperius auctum diximus, ſupra moderati temperiem benignam, & beneficam elatum. Ubi enim naturalis de temperie ſua decedit præter naturalis evadit, ſicut per morbificas cauſas calor remittitur interdum, nec alius calor diminutus, nec compoſitus ex naturali & diminuto dicitur, ità cum augetur compoſitus dici non debet. Id hac ratione probari poſſe puto. Febris eſt converſio caloris nativi ad igneum, eſt ergo motus. In omni motu eſt terminus à quo, & ad quem: Prior deperditur, poſterior acquiritur: In febre terminus à quo eſt nativa caliditas, terminus ad quem caliditas ignea. Perditur nativus calor & temperatus, acquiritur igneus & intemperatus. Si deperditur calor temperatus, ſolus remanet præter naturam, nulla ergo compoſitio ex utroque, ſed unus tantùm aderit, ſcilicet extraneus, & alienus. His ego rationibus manus dederam. Sed & *Augenius* hoc quoque telum in *Averrhoem* conjicit; is calor febris eſſentiam continet qui actiones lædit; ſolus extraneus eſt ejuſmodi. Si febris eſt calor compoſitus, actiones quæ fiunt in febre debent ad utrumque referri; mixtarum enim cauſarum actiones ſunt permiſtæ; at actiones caloris naturalis non poſſunt ab extraneo proficiſci, ſicut nec actionum læſio ad naturalem referri. Nulla igitur compoſitio, ſed unicus calor eſt, naturalis qui prius erat, factus igneus & naturæ adverſus. Attamen non novum eſt mixtionem ejuſmodi calorum aſſerere, ſiquidem *Galenus aphor. 47. lib. 2.* pus fieri docuit à calore mixto ex naturali & præter naturam, quorum in generatione puris mixtas actiones eſſe voluit, ſed & hæc opinio probatur, niſi enim duo calores eſſent, ſed

Tertia quæſtio an duplex in febre calor.

unicus.

unicus unicam haberet operandi rationem, cujus contrarium cernimus: Nam, ut prius dictum, naturalis coquit, retinet, expellit, hæc omnia labefactat extraneus; Nequeunt autem ab uno & eodem agente contraria proficisci: Si igitur coctiones fiunt, si vita adest, naturalem quoque adesse erit necessarium, cum effectus suam causam arguat; si febris, adesse quoque extraneum, alioqui jam sanus, non æger habetur. Sed insuper pugna fit in febricitante à calore nativo, qui morborum verus Medicus ab *Hippoc.* dicitur. At non agit in seipsum, sed in contrarium quem expellit: Ergo duplex calor in febricitante. His vero rationibus *Argenterius* satisfacere conatur: Ad primum dicit, pus videri à mixto calore genitum, quod calor mixtas habeat actiones, quia non est omnino alienus: à naturali concoquit, & quia non est secundum naturam, perfectè non concoquit; hinc aliquid medium, scilicet pus emergit. Sed neque hæc responsio vera est; etenim calor nativus non quod sit imbecillior & alienus suppurationem promovet, sed quod in materiam minus dispositam agat, quæ cum ob putrefactionem assimilari nequit, in mediam quandam naturam facessit edomita à calore nativo. * Aliam itaque puto esse rationem puris, aliam febrium: Generatur enim pus in determinatâ quadam corporis parte, & reliquæ partes cum calorem possideant plurimum, & sanæ sint, affectæ undique suppetias ferunt; præternaturalis verò calor tantùm est in materiâ putrescente, quæ à nativo superatur, at in febre universum corpus laborat, & propterea calidum toto corpore immutatur, unde mistio utriusque caloris fieri nequit, cum unus tantùm supersit. Ad secundam respondet, coctiones in febribus fieri, sed non bonas, quia calor illarum author de temperie discessit, unde duos esse calores non sequitur, sed intensum & auctum, qui prius erat naturalis & moderatus, sic quoque vivit homo, quòd calor non sit omnino extraneus, sed malè vivit, nam & torquetur, & vigilat, & dolet ob excessum caloris. Ad tertiam dicit non semper adesse pugnam, ut in hectica, sed si quando adest, fieri eam à partibus solidis minus ægris contra causas morbificas fortiter decertantibus, præcipuè si idoneis remediis alterantibus & vacuantibus adjuventur, quæ artis actio est, naturæ labanti opem ferre, ut erigat sese, & recreata vividior & alacrior in morbum vires exerat suas. Verum hæ duæ opiniones prima facie tam repugnantes, amicè inter se conciliari posse mihi videntur. Nam si consideretur calor conceptus in humoribus & spiritibus, ille est qui oppugnat

oppugnat calorem insitum, ejus actiones labefactat, & tam varia producit symptomata. Ab illô igitur patitur calidum innatum, & interplusculum de temperie sua recedit pro accensionis vehementiâ. Sed interea sese tuetur quantum potest, nec causis illis morbificis resistit tantùm, sed & illas oppugnat ac destruit, humores concoquit & expellit, unde tot crises, præcipuè si convenientibus remediis adjuvetur. Itaque gradus ille caloris qui est in solidis partibus, non est diversus calor à naturali, sed quidam ejus excessus, talis tamen qui vim non superat ipsius salutarem & beneficam. Duæ qualitates ejusdem speciei non possunt esse in eâdem substantiâ, quin unicam conflent. Quare duobus caloribus idem corpus non potest incalescere, sed potest calor esse partim secundum, partim præter naturam, non enim mutatur species caloris, sive sit naturalis, sive non, idem est, sed permutatur modus, moderatus calor concoquit, idem intensior putrefacit, & quo magis naturæ limites excedit, eò magis est præter naturam, ut rectè ait *Valles. lib. 5. cap. 24.* At qui est in humoribus conceptus & spiritibus hunc totis viribus oppugnat, quem si superet & de temperie sua prorsus dejiciat, tunc morbo superante æger interit: At si non possit, quamvis alioquin febris intensissima videatur, morbo tamen æger fœliciter defungitur. Concludamus igitur duos esse in corpore calores, naturalem in solidis partibus, qui ab extraneo excessum patitur & labefactatur, & hac ratione febrem dici posse compositam ex utroque. Alterationes enim illas quæ in febribus cernuntur suppurationi respondere *Galenus* scriptis proditum reliquit, qui *Aphorismo* nuper citato disertè ab utroque calore pus generari docuit. At ratione excessus illius qui est in corde solidisque partibus, minimè commisceri dicuntur, nam est tantùm gradus quidam super additus priori calori, nondum enim æqualis introducta intemperies, præterquam in hectica marasmode, quæ propterea insanabilis est. Ideò *Galenus* evacuatis causis febrilibus remanere vult intemperiem, quæ facile levi remedio soluatur. At inde, dubitabit quispiam; sequeretur febrem non esse morbum, cum sit tantùm in humoribus. Respondemus autem revera febrem, tanquam in proprio subjecto, in solidis partibus residere, sed nihil absurdi est, si dicamus non omnem febrem esse morbum factum, sed fientem, seu intemperiem inæqualem, ut in intermittentibus febribus apparet, in quibus tota morbi ratio videtur in causâ morbificâ, non in toto corpore, nisi tempore paroxysmi, quo corpus

incalescit, non autem incaluit, ut apparet ex subsequente apyrexiâ. Introducta enim, verbi gratia, ex ardente febre æqualis intemperies, in solidis partibus in quibus vis calidi innati efflorescit, sine certissimâ ipsius caloris ruinâ esse potest, ut quoque inferius explicabitur. Et hæc de febris ipsius genere.

Subjectum febris. VI. Additur in definitione *accensus in corde*. Cum enim febris sit morbus, & morbus res permanens, certum est calorem jam infixum esse factum & permanentem. Sed tamen huic sententiæ repugnare videtur definitio *Galeni* à nobis allata, in qua definitur conversio caloris nativi in igneum, conversio autem motum, non terminum motus denotat, & quidem *Altimarus* non definitam fuisse per terminum ait, quia sequeretur febrem esse ignem. Dicere tamen possumus loco citato, *Galenum* non tam febrem definiisse, quam modum generationis ejus explicasse, sic clarè *Aphorismo 14. lib. 1.* febrem fieri ait ex conversione caloris nativi in igneum. propterea si definitio est, causalis potius erit quam formalis. Sed præterea dicere possumus *Galenum* per conversionem intellexisse ipsum terminum motus, sed usum nomine mutationis, quia motus realiter non distinguitur à suo termino ad quem. Sed nec credendum terminum conversionis esse ignem, sed tantùm caliditatem igneam. Terminus in alterationibus duobus modis potest considerari, primò pro ultima dispositione ad introductionem formæ agentis; altero pro eo qualitatis acquisitæ gradu, qui per se separato agente denominare potest subjectum & permanere: febris igitur definitur per eum terminum, non qui sit ultima dispositio ad introductionẽ formæ, sed qui licet sit adhuc in fieri, habet tamen aliquid factum & permanens, quod morbi rationem subit, & propterea cum definitur per viam, id intelligendum prout opponitur termino ultimo.

Exprimit autem *Avic.* primarium febris subjectum nempe cor, nulla *Ratio prima.* enim febris esse potest non affecto corde, ut docere videtur *Galenus libris de diff. febrium.* Pulsus in omnibus febribus maximam mutationem subeunt in frequentiâ, magnitudine, cæterisque differentiis, ipsorum igitur originem labefactari necessum est. *Secunda.* Cor est fons caloris naturalis, qui in universum corpus distribuitur, siquidem à corde in universum corpus calor influit, sed febris est mutatio caloris istius naturalis, oportet igitur mutari in corde, tanquam in radicibus, aliàs in reliquo corpore incolumis permanebit; *Tertia.* contraria versantur circa idem, sed temperatio caloris est in corde, ergo & intemperies. Addit

Avicenna

Avicenna ſecundarium febris ſubjectum, ſcilicet univerſum corpus, *Et ab ipſo procedens in univerſum corpus mediante ſpiritu & ſanguine*, tum modum tranſmiſſionis caloris febrilis, per venas & arterias mediante ſanguine, cum febris actiones totius corporis lædat, rationi maximè eſt conſentaneum totam ὁλομελῶν ſive ſolidas parteis, quare ſunt actiones, incaleſcere. Hinc *Averrhoes* ait febrem lædere omnes actiones & paſſiones, & *Galenus* inter morbos toti corpori communes febrem reponit, ſed omnium clariſſimè *Avicennas* de morbis univerſalibus tractaturum ſe pollicetur, & à febre principium deſumit. Recentiores ideò valdè ingeniosè particulam hanc *Et* interpræetantur *deinde*, ut ſignificet ordinem generationis febrilis, etſi non ſit neceſſe in univerſum corpus calorem febrilem expandi, nam in acceſſionum principiis, in lipyriis febribus exteriora refrigerantur, calore & ſpiritibus in viſcera revocatis: In febre Epialâ ſimul & rigent & incaleſcunt, ut ſuo loco explicabitur. Itaque *Galenus* rectè ſtatuit calorem febrilem vel eſſe in toto corpore, vel in præcipuis partibus, nam lipyriis repugnat omnino actualis calefactio ἀκρωτηρίων, ſed contra eorum adeſt perpetua refrigeratio, aliàs lipyria non eſſet; unde alii hanc particulam *Et*, per hanc *vel*, explicarunt, quia non eſt neceſſe ut calor in totum corpus diffundatur, ſufficit ſi in corde viſceribuſque intimis conceptum ſit incendium. Febris itaque primò & per ſe cordis paſſio eſt, non neceſſariò autem totius corporis, ſi enim calor è corde in corpus effundi non poteſt, univerſum non incaleſcet, febris tamen aderit; ſic ſtuporem nervorum, & Syncopen, cordis affectum dicimus, etſi reliquum corpus illis compatiatur. Recentiorum plurimi, quorum princeps *Fernelius*, volunt non eſſe perpetuum omnis febris calorem in corde accendi, id tametſi de continuis & primariis verum eſſe videatur, intermittentium tamen & ſymptomaticarum calor non in corde primum accenditur, ſed aliunde ſublatus cor ferit, è quo æſtuans cum ſpiritu mox per arterias in corpus omne refunditur, ſic ex bubone fiunt diariæ, ex pulmone, ventriculo, cæteriſque partibus hecticæ, ſed tamen calore prius cordi communicato.

Temerarium forſan videbitur à vulgari & communi Doctorum opinione recedere; etſi nullis ſatis ſolidis innixa fundamentis videatur, neque hactenus ullam rationem legere mihi contigit, quæ vim faceret. In febribus quidem cor incaleſcere jam ſuperius ſatis oſtenſum eſt ex pulſuum mutationibus, ſed febris principium propterea ſtatui *Non omnem febrem ex corde.* *

non necessarium; in febre duo potissimum spectanda ex supradictis didicimus, calorem ipsum extraneum, insito gravem & noxium, tum ipsius in universum corporis habitum diffusionem. Si neutrius cor principium est, nulla ratione origo febris statuetur, ut probatu facile est. In febribus siquidem putridis continuis, quarum causa majoribus vasis conclusa continetur, universum corpus ob putredinem vasis conceptam incalescit, quæ putredo à corde originem non habet, sed à causis putrefacientibus in venis generata per easdem in minutissimas corporis partes quoquoversum, quà vasa permeant, sese expandit. Rectè *Avicennas* per venas cum sanguine latè diffundi & dimanare calorem extraneum voluit. At venis cum corde nihil commune. Sanguis in hepate generatus ab eo & calorem suum habuit, & deinceps singulas quasque corporis particulas alluit, & in cor ipsum patenti ostio refunditur, ipsique qualitates suas impertit, quæcunque tandem fuerint, at inde nunquam amplius remeat in venas, ob valvulas refluxum prohibentes, itaque à calore sanguinis incalescere cor facillimè potest, viscus enim naturâ suâ calidissimum, perpetuo affluxu ferventis sanguinis, facillimè exeandescit, & calorem quem aliunde suscepit in arterias suas etiam cum fœnore refundit. Non tamen ipsius origo est aut principium, sed ipsum communi cæterarum partium lege à causis præternaturalibus afficitur, unâ cum reliquis indolescit. Universum itaque corpus quod febrili calore tentatur, id patitur ab extraneo calore, sæpissimè per venas cum sanguine delato, etsi nullam sui partem à corde habeat. Sic labefactato Jecore in hydrope anasarca frigiditas tum universo corpori, tum ipsi cordi communicatur, ut pulsus rari & tardi indicant, nec tamen hujus hydropis causa cordi unquam attributa fuit, sed hepati. Nec enim unicus caloris influentis fons rectè cor statuitur, sed & partem aliquam sibi Jecur in hoc opere vindicat, ut *Libro artis Medicæ Galenus* scriptum reliquit, ubi ex copiâ sanguinis totius corporis calorem metitur, & sanguine vacuato tum sanis tum ægris reliquum corpus refrigeratur, quod plurimus calor in sanguine sit. Si itaque caloris naturalis unicus fons cor non est, quomodo præternaturalis principium tale statuetur, ut ab eo tantùm in universum corpus refundatur. Vix præterea possibile videtur incolumi animali calorem ex putrescente materiâ suscitatum è corde effundi, cum non possit cor innoxiè putridi humoris præsentiam sustinere, imo nec bilis, aut ullius humoris noxii. Non igitur

tur cor perpetuò aut subjectum, aut principium caloris febrilis statuetur. Principium quidem non unum semper idemque; sed varium & multiplex pro febrium naturâ & conditione: interdum cor, jecur, splen: imo pars quælibet corporis imflammata. Subjectum vero solida corporis substantia, aut ut vere *Altimarus*, ipsius calidi innati & insiti substantia, quæ à corde non influit, nec tota in corde est, sed singulæ minimæque particulæ aliquam illius portionem obtinuerunt, & natura *Hippocrati* appellatur, cum enim febris sit conversio caloris nativi ad igneum, ipsum primo affici necesse est, nam & immutatur & alteratur, & de temperie sua decedit. Consistit autem istud calidum innatum in solidis partibus, nam à semine & sanguine menstruo secundum *Galenum* habet originem, ideoque solidis partibus illius ratione omnis actio tribuitur. Hinc febris cum actiones lædat, in ea parte est quæ actionem edit, & quæ operatur, sed sola solida pars operatur docente *Galeno 3. aph. 17.* ad finem, aliisque locis. Pars autem solida in se habet insitum à primordiis generationis calorem, humidi primigenii & spiritus insiti blandâ & amicâ societate gaudentem; in eo igitur febris est, ita ut tota pars solida subjectum sit denominationis, sed ipsius calidum innatum verum subjectum inhæsionis, malè ergo in humoribus, & spiritibus febris collocatur, cum viventis partes non sint, sed causa febrilis ipsi morbo sæpissimè conjuncta in illis residet. At objicies *Galenum* tria febrium facere subjecta; humores, spiritus, & solidam substantiam. Tum si solida pars est subjectum, omnis febris erit hectica. Respondeo causam tantum febrium esse in spiritibus & humoribus, à quibus solida substantia patitur. Sunt enim sanitas & morbus partium viventium, quod autem vitâ caret, ut spiritus & humores nec sanum est, nec ægrum. Spiritus vitâ carere diximus in Physiolog. Nec tamen omnis febris est hectica, nam solida hæc quam diximus substantia in hecticis æqualiter affecta est, in diariis & putridis inæqualiter, sive nondum intemperies illam omnino partem affecit, sed adhuc transmutatur & est, ut vocant, in fieri. Hinc quamvis omnes febres sint in solidâ parte, non omnes tamen sunt hecticæ. Rectè tamen putat *Valles*. Divisionem hanc posse dici factam per causas, non per sola subjecta. Sed dices hinc sequi febrem putridam non esse morbum, si substantia solida non est omnino calefacta, sed adhuc in motu. *Respondeo* in plurimis morbis, esse aliquid factum, aliquid quod fit, ratione ejus quod factum est, febris morbus

Calidum innatum subjectum febris ex Altimaro.

Objectio.

 dicitur,

dicitur, non autem ratione ejus quod fit, ut docet *Galenus in arte parva, & 2. de locis aff.* Ubi docet dysenteriam etiam dum fit, esse morbum, scilicet ulcus intestinorum.

Ex his clarius elucet veritas illius quod superius diximus, duos esse calores in febricitante, & unum tantum. In hecticis unus tantum est calor, nam naturalis in igneum est mutatus, & si omnino mutatus sit, ut in marasmo, insanabilis est morbus. Sed in Ephemeris & putridis duo sunt calores, igneus in spiritibus & humoribus, sed naturalis solidorum calor adhuc servatur, qui igneum oppugnat, humorum pepasmos, alimenti πέψεις molitur, hic calor à contrario suo alteratur, & interdum victus ac superatus igneus evadit, cum certâ ægri pernicie, quando omnis caloris nativi substantia immutata sit & alterata; clarè id explicat *Galenus* capite 7. de Inæg. intemperie. *In hujusmodi* inquit, *febribus calesit aliquando universus sanguis, & calorem præter naturam, qui ex humoris putrescentia est obortus, concepit, non tamen arteriarum aut venarum tunicæ, aut aliud vicinorum corporum prorsus jam temperamentum suum mutaverunt, sed adhuc mutantur & alterantur incalescentia. Quod si longiori tempore hoc patiuntur, vincentur aliquando prorsusque mutabuntur, ut non amplius calesiant, sed jam sint præter naturam calefacta.* Hæc *Galenus.* Ex quibus patet non semper in febribus calorem innatum esse mutatum, sed alterari tantùm à calore præter naturam, donec perseverante ipsius actione omnino mutatus sit, quod in febribus salutaribus non contingit, quin potius extraneus à naturali superatur. Finis igitur caloris extranei est naturalem mutare in igneum, estque is actionis ejus terminus. *Ad quem usque terminum latitudo*, inquit, *Galenus* loco citato, *via est in id quod est præter naturam, veluti mixta communisque ac media ex utrisque contrariis composita, eo quod est exquisitè secundum naturam, & eo quod est præter naturam.* Ex quo patet febrem si consideretur in alteratione inæquali solidarum partium, posse dici mistam ex utroque calore, ut loco citato docet *Gal.* quatenus calor partium nativus alteratur, de caloris præter naturam gradus. alquot suscipit, nihilominus tamen statuendum est, etsi duplex iste calor reperiatur in tempore, in solo præternaturali essentiam febris residere, ut supra demonstratum est. Et hoc modo explicari commode potest sententia *Averrhois.*

Vltima pars definitionis. VII. Ultimò in definitione additur operationes naturales lædens, quæ particula rejicitur ab *Argenterio & Augenio*, quia cùm febris morbus sit, supponitur semper & intelligitur actionum læsio. Respondeo tamen,

tamen, quamvis actionum læsio nomine morbi contineatur, non tamen statim constat quænam actiones lædantur, hinc in singulorum morborum definitione peculiariter exprimitur, quænam potissimum actiones vitientur. *Naturales* autem dicuntur, non quæ à vitalibus & animalibus distinguntur, sed omnes naturæ convenientes, quæcunque tandem sint, cum enim calor innatus per quem unaquæque pars suas obit functiones, alteretur, consentaneum est eas omnes vitiari. Sed objicies quasdam actiones à febre potius juvari quam lædi, scilicet eas quæ sunt imminutæ, ablatæ propter frigiditatem, aut humores crudos & flatus, qui à febrili calore attenuantur, inciduntur & resolvuntur. Sic 2. aphor. 26. *Melius est convulsioni supervenire febrem, quam convulsionem febri.* Et iterum, *Si ebrius derepente obmutescat convulsus moritur, nisi febre corripiatur, &* 7. aphor. 12. *Quibus jecur vehementer dolet febris superveniens dolorem solvit.* Respondet *Massaria* non esse necesse omnes actiones lædi, sed satis esse si ex omni genere quædam lædantur, quæ solutio non satisfacit. Itaque dicendum puto, hæc convenire febri generatim, quia non quælibet febris omnes actiones lædit, tum quia actione quædam sunt contrariæ, ut abolitæ & auctæ quæ non possunt simul lædi in eadem febre. Sed si consideremus omnia genera febrium collective, inveniemus nullas esse actiones quæ à febre non lædantur, animales, vitales, naturales, modo unam, modo aliam, secundum naturam febris & causæ febrilis, partisque maximè affectæ. Propterea si quædam actiones à quibusdam febribus juvantur, eædem ab aliis febribus lædentur. Nec est necesse, ut quæ ponuntur in definitione, conveniant omnibus contentis sigillatim sumptis, sufficit si collectivè iis adaptentur, sic principia definit *Aristoteles*, quæ nec ex sese invicem, nec ex aliis, sed ex iis fiunt omnia, quæ definitio nulli principiorum seorsim convenit, sed iis simul sumptis. Pariter hic dicendum; actionum omnium læsio non convenit cuilibet febri, sed omnibus, aliæ enim vigilias inducunt, aliæ somnum, aliæ imaginationem aut memoriam, aut appetitum, aut motum, vitiant, sic de cæteris quæ à febribus læduntur omnes, si febres collectivè non sigillatim sumantur. Et hæc de febris definitione.

Dubium.

Solutio nova. *

De

Cap. II.

De differentiis Febrium.

Hippocratis divisio febrium.

1 VAriæ febrium diviſiones ab authoribus proponuntur, ſed *Galeno* omnium maximè placet diviſio *Hippocratis*, quam 6. Epid. ſect. 1. textu 29. attulit Πυρετοὶ οἱ μὲν δακνώδεες τῇ χειρί, οἱ δὲ πρηέες, οἱ δὲ οὐ δακνώδεες μὲν, ἐπαναδιδόντες δέ, οἱ δὲ ὀξέες μὲν ἡσσώμενοι δὲ τῆς χειρός, οἱ δὲ περικαέες εὐθέως οἱ δὲ διὰ παντὸς βληχροί, ξηροί, οἱ δὲ ἁλμυρώδεες, οἱ δὲ πεμφιγώδεες, ἰδεῖν δεινοί, οἱ δὲ πρὸς τὴν χεῖρα νοτώδεες, οἱ δὲ ἐξέρυθροι, οἱ πελιοὶ οἱ δὲ ἔξωχροι, καὶ τὰ ἄλλα τοιουτότροπα, quæ diviſio eſt admodum obſcura, ſed eam ideò *Galenus* probat, quod differentias omnes complectatur unà cum dignotionis modo. Differentiæ autem eſſentiales ſumuntur à calore præternaturali, in quo conſiderare poſſumus intenſionem & remiſſionem, ſubjectam materiam & motum. Hujus itaque quatuor ſunt partes. Prima pars continet differentiam quæ pertinet ad motum caloris. *Febres aliæ ſunt mordaces manui, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem ſed poſt inſurgentes, aliæ acutæ, ſed à manu victæ.* Mordaces & mites dicuntur comparatione facta inter ſeipſas, nam ratione caloris nativi acrimoniam omnes tangenti exhibent, ſed mites dicuntur quæ ſunt minus mordaces; Mites autem & blandæ vel revera tales ſunt, & tangenti tales apparent: Aliæ in principio mites videntur, ſed longâ manus impoſitione acrimonia earum perſentitur. Aliæ primùm acres tandem miteſcere videntur. Per acutas autem & acres cum *Galeno* intelligimus eas, quarum calor celeriter manui occurrit, quales ſunt ardentes. Secunda parte continetur diviſio febrium ab intenſo & remiſſo: *Aliæ ſtatim ardentes, aliæ in totum debiles*, pro vehementiâ aut imbecillitate caloris. Dixit autem ſtatim ardentes, nam ardentium quædam non protinus ſtatim valde calent, ſed primùm ſatis debiles, poſtmodum augentur. Tertia parte continetur diviſio febrium à ſubjectâ materiâ *Aliæ aridæ ſalſæ, aliæ pemphigodees, aſpectu terribiles humectæ.* Aridæ ſunt hecticæ, ſed cur eas ſalſas vocet non video, cum ſalſum guſtu, non tactu ſentiatur. Per ſimilitudinem ita dictas veriſimile eſt, quia ſicut ſalſa malè afficiunt guſtum, ita hæ febres tactui mordaces apparent, perinde ac ſi muriâ cutis eſſet aſperſa, ex fuliginoſis & multum uſtis excrementis per corporis habitum & cutem delatis, ut in pruritu docet *Galenus*, qui ab humoribus ſalſis ſolet generari. Dicere quoque poſſumus eſſe eam in

Prima pars diviſionis. *Secunda pars diviſionis.* *Tertia pars diviſionis.* *Quid febres ſalſæ.*

qua salis sapor in lingua percipitur ex salsâ pituitâ, ut causus illegitimus. Sed quid per πεμφιγώδεις sit intelligendum non ita patet. *Galenus* in *Exegesi* eas esse dicit, quæ sunt humoris plenæ & spirituosæ, in *comment.* quoque inclinare ad id videtur, ut sint πνευματώδεις αἰσθανομένης τῆς χειρὸς ἀναφερομένου τινὸς ἐπ' αὐτὴν πνεύματος ἐνίοτε μὲν ἀτμῶδες, ἐνίοτε δὲ ξηροῦ. Tales sunt febres nostræ synochi in quibus sanguinis feruidi copiâ venæ sunt distentæ & inflatæ. Veteribus Arabum interpretibus inflativæ dictæ. Sed præterea author *definition. Medicarum* πεμφιγώδη dici scribit, quæ ob ardoris vehementiam pustulas in ore excitat & reliquo corpore. Idem *Galenus* putat dici posse pestilentes, præsertim cum addatur terribiles, in quibus corpus plenum est pustulis quas πεμφίγας vocant Græci. Quid si variolas & morbillos nostros intelligeret, quarum febris synochus esse solet & inflativa, & pustulis per universum corpus obortis valdè corpus defœdare: Nulla etenim alia febris est, quæ pustulis adeò multis cutim inficiat, ut aspectu terribiles ægri videantur, pestilentes aliæ & malignæ etsi maculis plurimis scateant, multum tamen à pustulis differunt, & cum varia pemphigodeωn nomen significet, ut diximus, videtur adjecisse ἰδεῖν δεινοί, quasi aliud esset pemphigodeωn genus quod non esset aspectu terribile. Sed hæ meæ potius sunt conjecturæ, nam nec ex *Galeno*, aut ullo interpretum clarè intelligi potest, quid hoc nomine *Hippocrates* voluerit, consulatur *Galenus* in comment. & *Foesius* in Oecom. & doctissimus *Gorrhæus* in definit. Humectæ autem dicuntur, in quibus nobis tangentibus cutis humida percipitur, quales sunt ephemeræ & pituitosæ. Quarta pars divisionis: *aliæ rubræ, aliæ pallidæ, aliæ lividæ*, accidentales continet differentias, quæ sumuntur à calore, rubræ à sanguine, pallidæ à flava bile, lividæ verò caloris νέκρωσιν indicant, omnesque sunt malæ. *Galenus* hanc divisionem summè probat, quod omnes differentias unà cum dignotionis modo contineat; quod tamen mihi non videtur, nam præter obscuritatem & confusionem plurimas omittit necessarias, etiam à calore desumptas, multas adducit inutiles, & accidentarias, ut parum utilis omnino videatur.

Quid febres pemphigodees.

Quarta pars divisionis.

Aliam autem *Galenus* divisionem protulit ex calore desumptam, in quo diximus spectari intensionem & remissionem, est enim qualitas quæ recipit magis & minus; subjectam materiam, nam tanquam accidens semper est in subjecto: & modum motus, nam calor inter cæteras qualitates est maximæ activitatis. Ab intenso & remisso magnæ

Alia divisio febrium ex Galeno.

næ febres dicuntur vel parvæ, quantitatis nomen qualitati impropriè quidem, ſed ex vulgari loquendi uſu adaptando. Sed differentiæ à materiâ omnium ſunt maximè propriæ, & ad medendi uſum accomodatæ, non enim curantur febres niſi vacuatâ materiâ, imò cauſâ ignotâ cognoſci plenè febris non poteſt: Unde in definitionibus accidentium materiam & ſubjectum Phyſici ponunt. Non tamen putandum differentias à materiâ ſumptas eſſe eſſentiales, eſt enim calor qualitas infima, quæ in alias ſpecies non dividitur, ſicut albedo nivis & parietis etſi ſubjectis ſpecie differentibus inſint, ipſæ tamen à ſe invicem ſpecie non differunt. Potius igitur enumeratio eſt variorum ſubjectorum febris, quam vera caloris diviſio. Materia triplex eſt, ſpiritus, humores, & ſolida. In omni autem febre, ut prius diximus ſolida incaleſcunt, ſed æqualiter in hecticâ, inæqualiter in ephemeris, & putridis, in quibus humores & ſpiritus incaluerunt, & calorem in facto eſſe, poſſident. Hanc triplicem febrium differentiam *Galenus* & *Avic.* appoſitis exemplis vaſis, follis, & balnei declararunt, ut apud eos legere licet. Sec nec hæc quoque diviſio omnes febres complectitur, etenim σύνοχος imputris nec ephemera eſt, nec putrida, nec hectica. Pariter quæ ex putreſcentibus in ventriculo alimentis aut vermibus generatur, nec putrida eſt, quia nullus humor putreſcit, nec reliquarum ulla. Sed reſpondemus febrem ſynochon aut ad epheras aut ad humorales referendam eſſe: ſimiliter alimenta putreſcentia, & vermes nunquam febrem inducunt, niſi calor præter naturam vel ſpiritibus, vel humoribus contineatur, ut ſint tantum cauſæ remotiores febris, ex quibus calor interdum per meram alterationem, interdum per vapores emiſſos cordi communicatur, unde ad ephemeras, modo ad putridas referuntur. *Fernelius* calorem dividit in ſimplicem, qui purus fervor eſt, & in ſpiritibus ephemeram, in humoribus ſynochon imputrem, in ſolidis hecticam parit, & putridum qui putridas & peſtilentes generat, quæ diviſio *Fernelii* priori ſatis eſt conſentanea, etſi ſimplex putridæ non adverſetur, ſed potius compoſitæ aut multiplici. Sicut & hæc quæ in ſpirituoſas, humorales, putres & imputres, & hecticas dividit, quæ omnium maximè aperta eſt, & genera febrium optimè conſtituit, & maximas de ſynocho imputri ambiguitates perimit, ad quodnam ſcilicet febrium genus ſit referenda.

Objectio.

Solutio.

Diviſio Fernelii.

Alia diviſio.

Subdividuntur hæc febrium genera in plures ſpecies, de quibus ſuo loco.

loco. Notandum autem has febres fieri posse, ex sese invicem, spiritus ob tenuitatem facillimè, solida difficillimè accenduntur, humores medio modo se habent, & ubi calor semel horum alterum occupavit, nisi citò solvatur, reliquis eundem communicat, unde putrida ephemeræ, utrisque hectica succedere solet.

Quomodo autem hectica per se primum fiat, nullâ aliarum præcedente, suo loco explicabitur. Sed insuper accidentales differentiæ plures ab *Avicenna* recensentur, quæ etiam aliis morbis sunt communes, de quibus præclarè *Ioh. Argenterius* pathologicis suis libris tractavit.

II. Sed præter has divisiones est alia valde celebris & antiqua, & ad medendum utilis, in febrem morbum, & febrem symptoma. Febrem morbum vocabant veteres, ut docet *Gal. 4. aph. 63.* quandò absque aliquo aut dolore, aut eresipelate, aut alio affectu fiebat, si vero aut pleuritidi, aut Anginæ succederet, similique affectui, non amplius febris, sed pleuritis aut angina dicebatur, quod febris tantùm esset illorum symptoma. Idem docet *aphor. 42. lib. 7.* Sed illam rejicit *Avicen.* omnis enim febris est intemperies, & morbus, & ad nullum symtomatum genus referri potest, cum nec sit actio læsa, nec excrementum, nec qualitas simplex. Ergo non est symptoma. Verumtamen per quandam similitudinem febris quæ alteri morbo succedit, potest dici symptoma. Primò quia sicut symptoma morbum sequitur, ita & febris proposita, alium morbum, ut pleuritidem. Secundò sicut symptoma aboletur ablato morbo à quo dependet, & ideò quà talè nihil indicat, ita & hæc febris, quæ casus est morbi, illius indicationes & curationem sequitur. Est tamen hæc divisio utilis ad medendum, & ea videtur *Galeni 1. ad Glaucon. 3. & 4. aphor. 60.* Et hæc de differentiis febrium. *Febris morbus. Febris symptoma.*

III. Febris autem cognoscitur per propria sua indicia, præsertim ex pulsu & calore, nam cum cor in febre afficiatur, pulsus immutatur, & calor per universum corpus diffusus à naturali differre percipitur. Itaque pulsus efficitur celer propter usum auctum, at non sufficit pulsus celeritas, nam & ab externis causis, sole, irâ, laboribus contingere potest; accedat oportet caloris acrimonia, sine ulla suspicione causæ procatarcticæ: Sed omnes notas breviter complexus est *Fernelius*: omnium febrium communes notæ sunt, *inquit*, *Pulsus celer & frequens, interdum etiam inæqualis, qui solius calidioris cordis est proprius, virium languor & imbecillitas, cum spontaneâ capitis gravitate, aut dissolutione,* *Dignotio febris.*

corpus quippe universum consentit laboranti cordi. Calor aut foris acer & pungens, aut intus certè molestus, qui & nonnunquam fervido halitu prorumpit è naribus: Unaquæque autem febris sua habet peculiaria signa de quibus suo loco.

Cap. III.

De causis Febrium.

1 Causæ febrium omnes vel procatarcticæ sunt, ut res dictæ non naturales, *aër, cibus, potus, somnus, vigilia, motus & quies, excrementorum retentiones, & animi pathemata*; vel antecedentes, humores & spiritus præter naturam calefacti. Has omnes *Galenus* ad genera quinque reduxit *cap. tertio primi. de diff. febrium*, & *cap. 2. lib. de caus. morbor.* ad calidorum viciniam, motus animi & corporis, putredinem, prohibitam transpirationem, & calida assumpta. *Prima est* vicinia calidorum, nam & insolatus, & longior in balneis & thermis mora corpus nostrum accendunt. Aethiopes facilè labuntur in febrem, quia sub ardenti cœlo semper versantur. Pariter intus in corpore bubones, inflammationes, tumores calidi, vicinis primùm partibus quem habent calorem impertiuntur, & ab his continuâ successione ad cor usque, corpusque universum eum diffundunt. *Motus* tum corporis, tum animi, quia spiritus humoresque agitant, & concitant, & ex agitatione attenuant, si diuturniores sint & violentiores calorem maximum ingenerant, maximè si accedat suscipientis dispositio, hinc corporibus impuris & cachochymis periculosa exercitatio. Febris ait *Avicenna* est calor accensus, non sicut caliditas iræ, & laboris cum non ultimatur. Non enim ab his causis procatarcticis semper in febres corpus labitur, nisi accedat & causæ vehementia, & corporis dispositio. Motus animi & pathemata variè spiritus commovent, interdum ab externis ad interna centrumque corporis, & contra, & hæc nunquam febrem faciunt, ut gaudium, verecundia, potius enim refrigerant, diffuso ad exteriora calore; sed priora validè corpus accendunt; in *irâ* siquidem fervent sanguis, spiritusque in præcordiis, & si calorem quem semel concepere, adeò retineant, ut *ultimetur*, febris fiet. *Tristitia* quidem spiritus ad interiora retrahit, qui in unum coacti facilè deinceps incandescunt, & postmodum fervidi in corporis habitum

Causæ febrium quinque.

Prima.

Secunda causa.

Pathemata.

tum expanduntur, sic hecticæ generantur, ut plurimum. Primùm quidem ex subito occursu opprimitur & suffocatur calor nativus, corque videtur quodammodo refrigerari, pulsusque evadunt minores. At tandem calor ille oppressus habet ἔκλαμψιν & fortius sævit. *Tertia causa* est putredo. Illa est quæ putridarum febrium tam frequentium author est & parens. Fit enim omnis ex calore extraneo, naturalem superante & vincente. Atque febrem excitat per vapores & fuligines putridas in cor delatas, & interdum per solam successivam alterationem, ut in ephemeris ex bubone, & ad viciniam calidorum refertur, quoties tumore vapor putridus ita coercetur, ut forasnon emicet. Unde dubium illud vulgare solvitur, ad quod genus causæ febrilis, inflammatio referatur. Etenim ex rationibus dictis, aut adputredinem, aut ad calidorum viciniam referri debet. Sed & putredo externa à nobis cum aëre inspirando attracta, tum spiritus, tum humores, tum reliquum corpus venenatâ suâ pernicie insigniter labefactat. Sed cum intestinis quotidie fæces humoresque plurimi insigniter putrescant, ut fœtor summus indicat, cur febres non fiunt? An quia intestina plurimum amfractuosa, & à corde dissita, putridos suos vapores non possunt rectà ad cor transmittere, ut docet *Hieronymus Mercurialis*. *Quarta causa* est prohibita transpiratio, quæ plurimos fervidos vapores intus coercet, calorisque consuetam temperationem prohibet, unde acrior evadit & ingeminatus effervescit. In corporibus quidem impuris quorum succi sunt acriores & temperies calidior febrem generat, in puris vero non semper, sed plenitudinem primum parit, quæ ubi gravis & molesta esse incipit, omnia in pejus ruunt, & non minus quam ex priori febris tandem subsequitur. Huc igitur pertinent quæcunque obstructiones generant, de quibus inter causas putridarum proprio capite agemus. *Quinta causa* sunt calida assumpta, sive medicamenta fuerint, ut confectio Anacardina, sive alimenta, aut nimis fervida, ut copiosior vini generosi, spiritus vini potus, alliorum, cæparum, piperatorum usus, aut jam vetustate putrescentia, quæ, in annonæ caritate, maximisque exercitibus, non minima causa est febrium malignarum quæ adesse consueverunt. Has causas alibi, in quatuor genera *Galenus* & post eum recentiores plurimi redegerunt, assumenda, facienda, retenta, & extrinsecus accidentia, de quibus *Pathologicis nostris* disceptationibus tractabitur. Prædicta itaque ut causæ morborum fiant, tria, requiruntur ex *Galeno de caus. morb. cap. 2.*

Tertia causa.

Quarta causa.

Quinta causa.

ut vehementer, ut debito tempore agant, corpuſque ſit diſpoſitum ad ſuſcipiendum cauſæ morbificæ vim, ſic Ruſticorum corpora etſi toto die ſub ferventiſſimo ſole verſentur, non tamen febricitant, ob corporum ineptitudinem. Ideò hic de aptitudine corporum ad febres ſuſcipiendas aliquid nobis dicendum, nam quædam corpora facilè febres incurrunt, ut Aethiopum *8. meth. cap. 8.* & Moecenas referente *Plinio libro ſeptimo*, ſemper febre laborabat. Alia difficilius febricitant, ut ſenilia.

De diſpoſitione corporum ad febres ſuſcipiendas.

11. Corporum itaque variam diſpoſitionem quod ſpectat, inter ſummos Medicinæ Principes *Galenum* & *Avicennam* differentia quædam eſt, ſed ea meo judicio levis, nec magni momenti. *Galenus* 8. meth. *Primò* ſtatuit corpora calida & ſicca, *ſecundò* calida & humida, *tertiò* calida tantum, *quartò* ſicca tantùm, poſtmodum temperata. Contra *Avicennas primò* ponit calida humida, *ſecundò* calida ſicca, *tertiò* calida tantùm, *quartò* humida tantùm, *quintò* frigida & humida, ſextò frigida tantùm, *ſeptimò* ſicca, *octavò* frigida ſicca. Sed hæc nimis ſunt generalia, non enim tanquam Ideam *Platonis* febrem in univerſum corpora recipiunt, ſed hanc illamve illius ſpeciem. Cum itaque plurimæ ſint febrium ſpecies, ad ephemeras, ſiccas, bilioſas, ac hecticas corpora calida ſicca maximè propendent, habent enim effluxus plurimos fuliginoſos, non vaporoſos ex *Paulo* & *Aetio*; eſt ſiquidem febris affectus, calidus ſiccus, non mirum ſi ſimili intemperie prædita corpora facillimè corripiuntur, hinc capræ ob caloris acrimoniam & ſiccitatem perpetuo febrire perhibentur. Sed pituitoſis frigida humida, melancholicis frigida ſicca, ſanguineis calida humida ſunt maximè obnoxia, & hæc ratio eſt cur Pueri, Juvenes & Viri & ſæpius & facilius febricitent quam Senes, aut Mulieres, propter corporis majorem fervorem, & peculiare temperamentum. Sic quoque tenues & macilenti hecticis, pingues & obeſi putridis facilè capiuntur, idque ratione temperamenti, quod ex ætate, habitu corporis, & ſexu æſtimatur.

CAP.

Cap. IV.

De Febre Ephemera.

I Singulas febrium species explicaturi, à diariis auspicabimur, tum quia hecticas & putridas præcedunt, tum quia sunt omnium simplicissimæ, curatu facillimæ, unde eas *Celsus* inter morbos non recenset. Est autem Ephemera febris à duratione sic dicta, quod viginti quatuor horarum spatium non excedat, propriè que est calor præter naturam in spiritibus consistens, hinc à levissimis causis accenditur, & augetur, mitissima est, utpote in aëreâ & halituosâ substantiâ residens, & facili ac levi vapore citissimè que solvitur, ob facilem subjecti dissipationem. Sunt autem spiritus tres, naturales, vitales, animales, secundum quam distinctionem *Avicen.* tres Ephemerarum species producit, cerebralem accenso animali spiritu ex solis ardore, cordialem accenso vitali, & hepaticam naturali calefacto ex alimentis. Etsi enim spiritus vitales accendi & effervescere semper oporteat; id tamen sæpissimè mediatè per animales & naturales patiuntur. Inediâ enim, crapulâ, & calidorum alimentorum usu naturales incalescunt, vigiliis autem, curis, insolatu longo, animales, hinc calor vitalibus communicatur, universoque corpori. Cum spiritus sint vel fixi vel influentes, rectè judicavit *Fernelius* insitos non calefieri, tenacior enim esset & diuturnior febris ac periculosior, si spiritus fixi accenderentur. In solis igitur influentibus calor hic consistit, & cum sanguini in venis & arteriis sint permixti, fieri non potest quin sanguis quoque plurimum incalescat, docente *Galeno 2. de febrib. cap. 9.* sed non primò in sanguine, verum in spiritibus calorem fundari ex superioribus capitibus colligi potest. *Definitio Ephemeræ & subjectum.*

II. Hujus autem differentia duplex statuitur, prima quæ uno die sponte solvitur, & κατ' ἐξοχὴν talis dicitur, secunda, quæ in plures dies prorogatur, & ephemera extensa vocatur, sive notha & illegitima, quam aliàs synochon imputrem quidam vocant; etsi in hac sanguis incaluerit, tamen ad diarias refertur, quod eandem cum iis naturam habeat, unamque accessionem eodem tenore à principio in finem exporrectam, unde sub unico genere potius *Galenus* eas complecti voluit, quam novum nomen fingere, duasque species constituere, & sic *Differentia.*

tria

tria tantùm febris genera constituuntur, Ephemera, putrida, & hectica. Verùm Ephemera extensa aliud quid diversum est à synocho imputri, quæ ad humorales febres potius quam ad spirituosas referri debet. Spuriæ enim & extensæ dicuntur, quæ ultra primum diem porriguntur, causâ scilicet perseverante, nam ex *decimo methodi cap. 2.* triplex colligi potest ephemerarum distinctio, *una* in quâ causa procatarctica recessit, quæ vera est & legitima, *secunda* in qua ea permanet cum obstructione pororum cutis, & synochus est imputris; *tertia* quæ sine obstructione in aliquot dies extenditur, quia causa adest quæ spirituum accensionem fovet, ob errorem *(inquit Galenus) ægri*, si balneo adstringente usus sit, si in vigiliis, curis, sollicitudinibus perseveret. *Medici* si ægrum inediâ maceret, præscribatque diatriton, effervescit enim calor jejunio qui cibi suavitate mitescit. Error quoque esse potest ex parte causæ, si putredo adsit & obstructio, diximus *cap tertio* quomodo per solam alterationem ex putredine interdum febris oriatur, quia putridus vapor ad cor non pervenit, sed solus calor extraneus, sic ex bubonibus fiunt diariæ. Id autem variis de causis contingit, *Primò* si locus à corde sit dissitus, sic in articulorum inflammationibus, & in ipsâ paronychiâ febris interdum accenditur, sed non putrida ob distantiam. *Secundò* ex ignobilitate loci, in scabie, furunculis, phymate, cæterisque externis cutis affectibus, febres interdum contingunt in solis spiritibus consistentes, docente *Avicenna 1. secundi libri. cap. 34.* *Tertiò* si affectus sit exilis. *Quartò* ex parte materiæ quæ non est subjecta cuilibet putredini, siquidem ex lacte in mammis collecto, ex catarrho salso cujus materia aut leviter putruit, aut tantum incaluit, febres fiunt diariæ, sicut & ex corruptione ciborum in ventriculo, *octavo methodi 5. & 6. Epid. sect. 4. textu 31.* sic quoque fiunt ex bubonibus, primo *de diff. feb. c. 7.* Et harum nulla ad synochon, aut veram Ephemeram referri potest, unde tertium genus constituere necessarium est. Ex obstructione quoque contingunt Ephemeræ, & si quidem humores fuerint acres, putrida fiet, si blandi, plenitudo generabitur, quâ calefactâ & accensâ succedit synochus. Ex dolore quoque fieri voluit *Avicennas*, sed potius ratione calidorum humorum quos dolor attrahit, tùm propter vigilias, animique motus qui in doloribus vehementibus spiritus accendunt; & hæc Ephemera statuitur ab *Hercule Saxoniâ* periodica, ut febris quæ arthritidem sequitur sæpè redire
* solet, novâ in articulos fluxione. Sed malè: periodicos enim morbos

vocam

vocamus, non qui reverti possunt, sic enim omnes morbi essent pe- *Saxonia*
riodici, sed qui naturâ suâ reverti solent, ut febris tertiana, quartana, *refellitur.*
antequam æger perfectè liberetur. Hujus generis non est ephemera, nam naturâ suâ perfectè sanatur, sed novâ causâ ingruente nihil obstat quin revertatur, & ideo hæc ephemera novus est morbus à priori distinctus, cum tamen periodi morborum non faciant novum morbum, sed tantum sint unius & ejusdem morbi variæ accessiones.

III. Causæ febris ephemeræ omnes sunt procatarcticæ, & referri *Causa.* possunt ad quatuor capita, ea quæ assumuntur, quæ excernuntur & retinentur, & quæ extrinsecus accidunt, quæ causæ primum spiritus tantùm inflammant, sed si vehementiores sint, hecticas & putridas producunt, unde ephemera si diutius duret in aliam febris speciem transire solet. Quæ assumuntur aër, cibus, potus, medicamenta calida intra corpus assumpta illud calore suo in consimilem intemperiem alterant, vel per accidens id faciunt, ut cibi in ventriculo corrupti, calorem putredinalem concipientes. Sed & inedia humores accendit, & inflammat, ac demùm in solidas ipsas partes agit, earumque humorem substantificum populatur. Quæ geruntur sunt animi & corporis motus, de quibus *capite tertio* abundè diximus. Tertiò retenti calidi humores & excrementa, suam intemperiem corporis partibus in quibus hærent communicant, & si putredinem concipiant in aliud genus febris facessunt. *Quartò* quæ extrinsecus accidunt ea non uno modo calefaciunt. Per se quidem id præstant, sol, aër, ignis, calidorum applicatio, potissimum in corporibus calidis, & rarioribus, quæ humoribus calidis & fervidioribus abundant. Per accidens calefaciunt frigida, & adstringentia foris admota, ut aër frigidus, balnea aluminosa. Hæc enim poros cutis densant, calidas expirationes cohibent, quæ in corpore retentæ, vel ex suâ naturâ quod calidæ sint, vel quod putrescunt calidorum morborum causæ fiunt. Id autem facilius præstant in corporibus quæ jam antea incaluere, aut nonnihil adstrictos poros habent. Qui ex laboribus, cursuque æstuant, & subito aëri frigido, vel balneo se committunt, febribus corripiuntur, reseratis enim poris, facilè frigus in interiora sese insinuat. Quibus vero pori jam adstrictiores sunt, frigore externo planè occluduntur. Et ab his causis generantur febres ephemeræ, non eæ quidem semper veræ & legitimæ, sed interdum spuriæ, quæ ultra unum diem perdu- *Signa.*
rant, de qubus superius diximus.

Primum. IV. Signa generalia omnium febrium deinceps ex quinque fontibus petemus, ex *qualitate caloris*, *ex pulsu*, *ex urinis*, *ex forma febris*, & demùm *ex causis*. Itaque quod ephemeras ſpectat, *Calor* mitis eſt, ſuavis, naturali etiam in ſtatu quam ſimillimus, quia ex materia miti, minimeque acri & mordaci emergit, idque intelligendum reſpectu hecticarum & putridarum, nam ratione ipſius nativi caloris paulò eſt
Secundum. acrior, ut in ebriis, & laborantibus eſſe ſolet. *Pulſus* magnus & validus, celer & æqualis, non ut in principiis putridarum ſubmerſus & inæqualis, niſi ex mœrore, inedia, vigiliis, labore, cruditate, febris orta ſit, in quibus virtutis debilitate pulſus minuuntur etiam ſine ulla febre: Præterea diaſtole velocior eſt ſyſtole, quia refrigerationis tantùm maximus eſt uſus, ſed fuligines nullæ aut paucæ fatigant. Ob eandem rationem inſpiratio major eſt expiratione, reſpirationis enim & pulſus eadem eſt neceſſitas, ex *Avicen.* Pulſus præterea tandem in naturalem ſtatum redeunt, quod intermittentibus febribus non contingit, in quibus in ipſomet intervallo in pulſu remanent quædam caloris præter naturam veſtigia, & inæqualitas febrilis dicta cernitur.
Tertium. *Tertiò* urina à naturali, nec calore, nec conſiſtentia, nec hypoſtaſi differt, quia in ſpiritibus ſolis, non in humoribus reſidet. Si tamen aliud vitium acceſſerit, urinæ immutantur, ut in ephemeris ex cruditate urina apparet cruda & alba, non quidem ob febrem, ſed ob coctionis defectum, ob quem etiamſi nulla adeſſet febris, urina cruda foret, alias, inquit *Paulus*, urinarum primo die concoctio & caloris
Quartum. ſuavitas inſeperabilia ſigna ſunt diariarum. *Quartum ſignum* eſt ex formâ febris, ſeu καταστάσει, per quam intelligo diſpoſitionem & particularia tempora. Eſt enim κατάστασις νοσημάτων, ut ſcribit *Gal.* cap. 4. primi de criſ. ἐκ τῶν ὅλων τοῦ νοσήματος καιρῶν ποιὰ σύνθεσις. Itaque incipit ſine rigore, aut frigore, quia tota cauſa venis continetur, eaque blanda & mitis, quanquam interdum leviſſimus horror ſoleat apparere, vapore acri per cutim delato ex *Avic.* idque in calidis & ſiccis corporibus poſt laborem & inediam, in quibus ſunt humores acres qui moventur à calore extraneo, aliàs ratione ſui non ſolet diaria ullum habere rigorem aut frigiis, ut docet *Gentilis in com.* Augmentum in calore & pulſu liberum eſt & æquale, cum nulla materia calorem ad interna revocet, aut opprimat, ſtatus ſine gravibus ullis ſymptomatibus. Declinatio cum madore facilis, quam integra ἀπυρεξία ſolet excipere. Fiunt autem madores non ſudores, quia materia non eſt humida, ſpirituoſa,

ex

ex calore autem accenso vapores in cutim feruntur benigni & mites, qui in cute condensati madores illos pariunt. Quod si sudor copiosus fuerit, tunc non est Ephemera, inquit *Avic. cap. de diaria*. *Quinto* proprium est diariarum non nisi à procatarcticâ causâ generari, estque signum quod & omnibus & semper convenit, sed non solis, putridæ enim plurimæ etiam à causâ procatarcticâ originem habent. Objicies bubones & cruditates à quibus fiunt diariæ, quæ tamen causæ sunt abditæ non evidentes, & externæ. Cui dubio tripliciter respondere possumus. Primùm quidem ephemeras à manifestis & procatarcticis causis generari sed non perpetuò immediatè, sed per alios affectus, quâ ratione à bubonibus fiunt, cum bubo ipse ab evidenti causâ fuerit ortus, ex *Galeno*, *nono methodi & primo ad Glauconem*. Idem dicendum de cæteris inflammationibus si ab evidenti causâ ortum habuerint. *Secundò* dicere possumus ephemeras vel esse veras, vel spuriás. Priores quidem quarum abiit effectrix causa, semper à procatarcticis causis habent originem. Posteriores verò quæ causæ præsentia semper foventur, non perpetuò à procatarcticis, sed & ab internis causis fieri possunt. *Tertiò* procatarctica causa non semper est externa, sæpe in ipso corpore est, ut sunt animi pathemata, sed externa dicitur quod sit extra rei essentiam, ut *libro de causis morborum* explicabimus. Itaque quæ cruditates, obstructiones ab externo frigore factas, febres sequuntur, eæ omnes à causâ pendent procatarcticâ. Pariter illæ quæ sunt ex bubone, si bubo ab externa causa, ut laboribus oriatur. Et hæc sunt signa verarum ephemerarum.

Quintum.

Dubium. solutio triplex.

v. Sed spuriæ habent alia signa etiam putridis communia, quædam enim habent calorem mordacem, & acrem, horrores, nauseas, inappetentias, dolores, pulsus duros, parvos, ut si fiat ephemera ex vigiliis, *primo de diff. feb. 7.* interdum quoque inæquales, ubi materia os ventriculi obsidet, ex *loco citato*. Pariter adsunt interdum rigores, ut si fiant ex catarrho salso, aut à calidâ & acri quâdam expiratione in cute frigore externo cohibitâ, tum quando in cruditate nidorosâ humores quidam acriores facti os ventriculi valde sensibile vellicant. Symtomata quoque adsunt plurima putridarum, ut vix ab iis distingui queant & internosci. Observandum tamen calorem etsi mordax sit, non exurere plurimum ut in putridis, urinas colorem habere sæpè intensum, sed rarò cum substantiæ aut contentorum mutatione, pulsuum æqualitatem systematicam dilucidius apparere in ephemeris

Signa spuriarum diariarum.

quam putridis, ſed & hæc nonnunquam fallunt, undè rectè dixit *Galenus* diariæ cognitionem curatione longè difficiliorem eſſe. Singularum autem ephemerarum ſigna in ſequentibus explicabuntur.

Prognoſtica.

VI. Sunt autem ephemeræ omnes naturâ ſuâ ſalutares, & ſpontè ſæpiſſime ſine Medici auxilio finiuntur, quicquid de febre Anglicâ ab authoribus dicatur, erat enim putrida & humoralis, ut ſuo loco demonſtrabitur. Sed dubium quomodo febres quæ ex incenſis ſpiritibus fiunt, ſint adeò ſalutares, ex ſolâ ſpirituum diſgregatione & congregatione in extremis animi pathematis mors ſæpe ſecuta eſt, ut ex gaudio repentino, & timore. Reſpondet *Mercurialis* ſpiritus eſſe calidiſſimos, ita ut accenſi vix à propriâ naturâ recedant, & propterea ſine detrimento id patiantur. Iidem cum ſint tenuiſſimi & leviſſimi facilè evaneſcunt, ſed non ſine pernicie, una etenim cum illis univerſi corporis virtus exoluitur. Quamvis autem ſint ſalutares in alias febres degenerant, humorales & hecticas, idque errore vel ægrorum, vel Medicorum, vel miniſtrantium, mutantur autem prout majorem cum aliis habent ſocietatem, inter ſymbola enim facilior eſt tranſitus. Siquidem ephemeris maximè obnoxii ſunt calidi & ſicci, quorum corpus ſi cacochymum eſſe contingat facilis erit in putridas lapſus, præcipuè ſi error aliquis committatur, ſi corpus patens & nudatum aëri frigido objiciant, ſi vigilent, ſitiant, jejunent, exerceantur, vel cibis utantur acrioribus, in hecticas; in corporibus vero carnoſis, maximè ſi obſtructio adſit, in ſynochon putrem, vel imputrem mutatio fit. Cognoſcetur autem converſio illarum in Synochous, quando declinationis tempore dolor capitis, & ſymptomata quæ aderant permanent, vel augentur, corpus magis accenditur, facieſque fit rubicundior. Tunc quoque ſi putrida futura eſt, calor qui primum mitis erat fit acrior, urinæ evadunt crudæ, pulſus quaſi ſubmergitur, redditurque inæqualis. In hecticas verò ſi degenerent, pulſus fit durus, parvus & æqualis. Inter ephemeras periculoſiſſimæ quæ ex cruditate fiunt, ob vitioſorum humorum proventum.

Curatio generalis febris diariæ.

VII. Curatio hujuſce febris facilis eſt, ſola etenim victus ratione refrigerante humectante, & balneo curari poteſt. Hic purgationis & venæ ſectionis nulla eſt neceſſitas, niſi ut inquit *Avicen.* adſit ſatietas nauſeativa, materia obſtruens, aut totius corporis repletio, idque ut prohibeatur tranſitus in febres putridas. Victus ergo refrigeret, humectet, ſit εὔχυμος, καὶ εὔπεπτος, ad id optima eſt ptiſana hordeacea,

cibus

cibus veteribus valdè familiaris, sed non adeò nobis usitatus, optimè refrigerat & humectat, nullumque excrementum detinet, de cujus præparatione in methodo nostrâ generali abundè diximus. Carnes sint eupeptæ & delicatæ, præsertim auium montanarum, in aëre libero viventium, quæ enim domi altiles exercitio carent, excrementosæ fiunt, sicut & quæ in lacubus & paludibus degunt, tum quæ nimis antiquæ sunt & concoctu difficiliores. Jusculis quoque utatur quibus refrigerantes herbæ, *oxalis*, *borrago*, *cichorium*, *lactuca*, *endivia*, *portulaca* incoquantur, addito *succo citri*, *aceto*, *omphacio*. Pisces concedi possunt delicati, saxatiles, optimè præparati ex *Galeno 8. methodi*. Potus sit aqua, aut vinum tenue, aquosum, oligophorum, dummodo non adsit dolor capitis, catarrhus, aut insignis obstructio. Veteres ejusmodi vinum, valdè aquosum, album, inodorum & fermè insipidum, non his tantùm febribus, sed etiam in acutis concedebant, minimè enim calefacit, sed urinas, sudoresque promovet, per quæ morbi calidiores magnâ ex parte solvuntur. *Galenus* hoc vinum maximè laudat, quod in Galliâ nunquam vidi, nec puto ex uvis maturis ex primi, sed ex immaturis, ut maximè accedat ad omphacii naturam. Rhenanum album quod in Anglia me bibisse contigit, huic oligophoro simillimum est, generosius tamen quam ut ægris merum præscriberetur, sed paucâ aquâ temperatum concedi potest. In universum à vino abstinere satius erit, & maximè si ex inguine aut irâ febricitent, sed ejus loco optima erit *aqua hordei* quam ptisanam malè vocant, *cum succo limon. julepo violato*, *Alexandrino*, *syrupo capilli veneris*; Ante declinationem cibis solidis non utatur. Omnes animi passiones præter lætitiam vitentur, somnus sit moderatus, quies imperetur. Sed si febris ex vigiliis, inediâ longiore, aliisque causis inanientibus oriatur, cibus statim concedi potest, ne fiat transitus in ardentes aut hecticam, maximè si æger sit temperamento calidus siccus, aut biliosis abundet humoribus. In declinatione Balneum ingrediatur aquæ dulcis, quod humectat, poros aperit, & exhalationem humorum promovet, de quo plenius *capite de hecticâ* agemus. *Avicennas 4. Canon. cap. 9.* balneum prohibet, *primò* si timetur putredo, *secundò* quum adest obstructio ab humoribus crassis, *tertiò* in nauseativa satietate, *quartò* cum catarrhus adest, & revera Balneum olim veteribus familiare erat, sed hodie ægris importunum est, qui libenter eo, nisi in summa necessitate, & gravioribus morbis, non utuntur, plurimasque vidimus ephemeras sine

tantò apparatu spontè solutas. Et si timeatur conversio in putridas, blando cathartico, ut *cassia*, *syrupo rosar. solut. electuario lenitivo*, *catholico*, repurgetur, sanguisque mittatur. Et hæc est generalis curatio veræ ephemeræ. Ad varias igitur ipsius causas veniamus.

Curatio ephemeræ ex assumptis, sive ex cruditate. VIII. Febrem hanc diximus fieri interdum ex assumptis cibis & potibus, qui vel calore suo, vel corruptione corpus inflammant. Calore suo *allia*, *cæpe*, *aromata omnia*, *vinum generosum copiosius potum*, & hujus fundamentum est in hepate, quia cibi ad jecur attingunt. Cognoscitur immoderatâ siti, incendio hypochondriorum, urinæ ardore & rubore. Curatur blandâ vacuatione per prædicta cathartica, dein refrigeratione corporis per refrigerantes cibos, potusque, tum per balnea & epithemata refrigerantia hypochondriis admota. Et si contingat ex vino, curatio fusè capite de ebrietate, inter morbos capitis describetur. Fit quoque interdum ex ciborum corruptione, ex quâ vapores fervidi spiritibus permisti, tum illos, tum reliquum corpus accendunt, cruditas nidorosa à Medicis vocatur, Arabum interpretibus nauseativa satietas. *Dubium.* Dubitat *Valescus*, an ex eâ febris generari queat, hæc enim repletio calorem nativum potius obtundit, crudos plurimosque humores procreat, à quibus frigidi morbi & chronici pullulant. *Solutio.* Facilis est responsio, cruditatem esse duplicem, acidam quæ fit à frigido, nec febris causa existit, & nidorosam quæ caloris exuperantis soboles est, & proinde causa febris: Notat tamen *Trallianus libro duodecimo capite primo*, non ructum tantùm & cruditatem, sed & ætatem, temperamentum, reliquamque victus rationem spectari oportere, non enim semper nidorosus ructus à caliditate, sed ab ipsis interdum cibis provenit, quales sunt mellitæ placentæ, sic acidus interdum ab acidis, & acerbis cibis proficiscitur, quam quæstionem *cap. de cruditate & ructu*, fusè explicabimus. Fit ergo ex ciborum repletione, qui cum perdomari & coqui non possint, corrumpuntur, maximeque si acriores fuerint, aut facilè corruptibiles, aut etiam jam corrupti. Est autem vel in ventriculo & intestinis primisque viis, vel in toto corpore. Cum in primâ regione subsistit, ventriculum & hypochondria distendit, hinc tumor, inflatio, frequens borborismus, tormina, ventris vellicatio, nausea ructusque, capitis dolor. Quod si diutius in ventriculo remanserit, aut in jecur, venasque majores penetrarit, humores contaminans, putridam accendit, tunc urinæ primum redduntur tenues & aquosæ ac omnino crudæ, aut saltem leviter

viter tinctæ, poſt fiunt conturbatæ, cum divulſo ſedimento & inæquali, quod procedente coctione læve fit, album, & æquale, debilis enim calor & materiæ crudæ contumacia, hypoſtaſeos bonitatem interturbant, laſſitudo quoque ſpontanea adeſt, & interdum horror plurimus & longiſſimus, ſomnus gravis & moleſtus, pulſus inæqualis, obſcurus, parvus, calor faciei mutatus in lividum, plumbeum, aut pallidum, aut ſaltem alius à naturali. Febris hæc periculoſa evadere ſolet, mutatur enim in putridam, *Ventris ſegnities, vaſorum impuritas, omnium confuſio.* Itaque ſi prædicta ſigna perſeverent, malus ſcilicet faciei color, urinarum cruditas, pulſuum imbecillitas & inæqualitas, accedantque mentis & ſenſuum hebetudo, maximum impendet mortis periculum, copiam enim crudorum humorum oſtendit, quos vires imbecillæ ſuperare nequeunt & emendare, unde ſub hoc onere collabuntur & ruunt, & ſæpe ſuccedente ſyncope moriuntur; Ratione autem crudorum ſuccorum à quibuſdam inter pituitoſas refertur. Solet enim primum à ſpiritibus incipere, & in putridas degenerare. Sed *Hippocrates libro de flatibus* elegantiſſimè febrium ex prava victus ratione ortum declarat. *Fiunt autem*, inquit, *primum cum quis cibos copioſiores ingerit, quàm ferre poßit, nec exercitiis utitur, tum cum varios dißimileſque immittit, nam dißimilia* στασιάζει, *& hæc quidem celerius, illa tardius concoquuntur, tum cùm ciborum copiâ, plurimus ſpiritus intro ſubit, ut patet ex ructibus, in quibus flatus diſruptis bullis erumpit; Repleto itaque corpore tum cibis, tum cibis, tum flatulento vapore ex cibis generato, obſtructâ alvo, ac retentis in ventrè cibis, in univerſum corpus flatus ſubeunt, parteſque ſanguine refertas refrigerant, inde univerſum corpus horror occupat, & quò major fuerit horum flatuum copia & frigiditas, eo major eſt hic horror.* Et hic eſt ſenſus ſententiæ *Hippocraticæ*, in qua præterea plurima adſunt de rigore, & oſcitatione ſuo loco explicanda. Et vidimus ſæpe plurimos poſt ingluviem & crapulam toto corporis habitu per unum aut alterum diem valdè refrigeratos & interdum per vices incaleſcentes, ac ſtatim iterum horrore correptos, cum dolore capitis, aliiſque ſymptomatis, quæ ſpontè poſtea omnia ceſſabant, evictâ à calore nativo omni cruditate, quæ calorem ſui copiâ ſuffocabat.

Ad curationem autem ſpectandum, aluuſne ſoluta ſit an adſtricta. Fluere enim melius eſt, quam ſi inteſtinis & meſenterio cibi retinerentur: Cavendum tamen nè corrupti humoris mordacitate inteſtina violentur, quod fiet Clyſteribus acrimoniam temperantibus, ex *oleo*

amygda-

amygdalarum dulcium, *butyro recenti*, *decocto malvæ*, *altheæ*, *lactucæ*, *lapathi* & cæterorum ejusmodi. Conveniens instituenda diæta, quies, inedia, cibi parcitas, Vomitio aut alui subductio accomodata, quæ primas vias blandè expurget, ex *hierâ*. *rhabarbarb*. *sennâ*. *cathol*. *electuario lenitivo*, solus enim corruptionis nidor intus derelictus putridæ febris initium plerumque fuit. Ventriculus deinde roborandus internis, & externis, itaque foveatur *oleo mastichino*, *de menthâ*, *de absynthio*, *nardino*, fomentis quoque & emplastris, & si alui fluuus sit immodicus, adstringentia & aromatica sunt admiscenda, quæ simul roborent. Imponatur mica panis, aceto vel vino adstringente madefacta, cum pipere, cinnamomo, spica, mastiche, vel pulpa cidoneorum cocta, additis prædictis pulveribus. Sic fiant fotus, ex *rosis*, *coriandro*, *balaustiis*, *absynth*. *spica*, in vino adstringente decoctis. Pariter fiant litus ex simili materia ℞. *Olei cidonior*. *rosar*. *de absynth*. *spica ana* ℥ß. *mastiches*, *nucis moscat*. *cinnam*. *ana* ʒß. *ceræ parum M. F. linimentum*. Intus præbeantur pulveres diarhodon; aromatici rosati, similiaque stomachica. Cibus non administrandus, nisi cruditate superata & vacuatis excrementis; sed si aluus sit adstricta, aut saltem parcius fluat, retineri corruptos cibos contingit, vel in ventriculo, vel intestinis, quod cognoscetur ex doloribus vel sub umbilico, vel supra infestantibus, solent tunc flatus plurimi infestare, ideo præscribendi clysteres, qui & flatus discutiant, & dolorem leniant, & blandè vacuent. ℞. *Iusculi domi parati* ℔jß. *incoque florum chamæm*. *anet*. *meliloti*, *ana* P. j. *seminis anisi*, *fœniculi*) *ana* ʒij. *incolat*. *dissolve cassiæ extractæ*, ℥j. *cathol*. ℥ß. *olei chamam*. *butyri salsi*, *ana* ℥j. *sacchari rubri* ℥ij. *vitellum unius ovi*, *M. F. Clyster*. Si adhuc fuerint in ventriculo, blandis vomitoriis erunt sursum evacuandi, ex *hydrelæo* tepido copiosè sumpto, vitatis semper vehementioribus, quæ stomacho molestiam exhibent. In omnibus utilis erit blanda purgatio, ex mannâ, syrupo rosar. solut. rhabarb. & similibus, maximè si ex fugacium fructuum usu orta sit, ut sunt melones, cucumeres, persica, mora, ova, pisces frixi. Roborandus deinde ventriculus lana purpurea, ventriculo obductâ, mastiche, rosis & similibus jam dictis & dicendis in affectibus stomachi. Sed tamen calefacientia vetat *Trallianus*, etsi enim ad tempus prodesse videantur dissipatis flatibus, febrem tamen postea magis accendunt, ideo vinum prohibet, nisi vires suadeant, miraturque *Galenum* uti diatrion pipereone. Verum purgato corpore non nocet, ejus enim calor in primis viis extinguitur, nec venas subit, & ven-

& ventriculum debilitatum optime restituit in pristinum statum. Notandum tamen est ejusdem *Alexandri* remedium. Potum enim aquæ calidæ commendat, ubi cibus est in stomacho: Eluit enim, abstergit, & ad inferiorem ventrem cibum propellit, spiritumque incensum temperat, & melius remedium se non nosse ait, & revera est optimum. Et hæc de ephemera à cibo & potu, in quâ explicanda fuimus ideo longiores, quod frequentior sit, & aliarum febrium sæpè radix & origo. *. *Aqua calida.*

IX Sequuntur ephemeræ, quæ fiunt ex iis quæ geruntur, quales sunt animi corporisque motus. *Ex labore* igitur immodico & peregrinatione si fiat, lassitudinem habet comitem, artuum, musculorumque calorem, & dolores, siccitas adest partium pectoralium ob exhaustos humores, pulsus durus, parvus fit & debilis, ob contractam siccitatem, & resolutionem caloris spiritusque factam in labore. Curatio tota analeptica est, nequaquam discutiens & resolvens. Imperentur quies & otium, cibisque utatur boni & facilis nutrimenti; deinde ingrediatur balneum aquæ dulcis tepidum, cui peculiare est lassitudinem demulcere, dein ungatur corpus oleo dulci, ac tenui, ut *violato*, *liliaceo*, *chamæmelino*, aut balneum paretur ex hydrelæo, docente enim *Aristot.* in problematibus, hydrelæum melius lassitudinem solvit, quam oleum purum, ideoque *Galenus* unctionem olei post usum balnei præcipit. Sed ut docet *Alexander, libro duodecimo cap. primo.* corpus neque sit plethoricum, neque cacochymum, aliàs cum humores jam incaluerint, promptè putrida febris accersetur à balneo, maximè si victus improbus accesserit. Sed nunc sine balneo hæ febres curantur. *Ephemeræ ex corporis & animi motibus curatio.*

X. Si ex tristitia & timore generetur, aderit oculorum cavitas & dimissio ex resolutione, facies decolor & pallidior, ob spiritum intrò recursum, calor acris & mordax, pulsus parvus, languidus, rarus, durus, urina ignea, corporisque macies. Tunc animi hilaritas, tranquillitas imperanda, quæ cantilenis rebusque jocosis, minime seriis accersiri potest, sicut & optimis cibis, humectantibus, vini moderato potu, (animum siquidem exhilarat) & lætificantibus medicamentis, cardiacisque, *borrag. melissa*, *confectione alkermes*, similibusque: Balneum aquæ dulcis tepidæ tandem convenit. Quæ fit ex irâ, relatione ægri & adstantium cognosci potest, sed præterea pulsum habet magnum, frequentem, plenum, vultus coloratos, oculosque tumen-

tes. Prædictis utendum, bilis fervor temperandus victu potuque refrigerante, à vino omnino abſtinendum, aut eo non niſi valdè diluto utendum.

Ephemera ex excretis, & retentis curatio.

XI. Ex retentis ſuppreſſiſque excrementis ephemeræ interdum fiunt, ut ex aëre frigido, balneo aquæ aluminoſæ, ſi æſtuans & calefactum corpus derepente ab externis hiſce cauſis afficiatur, conſtipatis etenim corporis poris, & denſatâ cute, prohibetur effluxus vaporum, ſpirituſque accenduntur. Ægri relatione cauſa hæc deprehenditur, cutis arida redditur, pulſus fit durus & velox, calor primum mitis videtur, ſed longâ manus impoſitione acrior perſentitur, & ſi diutius cutis conſtipetur, periculum eſt ne putrida ſuccedat, in corpore cacochymo. In hâc laxanda omni arte cutis eſt, aperientibus & relaxantibus, ideo continendus æger optimè pannis coopertus, frictione & unctione molli utendum, & ſudorum provocatione. Fricetur igitur corpus manibus inunctis oleo chamæmelino, amygdalor. dulcium, anethino, cum modico nitri, & pauco vino albo. Sed & balneum calidum ad hæc utiliſſimum eſt, in quo aperientes herbæ decoquantur, ut *menthaſt. balſamita, fœnic. apium, petroſel.* cum radicibus. Quod ſi in balneo horror aliquis percipiatur, diutius non eſt immorandum, humores enim acres adeſſe horror indicat, unde putridæ futuræ metus impendet. Vinum quoque bibat album, mediocriter dilutum, caveatque ſemper ab omni frigore externo.

Ephemera ex vigiliis.

XII. Si ex vigiliis, longâ meditatione contingat, gravis fit oculorum motus, palpebrarum gravitas, faciei pallor; triſtitia vultus, urina perturbata, pulſuſque debiles adſunt. Ad curationem victu utendum humectante, curarum omnium ablegatione, tum ſomno vires exhauſtæ recreandæ, vinoque tenui & odorato reparandæ, & corpus balneo tepido ſine ſudore humectandum, ut plenius capite de vigiliis dicemus: Sicut ephemeræ ex bubone curatio capite de bubone tradetur.

Ephemera ex calidis externis facta curatio.

XIII. Ephemera quæ ex ſolis ardore, aut aëre fervido, aut aliâ externâ calefaciente cauſâ genita fuit, ut plurimum caput offendit, quamvis enim cerebrum aëre quovis ambiente calidius ſit ex *Galeno*, tamen radii ſolis ubi reflectuntur à capite, & ſolidis aliis corporibus vehementiſſimum calorem generant, ſed præterea univerſum corpus aëris fervor accendit, & per inſpirationem attractus, ſpiritus vitales, ipſumque cor inflammat, unde febris. Cognoſcitur autem tum ægri relatione,

relatione, tum quia caput grave redditur, cutis apparet ficca, oculi, faciefque rubent, pulfus magnus adeft, urinæ redduntur copiofæ, capiti admovendum eft oxyrhodinum vel fimplex, vel compofitum ex oleo nenupharino, papaver. violaceo, cum unguento populeo. Oxycratum quoque erit utilè ex aquis rofarum, plantaginis, folani cum aceto, ficut & embroche ex decocto rerum refrigerantium, atque his fyncipat, frons & tempora irrigentur. Victus ratio fit refrigerans, balneumque aquæ dulcis convenit, cui refrigerantes herbæ fint incoctæ. Et hæc fatis de ephemerâ. Si quis fingularum caufarum curationem exoptet, legat *Avicennam*, qui totam hanc doctrinam diligentiffimè explicavit, & plus quam neceffe eft.

Cap. VI.

De Synocho imputri.

1 SYnochon febrem, *Galenus nono methodi, capite fecundo*, dicit effe eam quæ unicam habet acceffionem à principio ad finem, fine ullâ evidenti mutatione, quam fub nomine continuarum complexus eft *Hippocrates*, fuit enim fynochy nomen ipfi ignotum, unde librum de natura humana fecundum, fpurium nec legitimum effe dicit, quod eo συνοχ nomen contineatur. Eft autem duplex, putrida, & altera fine putredine. Et hæc quidem, de qua hic agimus, de genere ephemerarum eft, ut placet *Galen.* & nos fuperius diximus, ideo diariarum tractationi hujus explicationem fubnectere placuit. Eft autem febris continua ex fanguine accenfo genita. Fervet enim in eâ fanguis, ut vinum in doliis, inquit *Aetius, capite 70. libri primi tetrabib. fecundæ*. Continuam diximus, quod fine ulla intermiffione ægrum affiduè fatiget, dum integrè foluta fit. In hac fimplex eft calor fine ullâ putredine, ut diftinguatur ab alterâ fynocho, quæ ex fanguine putrefcente generatur, de quâ inter putridas agemus. Quia calor febris hujus in fanguine non in fpiritibus fundatur, eam ab ephemeris diftinxere recentiores contra *Galeni* mentem. Docuimus differentias febrium defumi à triplici materia, fpiritibus, humoribus, & folidis partibus, eam quæ in humoribus confiftit duplicem conftituunt, quæ enim ab humoribus excalefactis fit, diftinguitur ab eâ quæ ex iifdem putrefcentibus oritur. Et *Definitio.*

 fanè

ſanè hoc ſenſu ſynochos à diaria maximè differt. Sed quia maximam habet cum diariis analogiam in calore, in pulſu, brevitate & cauſis, eam *Galenus* ſub eodem genere repoſuit, non ſiquidem à Febris ſubſtantiâ, ſed tantum à duratione ephemeræ nomen datum. Cum enim ſanguis in utraque incaleſcat, & tantum ſecundum magis & minus differant, fruſtra in duas claſſes diſponentur. Magis enim calent in ſynocho humores, quam in verâ diariâ, in quâ ſpiritus humoribus contenti magis fervent. Vocatur autem febris hæc de qua agimus ab aliis inflativa; accenſus enim ſanguis vaporem copioſum de ſe emittit, quo ægri corpus ſubtumidum & inflatum apparet. Eſt itaque hujus ſubjectum univerſa ſanguinis maſſa, vaſis majoribus inter alas, & inguina, contenta; quæ interdum bilioſior eſt, & febrem facit ſynochon bilioſam, quæ tamen non debet à priori diſtingui, quia non ex bile ſincera excandeſcente oritur, ſed ex ſanguine calidiori & fervidiori, imò univerſa maſſa cum accenditur videtur quodammodo bileſcere & attenuari.

Bilioſa ſynochus an detur.

Sed hic quæſtio eſt, an obſtructio in homine bilioſo, cum plurimam bilem coacervet, & ex prohibita tranſpiratione accendat, febrem non procreet bilioſam imputrem. Reſpondeo ſanguinem ſolum naturæ legem venis contineri, cujus pars tenuior bilioſus, craſſior melancholicus ſanguis vocatur, bilis verò utraque ſuis receptaculis continentur, niſi præter naturam propter cauſas plurimas bilis proventum facientes, vel quod ſanguis ipſe putrefactione in tales humores degenerarit. Hoc modo non dubium eſt quin bilioſa ſynochus detur, minimè tamen à priori diverſa, ut diximus, ſed abuſivè bilioſa dicetur, quia ex bile ipſa non generatur. Si enim bilis prædominetur, cacochymia eſt. Itaque ſi tunc obſtructiones adſint, febris quidem generabitur, ſed ea putrida. Omnis enim humor qualitate peccans ſibi relictus, putredinem concipit. Ideo ſanguis ſine putredine incaleſcit, quia à naturâ conſervatur, & calore nativo plurimo abundat, ideo tardius ab extraneo afficitur, quo enim ſingula fortiori calore prædita ſunt, eo difficilius à calore præter naturam corrumpuntur, ut vina generoſa. Reliqui autem humores, cum naturaliter non ſint in venis, ſi calorem extraneum concipiant, à naturâ de illorum conſervatione minimè ſollicitâ derelicti, facilè in putredinem labuntur. Fieri itaque ex bile ſynochus poteſt, ſed quæ erit ad putridas referenda, ut dicemus *capite de ſynocho putri*.

11. Gene-

II. Generatur autem ut plurimum ex diariis malè curatis ob errorem Medici, aut ægri, aut adstantium, vel propriis ex causis. Non autem ex quacunque diaria, nec in omnibus corporibus fit, sed ubi ephemeræ occasio stipatio fuerit, & obstructio, quæ si levior fuerit facillimè febris solvitur, si vero gravior, ultra unum diem porrigi solet, *nono methodi, cap. primo*, aut si levis aliâs obstructio malè curetur. Pariter nec in quibusvis corporibus *capite tertio libri citati*, non enim fit in frigida ætate aut temperie, nec in gracili aut calida, sed in carnosis plurimo sanguine abundantibus, calidisque excrementis refertis. Sed præterea quæ causæ sanguinem cumulant, & accendunt hujus febris sunt authores. Plurimi autem sanguinis proventus fit ex victu pleniori, euchymo, & polytropho; si corporis constitutio, præsertimque hepatis, calida fuerit & humida, ætas Juvenilis, anni tempus vernum. Proinde eos synochus invadit qui temperati sunt, aut calidiores humidioresque, ætate florente, habitu carnoso quadrato, qui in otio intemperanter lautè & opiparè vivunt, cæteras naturas, constitutionesque non attingit. Sed & otium, vita sine curis, exercitiis, cum animi lætitiâ, somnus longior, suppressæ consuetæ sanguinis evacuationes plethoram coacervant in vasis. Cumulatus autem sanguis accendi solet à causis calefacientibus quibus diaria ipsa succrescit, victuque calidiori, ut multo vini generosi potu. Sed maximè id patitur ab obstructionibus cutis, quibus omnis perspiratio & diaphoresis prohibetur, hinc retentis fugilinibus extraneum calorem concipit. Sic in tumoribus præter naturam suppurationem emplasticis promovemus, quibus effluvium caloris naturalis retinetur. *Causa.*

Hæc igitur obstructio, si corpora corripit, sanguinea, pura & temperata, plenitudinem tantum auget, & hanc facit synochon. Si vero cum sanguine humores acres & pravi fuerint, putrem synochon parit, augetur scilicet sanguis, simulque putrescit. Non quævis autem plenitudo huic febri generandæ, idonea est, sed ea demum quæ ad vasa est, *ex nono methodi:* quæ plenitudo ubi gravis esse incipit, bonitatem naturæ suæ amittit. Quæ vero ad vires plethora vocatur, ea nec copiâ suâ ora venarum obstruit, nec tumorem parit, nec transpirationem prohibet.

III. Triplex autem hujus febris differentia statuitur. Vel enim æqualis semperque similis sibi febris toto morbi decursu permanet, & ὁμότονος vocatur, in quâ quantum dissipatur tantum recens inflamma- *Differentia tres.*

tur vel calor quotidiè invaleſcit, quod inflammatio, diſſipatione ſit major, & σύνοχος fit ἐπακμαστικὴ increſcens, aliàs plus diſſipatur, quam recens inflammetur, tum ſenſim calor imminuitur, dum prorſus deſinat, & παρακμαστικὴ dicitur. Docet autem *Galenus 6. Epid. ſect. prima textu 29.* hæc nomina fuiſſe olim veteribus ignota, ſed à recentioribus inventa ad diverſos harum febrium modos diſtinguendos, non ad diverſas earum ſpecies conſtituendas. Contingit autem plus reponi quam diſſolvatur, cum plurima eſt obſtructio, quæ in dies aucta omnimodam vaporum tranſpirationem prohibet, materia ſubeſt multa, cauſæque calefacientes ſunt validæ, contrariis ex cauſis plus diſſolvitur, quam gignitur. Non enim in ſynocho ſemper omnimoda adeſt vaporum & fuliginum retentio, ſed aliqua interdum perſpiratio reſtat, quæ ὁμοτόνου & παρακμαστικοῦ occaſio eſt. Cum igitur harum febrium quædam ſemper augeantur, aliæ continuo decreſcant, quæritur an quatuor percurrant tempora. Reſpondeo neceſſe eſſe humorem morbificum concoqui, ſi morbus ſolvi dibet, ideoque hic adeſſe quatuor tempora, ratione concoctionis & digeſtionis materiæ, etſi tempora morbi & ſymptomatum perpetuò non omnia appareant.

Signa. IV. Habet autem ſigna cùm ephemeris communia, & eadem, ſed aliquantum manifeſtiora, blandus eſt calor, minimè mordax & acris, ob ſubjecti benignitatem; pulſus æqualis, magnus, plenus, frequens & velox. Urinæ naturalibus ſimiles, niſi quod ſint aliquautulum rubeæ, & craſſiores. Incipit ſine rigore, horrore & frigore, totum corpus, ſed maximè facies, inflammatione ruboreque ſuffunditur. Venæ copiâ diſtentæ multum turgent & inflantur propter ſanguinis copiam & ebullitionem, inde diſtendens laſſitudo omnes artus occupat, caput dolet & ingraveſcit, tempora validè pulſant, ſomnus interdum corripit, etiam profundior ex blandâ ſanguinis anathymiaſi in cerebrum. Fit tantùm in juvenibus carnoſis, ætateque florente, cauſæque præceſſerunt prius recenſitæ ſanguinem cumulantes & accendentes. Solet autem eſſe ſalutaris, facillimeque ſolvitur, ſi remedia promptè adhibeantur, aliàs in putridam mutatur aut cauſon. Sed & fervidus ſanguis cum vaſis contineri non amplius poſſit, erumpens ſuffocationes, ereſipelata, bubones, vel internas inflammationes, eaſque valdè periculoſas ſubito plerumque producit. Tutior eſt quæ decreſcit, peſſima quæ augetur, ob minorem reſolutionem, ſolvitur ſudore, hæmorrhagiâ, vel, exanthematis.

V. Qui-

v. Quibus ut occurramus ſtatim vena ſecanda, ut ſanguis inflammatus refrigeretur, & vacuetur, inflammationum periculum evitetur, inſigniſque illius quantitas eſt detrahenda, cum in plethoricis tantùm contingat, non quidem ad animæ deliquium, ut dixit *Galenus*, ſed potius bis terve iteranda, ſic enim commodè & tutò plethora vacuatur, natura mole oppreſſa recreatur, ſicque confirmata reliquum facilius expellit, alui profluvio, vomitu, ſudoribus. Et quidem vacuatio ad animi deliquium fieri non poteſt, niſi in ſummo virium robore, non tantùm vitalium, ſed etiam naturalium & animalium, aliàs periculum eſt, ne aut cachexia aut hydrops, aut apoplexia contingat, ubi facultas naturalis & animalis imbecilla eſt. *Galenus libro de phlebot. cap. 12. & nono methodi* duos vidit in manibus Medicorum periiſſe, alios ex hac larga profuſione ſanguinis in graveis & exitiales morbos incidiſſe. Præterea cur mittetur ſanguis ad deliquium, cum iterata venæ ſectio plethoram commode eximat & corpus poſtea refrigerantibus remediis commodè temperetur. Itaque copioſè quidem mittatur propter plethoram, ſed ſemper vitatâ lipothymiâ. Secetur autem vena baſilica brachii, quæ copioſè de corporis trunco & magnis vaſis vacuare ſolet. Sed ante molli clyſtere & refrigerante alvus ſolvatur, ne cacochymia primæ regionis in venas majores rapiatur. Convenit quoque, enematis loco, blanda catharſis ex *Syrupo roſarum ſolutivo, violato, diapruno, catholico*, aliiſque benignioribus, quibus cacochymia, ſi quæ adſit, blandè tollitur. Dein exhibeantur ea quæ fervorem ſanguinis extinguant, putredinemque, in quam facilè convertitur, prohibeant, quod utrumque commodè acida præſtant, bilis enim fervorem compeſcunt & retundunt, oris amaritudinem & ſitim emendant, putredinique obſiſtunt, ut ſunt *Succi granatorum, limonum, acetum, omphacium*, quæ cum aquis hordei, vel ſtillatitiis herbarum refrigerantium liquoribus in julepi formam ſaccharo addito commodè concinnantur, ſimplex fieri hoc modo poterit ℞. *Aquæ fontanæ* ℔j. *aquæ roſar. ſacchari albi ana* ℥iiij. *aceti vel omphacii, ſub finem injecti* ℥ij. *coque in julepum.* Compoſitiores erunt ſequentes ℞. *aquar. endiviæ, portul. plantag.* maximè ſi alvus profluit, *ana* ℥iij. *ſucci granator. limon. pomor. redolent. ana* ℥ij. *ſacchari albi, vel roſar. tabulati* ℥ij. *coque lentè dum deſpumaverint*, & fiat Julep. Succorum penuria ſyrupi officinales *limonum, granatorum, oxyſacchar ſimplex, de endivia, de ribes, de nymphea, violatus*, aquis prædictis admiſceri poſſunt, addito etiam interdum ſpiritu vitrioli, qui gratam Curatio.

tam aciditatem aquæ conciliat, & valde cuilibet corruptioni adversatur. Sed & tincturæ violarum, rosarum, quæ ejusmodi spiritu secundum chymicorum artem eliciuntur maximè sanguinis fervori temperando sunt idoneæ. ℞. *Syrupi violati vel julepi violati* ℥ij. differunt quod ille ex succo, hic ex aqua violarum paretur, *Syrupi de ribes* ℥j. *aquæ hordei* ℥vj. *tincturæ rosar. vel violar.* ℥iij. *M. F. Iulep.* Sed aquæ frigidæ potus omnium optimè sanguinis ardorem compescit, modo ad satietatem usque sumatur, observatis iis cautionibus *quas Galenus libris methodi explicavit*, de quibus cap. de putrida continua agemus. Id tantum hoc loco notandum, quando *Galenus* frigidam dari vetat, ante signa coctionis, id intelligendum esse de febribus putridis, nam in hâc febre in qua nulla putredo fatigat, potest administrari etiam in principio, modo cæteræ adsint conditiones, scilicet si nulla sit obstructio in visceribus, nulla inflammatio, aut ventriculi imbecillitas, ut *loco citato* plenius explicabitur. Externa quoque remedia admovenda sunt, siquidem renes, in quibus sæpe maximus ardor persentitur, inungi debent *Cerato Galeni* refrigerante, vel unguento santalino. Cor præterea & jecur epithematis appositis alterentur. Sed balneum aquæ dulcis in declinatione competit, ad cutis obstructiones solvendas, ut sanguinis vaporibus perspiratio concilietur, post quod oleo humectante, ut chamæmelino, corpus inungendum. Id docet *Hippocr. libro de locis in homine. Si laßitudo, febris, & plenitudo detinuerit multa aqua lavare oportet & liquido illinere, & plurimum calefacere, quo calor aperto per sudorem corpore exeat, hacque tribus, vel quatuor diebus facienda, quod si non sedetur, medicamentum cholagogum propinato*, tunc enim nisi ex prioribus remediis cessaverit, in putridam degeneravit, ut alibi dicemus, *& febrem perfrigerato, antequam ad quartam diem pervenerit.* Ita πὲρ τεταῖον explicandum puto, non ut *Foesius priusquam ad quartanam deveniat.* Etsi enim interdum in quartanas febres degenerent, non est tamen hoc admodum familiare, potius in tertianas, ab humoris affinitatem, sed noluit summus Præceptor, febrem omni arte refrigerandam & compescendam ante diem quartam, vix enim solet ulterius hæc febris prorogari, quin in putridam transeat, sic alibi docuit morbos ex sanguine intra diem quartam judicari.

Aquæ potus. *. *Foesius notatur.*

Victus. Victus ratio sit tenuis & parum nutriens, ut ptisana seu cremor hordei, lac amygdalinum, sive emulsio ex seminibus frigidis majoribus. Ideò interdicimus usu vini, carnis, & eorum quæ multum sanguinis

guinis generant, & corpus calefaciunt, ſed poma & pruna cocta concedimus, & ſi vires aut conſuetudo tam tenuem victus rationem averſentur, juſcula concedi poterunt carnium optimarum refrigerantibus herbis alterata. Eo autem tempore cibus præbeatur, quo per ſanitatem conſueverat, quod in continuis omnibus morbis qui non habent ἀνάπαυσιν, & citra exacerbationem fatigant, eſt obſervandum. *Hippocrates* autem tertio de rat. vict. ita procedit. *Si febris* inquit, *ex plenitudine detinet, nihil præter aquam offerendum vult*, qui victus valde tenuis eſt) *per dies tres, ſiquidem intra tertiam ceſſarit. Si non, ptiſanæ ſucco utendum, & vel quarto, vel ſeptimo die abibit, ſi ſudaverit. Optimum autem ſub criſeos tempus unctionibus uti ſudorificis, ſudores enim cogunt.* quæ brevis ſententia valdè conſentit prædictis, & putridis etiam continentibus convenit, & expoſitionem noſtram ſuperioris ſententiæ valdè confirmat, niſi enim tertiâ die finierit antequam ſit τεταρταῖος ad ſeptimam porrigitur, & putrida evadit. Et hæc de ſynochi curatione.

Cap. VII.

De Febre hectica.

1 FEbres hecticæ ἀπὸ τῆς ἕξεως nomen habent, tum quia corporis habitum occupant, tum quia ſunt δυσλύτοι, utrumque enim ἕξεως nomen complectitur. Non quod ſemper ſint in habitudine, nam quædam facilè amoventur, ſed quod ſint in ſolidâ corporis ſubſtantiâ, hecticæ vocantur, etſi maraſmodes etiam ſint in habitudine. Eſt igitur calor præter naturam æqualiter accenſus in ſolidâ cordis ſubſtantiâ, ad differentiam putridarum & ephemerarum, in quibus, ut diximus, capite primo hujus tractatus, ſolida, inæqualiter tantum ſunt calefacta, in hectica vero æqualiter. Per ſolidam autem partem intelligimus omnem quæ ab humoribus & ſpiritibus diſtinguitur, quam *Hippocrates* nomine continentium complexus eſt. Quidam definitioni addunt ſiccitatem. Sed ex *Gal. primo de febribus cap. nono.* dantur hecticæ, in quibus ſola rorida humiditas effervеſcit, nec dum conſumpta eſt. Et quidem *Alexander Trallianus* vocat hecticas has in quibus partium ſolidarum ſubſtantia effervеſcit, ubi vero conſumpta eſt, vocat maraſmodes, ſed ubi omnino abſumitur, vocat maraſmum, ita ut inter hecticam & maraſmum differentia quædam ſit. *Definitio.*

F II. Sunt

Differentiæ. 11. Sunt autem febrium hecticarum gradus vel differentiæ tres, ad quarum intelligentiam ex *Phiſiologicis repetenda* eſt humorum ſecundariorum diſtinctio. Sunt autem variæ ſanguinis præparationes, antequam in partium ſubſtantiam immutetur. Sanguis cum primum è magnis vaſis in minora quæ ſingulis partibus natura dedit, exciderit, ab illis ita immutatur, ut partis naturam quaſi aſſumat, & fit primus ex ſecundariis humoribus, & propriè eſt tantùm ſanguis elaboratior & perfectior, qui proximum partium alimentum futurus eſt. Sed ubi jam ex parvis illis vaſis excidit, & in ſimilarium ſpatia roris modo diſpergitur, illiſque adjungitur & apponitur, propriumque fit partium alimentum, ros vocatur, & à nonnullis humor alimentarius. *Galenus* vero σύμφυτον appellavit, non quod nobiſcum ſit natus, ſed quod ſimilaribus partibus ſit inſitus. Hic coactus concretuſve cum partibus agglutinatur, & ſolidis fibris adhæreſcit, aſſimilaturque, gluten dicitur & carniformis, eſtque non niſi carnoſa & adipis ſubſtantia. Sed cum jam perfectè mutatus & aſſimilatus fuerit, tunc ſolida fit partium ſimilarium ſubſtantia, ex *Galeno*. Alii Cambium vocant, quia ex aſſimilato perfectè alimento generatur. Aliis dicitur primigenius humor, inſitus, humidum radicale. His quatuor humoribus quatuor ſiccitatum genera *Galenus* oppoſuit, ſeptimo methodi cap. 6. *Quod ſenium eſt in ſanis, id ſicca intemperies eſt in ægris, itaque etiam inſanabilis eſt, ſi prorſus ſit conſummata, nempe ubi ſolida partium ſimilarium ſubſtantia reddita fuerit ſiccior. Nam eſt & altera ſiccitas, quum ea quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, ſicut caro & adeps ſunt liquata. Etiam tertia, quum propria humiditas unde partes nutriuntur omnino abſumpta eſt. Continetur ea in omnibus animalis partibus ceu ros quidam per ea ſparſus. Quarta ab iis diverſa ſiccitas eſt, quæ in propriis cujuſque particulæ exilibus arteriis, veniſque conſiſtit. Provenit & hæc ex ſanguinis penuria.* Hæc *Galenus*. Ex quibus perſpicuum eſt, primam ſiccitatem eſſe quando ſolida ſubſtantia comſumitur, aut cambium. Ut vero quarti humoris conſumptio primam eamque peſſimam ſiccitatem efficit, ita tertii conſumptio ſecundam, ſecundi tertiam, & primi quartam, quæ omnium facillimè curari poteſt. Ex his ſtatuunt Medici tres febris hecticæ differentias, non quatuor, cum quarta illa ſiccitatis differentia quam *Galenus* vult dari, eorum ſit humorum, qui in venis arteriiſque continentur, quorum conſumptio etſi hecticæ ſit perpetuo comes, non conſtituit tamen ullam illius differentiam, quia omnis hectica in ſolidis eſt partibus. Potius febrem

facit

facit ſynochon aut putridam, ſi humor ille putreſcat, aut efferveſcat, ut vult *Avicennas*, *lib. 4. ſen. 1. tract. 3. c. 1.* Cum enim humor iſte à ſanguine quam minimum differat, putreſieri poterit & inflammari. Vel ut vult *Gentilis*, conſumptio iſtius humiditatis confunditur cum abſumptione roridæ, unde unam eandemque ſimul conſtituunt hecticæ ſpeciem.

III. Tres itaque tantum ſunt hecticæ gradus. *Primus* quando everti cordis temperies incipit, ſed nondum virtus laborat, tantum humiditas alimentaria efferveſcit, *Secundus* quando conſumpta ea eſt, etſi alimento poſſit reparari. *Tertius* quando radicale humidum caloris nativi fundamentum & ſubjectum abſumitur, quod quia ſpermaticum eſt, nec alimentis, nec remediis reparari aut reſarciri poteſt, ſufficit ſi ulterior exſiccatio prohibeatur. Maraſmus vocatur περιφρυγὴς ſeu torridus, ad differentiam illius maraſmi, qui vel frigori, vel ſenio ſuccedit. In his hecticæ differentiis prædicti humores inſenſibiliter abſumuntur, contra quàm fieri ſolet in ardentibus, in quibus ex vehementiâ caloris caro & adeps colliquantur, & defluunt in ventrem, unde dejectiones fiunt pingues, urinæ redduntur ἀραχνοειδεῖς, & oleaginoſæ. Non tamen credendum eſt calorem hecticarum majorem eſſe calore ardentium, quod quibuſdam placuit, cum difficilius eſſe videatur materiam per halitum diſſipare, quam ſenſibiliter eliquare, attamen calor mitis & diuturnus, ac altè corpori inſidens inſenſibiliter humores reſolvit, vehemens vero eos fundit & colliquat.

IV. Verum hic quæri poteſt, an diviſio iſta febris hecticæ ſit diviſio in veras ſpecies. Reſpondet præſtantiſſimus *Avicennæ* interpres *Gentilis*, hecticam minimè dividi in ſpecies per conſumptionem humiditatum, quia non eſſet febris facta, ſed fiens & à causâ dependens, quod repugnat doctrinæ *Galeni*, ſed potius ſunt varii febris gradus. Calor enim, cum occuparit ſolidas omnes corporis parteis, conſumit humiditatem roridam, dein gradatim reliquas ſubſtantias populatur, ut docet *Avicennas* exemplo Ellychnii, eadem flamma primò abſumit oleum lucernæ, dein oleum lychnio imbibitum, demùm illius humiditatem, & tamen non migrat de ſpecie in ſpeciem. Sic in hectica idem numero calor per varios gradus univerſum corpus tandem depaſcitur & abſumit. *Quæſtio.*

Ex his emergit aliud *dubium*, cum hectica ſit intemperies æqualis, an humores & ſpiritus ſint ita calefacti, ut adſit ephemera & putrida. *Dubium.*

Reſpondeo cum *Saxoniâ* ſimul adeſſe ephemeram cum hectica, & aliam quæ fit ex humorum effervescentiâ, non tamen putridam, quia etſi in hecticis humores incaluerint, non ſunt tamen putridi, ideoque humoralis, non tamen putrida dici debet, etſi interdum hectica putridæ conjungatur, ut inferius dicemus. Cæterum quod dicunt Medici æqualem intemperiem eſſe in hecticâ, dubitationem patitur, non ſunt enim hectici ſecundum omnes partes æque calidi, ſed partes quædam ſunt aliis calidiores, ſicut in aliis febribus, ut cor calidius hepate, nec poterit unquam cutis ad cordis calorem trahi. Videtur igitur etiam adeſſe inæqualis intemperies. Reſpondeo calorem in hecticâ non dici æqualem, quod ſit in omnibus partibus ejuſdem gradus, ſed quia in ſingulis partibus ſecundum proportionem ipſis debitam omnino mutatus eſt, ſicut in ſanitate eſt calor æqualis, quamvis ſingulæ partes eundem gradum caloris non poſſideant, in putridâ ſic non fit, non enim prout pars quæpiam calidior eſt vel frigidior eò magis vel minus caleſcit, ſed prout à putreſcente humore magis minuſve afficitur, aut propinquior eſt parti in quâ eſt morbi fomes, in hecticâ autem quia calor factus eſt, & in naturam corporis abiit, ſervat in ſingulis proportionem ipſis debitam.

v. Rurſus duplex conſtitui poteſt maraſmus: vel enim fit à cauſis præternaturalibus, ut febribus, vel à cauſis naturalibus, ut ſunt ætatum mutationes, & vocatur ſenium, in quo humidum primigenium ſenſim contabeſcit. Uterque maraſmus vel ſimplex eſt, vel compoſitus, ſimplex quando ſola adeſt ſiccitas ſine frigiditate aut calore excedente. Compoſitus, quando ſiccitati aliqua activarum qualitatum conjungitur, ſi calor adſit, propriè eſt febris maraſmodes, & ſi annexa ſit ſyncope, ſyncopalis vocatur. Si frigida adſit intemperies vel ex ſenio, vel ex morbo, maraſmus *Philippi* dicitur. Prior hecticæ differentia, quæ à cauſis fit præternaturalibus, dupliciter generatur, vel à principio ephemeræ inſtar, ex cauſis procatarcticis, irâ, mœrore, ſiti, inediâ, vel aliorum morborum conſectaria eſt. De priori meritò dubitatur an fieri poſſit, nam tenuia corpora facilius alterantur quam craſſa; hinc neceſſe eſt calorem prius ſpiritibus & humoribus concipi quam in ſolida graſſetur, quibus addi poteſt *Argenterii* argumentum. Si calor in univerſum corpus defertur mediante ſpiritu & ſanguine, neceſſe eſt illum prius ſpiritus & humores occupaſſe quam ſolida. Præcedit igitur hecticam ephemera & humoralis. Contrarium tamen ſtatuit

tuit *Galenus 1. de diff. feb. cap. 8.* quamvis id rarò contingere fateatur, nec in omnibus, ſed iis tantùm, qui calido, ſiccoque ſunt temperamento, & propterea facilè exſiccari poſſunt, ſi vigiliæ, curæ, labores, inedia, ira, & vehementior cauſa acceſſerit. Quod vero dicitur tenuia facilius alterari quam craſſa, id cæteris paribus verum eſſe quidam fatentur, fieri tamen interdum poſſe, ut ſolida prius quam ſpiritus incaleſcant, magiſque ad id diſpoſita ſint quam humores ipſi. Sic facilius ligna tenuia comburuntur quam craſſa; cæteris ſcilicet paribus, nam ſi craſſa valde ſint ſicca, tenuia autem ſint viridia, haud dubiè facilius craſſa quam tenuia ignem ſuſcipient: Ità de ſolidis noſtri corporis partibus dicendum eſt, quæ ob temperamentum calidum & ſiccum facilius inflammari poſſunt, quam contenta, ſi ea aut propter malam victus rationem, aut ob alias cauſas fuerint temperatiora, ut docet *Maſſaria*. Verum non video quomodo hæc conſtare poſſint. Fatemur quidē ſine præcedente febre hecticam cauſæ ſolius procatarcticæ vi poſſe generari, ſic per labores æſtuſq; immoderatos videmus corpora noſtra maximè emaciari, nihil igitur prohibet, quin ex iiſdem cauſis febrem incurrant. Sed id fieri non poſſe arbitramur ſine ſpirituum & humorum accenſione: mœrores, æſtus, inedia, ira, ſpiritus omnium maximè commovent & exagitant; iram fervorem ſanguinis circa cor omnes definiunt non cordis fervorem. Verum cauſæ hæ externæ non primum humores, & deinde ſolida, ſed ſimul eodemque tempore univerſum corpus calefaciunt & ad febrem hecticam diſponunt, & continuâ actione maximè ſi calidum ſiccumque ſit corporis temperamentum in illam præcipitant, etiam ſine præcedente ullâ febre, etſi talis diſpoſitio non ſtatim, ſed longo tempore in corpus poſſit introduci, idque citius aut tardius pro corporis diſpoſitione & cauſarum efficaciâ. Fieri igitur à principio ità intelligendum eſſe putamus, quod nullo alio præcedente morbo ſolius cauſæ procatarcticæ vi & actione contingat, quamvis id rariſſimè fiat. *Longinquum eſt*, inquit, *Avicen. ut accidat hectica incipiendo, & radicalia membra inflammentur ante humores & ſpiritus, ubi difficultatem generationis oſtendit, non impoßibilitatem.*

VI. Frequentius itaq; aliis morbis ſuccedit, ut febribus ardentibus, inflammationibus ventriculi, jecoris, pulmonum, coli, diarrhoeæ lienteriæ, gonorrhoeæ, quæ tabes dorſalis *Hippocrati* ſecundum quoſdam dicitur. Pulmo tamen ſecundum *Galenum* etſi cordi vicinus ſit minus communi-

municat hecticam, quam inflammatio jecoris aut ventriculi, ob visceris scilicet humiditatem, & respirationem refrigerantem, tum quia vitiato jecore aut ventriculo corpus genio suo defraudatū contabescit. Si quis objiciat phtisin quæ pulmonum ulceribus succedere solet. Respondent *Cesalpinus* & *Massaria* id fieri non ratione imflammationis aut ulceris, sed propter copiam puris, ex cujus malâ qualitate, putredine & viciniâ non potest non accendi febris hèctica. Verum *Fernelius* negat non sine ratione febrem hanc hecticam dici debere, sed lentam symptomaticam, ut alibi dicemus. Febribus etiam aliis succedunt hecticæ, diariis aut putridis. Diariis quidem, si sint in corpore calido sicco, & ipsæ non solvantur. Putridis verò ut ardentibus, quarum vehemens calor depopulatur omne corporis humidum, corpusque exsiccat: Propterea *Hippocrates aphor. 16. lib. primi* præscripsisse videtur febricitantibus victum humidum, ut præcaveret siccitatem illam quam igneus febris calor inducit. Sequitur etiam febres longas, ut tertianas, quartanas, præcipuè si aliquis error commissus fuerit, ut si ægri pertinaces à calidis cibis & potibus nolunt abstinere; si Medici opportunum refrigerantium usum omittant, jejunia præscribant intempestiva, & diatriton, tam sæpè à *Galeno* reprobatam. Imò interdum hecticæ febres cum putridis conjunguntur. Notandum autem, etsi interdum hectica fiat ex putrida aut etiam putridæ copuletur, non tamen sequi hecticam habere causam continentem, est enim affectus μονιμὸς, qui sublata febre putridâ remanet in corpore, nec ab eâ dependet tanquam à causâ, unde propriam curam unaquæque harum febrium seorsim postulat. Id docet *Galenus 11. meth. cap. 2.* hecticam ait habere tantùm curationem non præservationem, quia curatio soli morbo, præservatio causæ morbificæ debetur, innuens hecticam cum ipsi non debeatur præservatio, causam non habere, scilicet continentem.

Signa diagnostica.

VII. Signa febris hecticæ *tertio de præsag. ex pulsib. cap. 3.* duo proponit *Galenus*, unum si febris æqualis semper permaneat, alterum si ægri non sentiant se febricitare. Primum tamen signum etiam ephemeris, & synocho omotonæ convenit, quarum æqualis calor est à principio ad finem, tum interdum hecticæ putridis copulantur. Sed in ephemeris & putridis vehemens est calor & acer, etsi interdum manus impositione mitescat, in hecticis vero blandus. Quod si æger aut dolorem sentiat, aut se febricitare percipiat, jam febris humoralis aut visceris alicujus inflammatio suspecta est. Pulsus præterea in putridis

tridis

tridis sunt majores, celeriores ac inæquales, in hecticis autem obscuri & parvi. Sed attentius singula signa perpendamus. *Calor* ergo hecticarum parvus est, tactuique primùm talis occurrit & blandus, quia paucum illud est quod ex solidis partibus evaporat, sed postea sentitur acer & mordax, ægerque nec febrem illumve alium affectum percipit, quod intemperies facta sit æqualis, quasi naturalis foret: Arteriæ tamen reliquis partibus calidiores sentiuntur, tum quia suo motu calorem suum produnt, tum quia ipsarum fons cor scilicet omnium maximè afficitur, spiritusque transmittit fervidos. Istud tamen signum quoque fallax est, nam in febribus lentis, quæ non sunt hecticæ, vix ullam febrem ægri percipiunt, sed per intervalla exacerbationes aliquas habent, unde symdrome signorum perpetuò spectanda est, ut rectum de morbis fiat judicium. Pulsus sunt parvi duri & frequentes. Parvi quidem, ob virtutis imbecillitatem ex spirituum & humorum consumptione, frequentes, propter usum auctum, duri ab arteriæ siccitate. *Calor.* *Pulsus.*

VIII. Ab urina nullum signum *Galenus*, *Hippocrates* desumpsere, cum tamen *Galenus 3. de crisibus* fateatur in omnibus febribus, quoniam venosi generis sunt affectus, urinas præcipuè esse spectandas. Rationem reddit *Altimarus*, quia nullum proprium aut inseparabile signum hecticarum vel ex substantiâ, vel ex contentis desumi potest. Non ex substantiâ, quia urina est serum eorum qui in venis sunt humorum, unde ejus diversitas ex humorum diversitate dependet, pariter de calore & contentis sentiendum, cum hæc secundum vasorum humores varientur. Cum itaque in hecticis solidæ tantum partes sint affectæ, reliquum est ex urinis nullum indicium sumi posse pro earum dignotione. *Galenus* autem loco prædicto attendendas vult esse urinas, non tanquam propria & inseparabilia signa, sed quia si bonæ apparuerint, multum valent ad salutem, contra si pravæ, augent ægri periculum, & ut docet *Alexander*, cum à partibus solidis fiant coctiones, si hæ malè se habent, urinæ non possunt esse probè concoctæ, sed tenues, flammeæ & crudiores, ut in siccâ & calidâ intemperie, & quamvis hæ urinæ ad cognitionem morbi nihil faciant, non sunt tamen prætermittendæ ad prognosin, quâ ratione *Gal. 3. Epid. com. 2. cap. 46.* Urinas in affectibus thoracis, pulmonis, nervorum, attendendas esse vult, ex quibus tamen indicium nullum desumi potest, ut alibi à nobis demonstrabitur. Sed *Arabes* dixere urinas esse pingues, & oleaginosas. **. Vrina incertum est hecticæ indicium.*

In

In principio quidem urina vix à naturali diversa est, quia calor extraneus non multum naturæ limites excessit. In secundo vero gradu urinæ sunt pingues, & instar telæ araneæ, adeps innatat liquori, in tertia vero urinæ fiunt oleaginosæ, de quibus aliquid dicendum est. *Actuarius* enim de diff. urinar. cap. 3. & author. *libri de urinis cap. 5.* oleaginosas dici volunt tripliciter, vel enim calorem olei referunt, vel splendorem, vel nomine generis oleosæ vocantur. *Galenus 3. Epid. com. 3. textu 72.* refert urinam oleaginosam quibusdam dici cui innatat pinguedo, de qua *Hippoc. 2. progn, text. 35.* malam esse ait urinam pinguem ἀραχνοειδῆ, quia colliquationem significat. Aliæ vero oleaginosæ dicuntur, quæ colore & consistentiâ oleo sunt similes, quas refert idem *Galenus* se vidisse nullo ægri detrimento, imo cum coctionis signis redditas, quas tandem statuit non esse revera oleosas, cum pingues non sint, nec periculum portendant. *Parius* enim in *Thaso 3. Epid. sect. 3.* sexto die urinas reddidit oleoginosas, & tantum centesimo ac vigesimo die mortuus est, quod ostendit in illo nullam fuisse colliquationem, quæ acutissimis morbis accenseri debet, non diuturnioribus & chronicis, & ejusmodi urinæ sunt tantum ἐλαιοφανῆ, fiuntque ex humoribus æruginosis per vehementes febres, & *Galenus* docet eas non habere exactè unum colorem, pallidum tamen esse solere, idque magis vel minus, propterea illas quæ candidiores sunt indicare cruditatem, flaviores verò biliosum & æruginosum humorem, periculumque portendere, ob febris vehementiam, non paucos tamen liberari solere. Aliæ autem urinæ quæ propriè sunt oleoginosæ pingues sunt olei instar, fiuntque, ex colliquatione adipis aut carnis, & propterea indicant fervorem maximum carnes colliquantem vel totius corporis, vel renum. Discernuntur autem ex *aphor. 35. lib. 7.* quòd renibus affectis pinguedo exeat confertim cum dolore & ardore propter viciniam. Affecto verò toto corpore paulatim & sensim exeat per varias venarum ductus & anfractus delata, antequam ad renes perveniat, ut docet *Galenus in com.* solentque sæpissimè in febribus pestiferis apparere & ardentibus. Propterea malè Arabes & eorum sectatores in hecticis tales urinas excerni tradiderunt, in quibus ejusmodi non adest colliquatio, sed absumuntur humores per insensilem transpirationem; hinc *Galenus 10. meth. c. ultimo*, hanc inter syntecticas & hecticas ponit differentiam, quod in his quod colliquatur vaporis specie digeritur, in illis vero defluit in ventrem, nec unquam *Galenus*, aut antiquiores

quiores

quiores Medici hujusmodi symptoma in hecticis statuerunt, sed in ardentibus & pestilentibus tantum. Ex quo loco infertur, etsi quod pingue supernatat in urina consumptionem indicet, & colliquationem, non tamen hecticam febrem, nam paucum est quod in ea colliquatur, solidæ partes sunt sicciores, ipsa febris exigua & mitis, unde vaporis specie quicquid consumitur digeri solet, non autem defluere ad alvum aut urinas. Id docet *Galenus* loco citato exemplo carnium craticulis tostarum, quæ si pingues fuerint, defluit humor in prunas largiter, si siccæ fuerint & sale siccatæ exsiccantur amplius & corii instar indurantur. Ità si febres ardentes corpora pinguia occuparint, maxima & copiosa fit συντήξις, in corporibus verò calidis & siccis transeunt in marasmum & tabem. Et sanè etsi hecticas plurimas hactenus viderim, hujusmodi tamen urinam pinguem nunquam observavi, quæ in aliis quamplurimis affectibus sese mihi obtulit, qui tamen ab hecticâ febre longe erant alienissimi. Hâc de plura videri, libro 2. errorum Popularium, pòssunt.

IX Præterea febris hectica est sine ullâ accessione continua, uno eodemque tenore consistens, nisi quòd post unam aut alteram horam à sumpto cibo calor emergere videtur, pulsusque crebrior ac celerior evadit, quod signum ab hecticis inseparabilè esse *Galenus* statuit; si enim diversis diebus diversoque tempore æger nutriatur, id semper observavimus calorem & augeri & pulsum citatiorem evadere, sine ullo horrore, rigore, frigore, aut anomaliâ febrili, quæ incompressa annotatio quibusdam vocatur, idque in primo gradu obscurius, in secundo verò & tertio manifestius elucet. Sed causa non adeo manifesta est. Quidam id fieri dicunt quod adjectione alimenti à calore febrili & extraneo accensi universum corpus recalescat, & accendatur. *Galenus* verò id fieri statuit, quod sicut calcis calor affusâ aquâ suscitatur, vaporesque emittit, ita solidæ corporis partes hectico calore obsessæ, dum cibi madore proluuntur & irrigantur, vapores de se proferunt, caloremque ampliorem effundunt. Sed *Averrhoi* non placet hoc exemplum, quia alimentum non ut aqua calci, ita nutrito contrariatur. Verum hoc non fit ratione contrarii, sed quia per alimentum suscitatur calor, qui sopitus latebat in corporibus hecticorum. Etenim ut docet *Galenus 3. de natural. facult. cap. 13.* tenuiores alimenti particulæ intra unam aut alteram horam ad corporis partes deferunrur, maximè si potulentis & sorbitionibus æger utatur, quorum coctio

Exemplum de calore vocatur in examen.

facilior & digeſtio expeditior eſt quam craſſorum & ſolidorum; id oſtendit experientia, quia ſi quis defatigatus vel quavis alia ratione factus debilior, alimenta ſumat, refici ipſum & recreari ſtatim percipimus, quod tenuiores alimenti particulæ ſtatim conficiantur & ad ſolidas corporis partes citiſſimè permeent, idque celerius in hecticis fieri poſſe videtur, in quibus inanitæ partes & calidiores redditæ, promptius & citius alimenta ad ſe pertrahunt. Sed cur idem non accidit in putridis? Reſpondet *Mercurialis*, id fieri, quia etiamſi augeatur calor à cibo, tamen incendium febrile adeo magnum eſt, ut obſcuret novum hunc ex alimento calorem. Itaque ſi quibuſvis horis oblato alimento ſine horrore pulſuſque inæqualitate fiat augmentum caloris, ſignum eſt hecticæ, ſi vero adſit pulſus inæqualitas & ſubmiſſio, de putridâ dubitandum. Et quidem his ſignis hectica febris dignoſcitur, quibus ſi addamus faciem hippocraticam dictam, nares ſcilicet acutas, oculos concavos, collapſa tempora, plumbeum colorem, palpebras aridas ut vix attolli poſſint, hypochondria tenſa & contracta, cutim ſquallidam, univerſum corpus aridum, ut quaſi ſceleton eſſe videatur, ſigna habebimus maraſmi conſummati & inſanabilis, facilis ſiquidem eſt ejus cognitio, ſicut curatio impoſſibilis. In primo vero gradu curatur facillimè, ſed dignoſci certò vix poteſt, in ſecundo vero gradu medio modo ſe habet, tum circa curationem, tum circa cognitionem, pulſus enim adſunt languidi, parvi, duri, corpuſque ſenſibiliter contabuit. Fit autem facies hippocratica ob maximam conſumptionem carnium faciei; color plumbeus eſt & lividus propter ſanguinis & ſpirituum caloriſque naturalis paupertatem. Palpebræ autem vix attolli poſſunt propter ſiccitatem muſculorum, & virtutis imbecillitatem, quæ clauſas palpebras attollere non poteſt, ſed illis perpetuò connivent, hinc dormire videntur, etſi vigilent. Eadem eſt ratio cur hypochondria tenſa ſint, & cutis ſit arida, imò ita inaruit, ut non rugoſa ſit & mollis, ut in aliis extenuatis, ſed inſtar corii reſiccata, ita ut digitis comprehenſa conſiſtat, nec revertatur. Inſuper decidunt capilli, ungues incurvantur ob alimenti inopiam. Signa vero hecticæ cum putridâ tria ſunt, primum, ſi poſtquam declinavit putrida, pulſus maneant debiles, veloces, carnes aridæ; ſecundum, ſi certum fuerit adeſſe hecticam, & appareant refrigerationes, horrores, pulſuſque ſubmiſſiones. Tertium, ſi cum febriculâ perpetuâ corpus ſit plus extenuatum quam conveniat putridis.

x. Quantùm ad prognosin, sciendum hecticam primæ speciei quæ putridæ non sit connexa omnium facillimè curari, modo statim cognoscatur, in secundo gradu difficiliùs, sed marasmum omnem esse incurabilem, propterea si facies adsit hippocratica, desperata res est; adhæc si accedat lienteria, aut alui profluvium, si pili defluant, inflentur tibiæ, mors brevi sequetur ob prostratas naturæ vires, quæ alimentum conficere nequit & retinere. Quibus addunt alii, si venæ albæ appareant. Tales autem sunt quando sanguine omnino destituuntur, & caro superposita absumpta est. In pueris autem & Junioribus facilius hectica nondum tamen consummata restituitur, sicut in adultis difficilius, atque ea tantum quæ vel incipit, vel confirmata nondum est, sanatur; in senibus vero quocunque modo se habeat incurabilis est. *Prognostica.*

x i. Cum itaque febris hæc sit intemperies calida sicca cordis & solidarum partium, corpusque inanitum sit & exsiccatum, evacuantia prodesse non possunt, nec cathartica locum habent, nisi excrementorum & cruditatum in longo morbo proventus id exigant, tunc enim aut leviora clysmata, aut eccoprotica tantùm erunt ex usu, ut *Manna* dissoluta in jusculo, *caßia*, *syrupus rosarum solutivus*. Sed alterantibus intemperiem hanc emendare, viresque, afflictas & labantes recreare & sustinere conabimur. Alteratio autem præcipuè humectantibus perficitur, & leviter refrigerantibus; nam vehementiora, ut narcotica calorem debilem prorsus extingunt, & quæ refrigerant, humectare simul debent, non siccare, & quæ humectant refrigerare, non calefacere. Tenuis victus ut in putridis non convenit, quod nulla crisis expectetur, nec putres subsint humores, sed nec pleno victu opus est, quòd ob caloris imbecillitatem concoqui is nequeat, febrisque increscat; Medius itaque eligendus erit & maximè analepticus, quod internis externisque remediis commodè hoc modo perficietur. *Curatio.*

x i i. In cibis ii maximè conveniunt, qui reficiunt simul & humectant, qui assi quidem humiditatem substantificam magis augent, elixi vero magis humectant. Itaque jusculа maximè conveniunt alterata refrigerantibus herbis, ut lactucâ, portulacâ, hordeo & similibus. Carnes hœdorum, vitulorum, porcellorum, pullorum gallinaceorum, avium montanarum, non palustrium, laudantur, elixæ potius quam assæ, nam in bilem, si nimis torreantur, facilè converti *Galenus* testatur. Harum cerebrum quoque convenit, sicut & Gallorum testes, nec inconvenit saginare gallos hordeo vel pasta ex carne cancro- *Cibi.*

rum fluviatilium, ranarum, cum farinâ tritici vel hordei fubactâ. Cancros fiquidem fluviatiles, ranas aquaticas, teftudines nemorales, limaces ad tabidos reficiendos plurimi commendant, hinc quidam caudas cancrorum fluviatilium cum amygdalis, hordeo & faccharo contufas ad miraculum fermè extollunt. Sed alii carnes has improbant, quia craffum fuccum gignunt. difficulter concoquuntur, unde cum hecticis calor nativus debilis fit, malum fuccum generabunt & cruditates plurimas, ex quibus infœlix fuccedit nutritio. Etfi enim plurimum nutriant & fuccum corpori præbeant, qui non facilè refolvitur, hecticis tamen concedi non debent, à quorum debili calore perfectè confici nequeunt, cæteris vero macilentis convenire poffunt, in quibus vividus eft calor & validus, ad dyfpeptum alimentum concoquendum, tabidis vero & debilitatis nequaquam profunt. Ideò *Galenus* horum alimentorum nunquam meminit in curatione tabidorum, quin potius craffum fuccum generant *libro de cibis boni & mali fucci*, eorumque ufum prohibet fenibus *cap. 6. 5.* ὑγιεινῶν. Refpondemus autem hecticis convenire cibos faciles coctu, fed prædictas carnes poffe ita præparari contufione, elixatione, coctione, ut fiant non ita dyfpeptæ, quin hecticis convenire poffint, maximè fi earum jufcula præbeantur, quæ & plurimum alunt, & alimentum præbent validum & firmum.

Ova probantur cum faccharo cocta, maximeque eorum vitelli, cafeus item recens, nam vetuftior nocet, calorem enim concipit, & dyfpeptos evadit. Pifces quoque faxatiles conveniunt, & inter fluviatiles trotta, & cæteri qui minus putredini funt apti, de quibus diximus in *methodo fanitatis tuendæ*. Ex cerealibus panatella utilis etfi; fit autem ex pane loto, coctoque in jufculo vel lacte. Quidam coquunt in lacte amygdalarum dulcium additis feminibus frigidis majoribus non rancidis, cum aquâ rofarum, & faccharo. Ptifana feu cremor hordei, hordeatum hodie vocamus, ab omnibus laudatur. Ptifanam, panem aqua tinctum & lactucas offerto, inquit *Trallianus*: Parari poteft ex avena ferculum cum decocto carnis, ut humidior illa reddatur. Amygdalæ, nuclei pinei, piftacia cæteris ferculis vel lacti permifta, vel per fe faccharo incruftata fumantur. Ex oleribus radices eryngii, fatyrionis, tragopogi, item portulaca, lactuca, bugloffum, malva, violaria, endivia, fpinachium, fructufque varii humectantes, cucurbitæ, cucumeres, pruna, pyra, uvæ paffæ, amygdalæ, ftrobyli, femina frigida majora, minora, papaveris, citoniorum, flores violarum

rum, buglossi, nymphear, & quicunque frigidi sunt & humidi, possunt usurpari.

XIII. In potu autem, quo ægri magis delectantur, & reficiuntur, cum sitis maximè sit molesta, exhiberi hæc commode possunt. Vinum mediocriter temperatum citissimè absumptam corporis substantiam reficit, consuetis interdum concedi potest, & ne corpus inflammet diluatur, aquâ plurima. Dulce autem generosum, quia corpus facilè accendit, vitetur in hac specie, in qua refrigerandum & humectandum, etsi phtisicis, tussiculosisque sicut & alia dulcia competat, hecticis autem satius erit non hoc tantùm sed & omni vino abstinere. Ideo *Galenus* aquam maximè commendat *libro de marcore*, *& 10. methodi*, in primâ specie, in quâ humor tantùm effervescit, nondum absumptus est, corpusque adhuc, etiamsi calidum sit & siccum, sanguine tamen abundat, & est succi plenum, hujus enim usu scribit *Galenus* se multos præservasse à marasmo & tabe, hicque sequendum *Alexandri* consilium, qui frigidam dare pręcipit post cibum, quantum ægro libuerit. Sed si ex febre putridâ, humorum cruditate, aut præcordiorum inflammatione hectica contigerit, vitari debet aquæ potus, præsertim si vires sint imbecillæ, inflammatio mediocris, coctioque nondum appareat. Sed in vehementissimâ, & maximè urgenti inflammatione, ut eresipelaceâ, dari frigida poterit, extinguetur enim inflammatio, etsi morbus in longius tempus protrahatur. Quod si putrida admista sit, coctio expectetur. Sed in hecticâ quæ ardentibus succedit, aut in ipso marasmo, cavendum à frigidâ, ne in excarni & imbecillo corpore, calor nativus extinguatur, senectus præmatura accersatur, quam senium ex morbo vocant, in quo calor nativus nullus est, aut exiguus, ideo non refrigerantia, sed calefacientia humectantia, & analeptica postulat. Loco aquæ simplicis, aqua hordei, vel herbarum refrigerantium stillatitii liquores, cum julepo violato, debent exhiberi, vel emulsiones seminum frigidorum iisdem aquis extractæ, cum saccharo violato, vel rosaceo. Notandum ex *Galeno, decimo meth. cap. 12.* potus posse dari actu frigidos, non autem cibos, nam potio ob tenuiorem substantiam facile incalescit, tum per corpus distribuitur, cibus autem solidior non ita, & propterea non sit actu frigidus. *Potus.*

XIV. Lac ubi manifesta apparet absumptio, nullaque suspicio est febris putridæ, erit utilissimum, & primum quidem *Avicennas*, lac detracto butyro præscripsit, quia butyrum facile inflammatur, caseosa *Lactis usus.*

autem pars, quæ remanet cum ſero, non eſt noxia, caſeum ſiquidem recentiſſimè factum & molliſſimum non improbat *Trallianus*, ſed cum veteribus aliis maximè commendat, refrigerat autem magis quando ſero ſuo admiſcetur. Ideo *Galenus* in primâ ſpecie, in qua minor eſt conſumptio, aſininum lac commendat, quia maximè refrigerat, tenuiſſimum eſt, ſero abundat, coagulique minimum habet, unde ad corporis ſiccitatem emendandam, caloremque temperandum omnium maximè eſt idoneum; quâ ratione crudum & magnâ copiâ exhiberi debet, ſic enim tenuiſſimum cum ſit, minimè coagulatur, & quoquoverſum in corpus diſtribuitur, coctum autem evaporatis partibus tenuioribus & ſeroſis craſſeſcit, & minus aptum refrigerationi redditur. Quibus autem aſinini lactis copia non adeſt, ut anglis, ii lacte vaccino, detracto butyro, uti commode poſſunt. At in hecticâ ſecundi gradus ubi non tantum refrigerationi, ſed etiam analepſi ſtudendum eſt, lac integrum prodeſt, exhiberi autem debet longo tempore, ab unciis quatuor ad libram unam aſcendendo. Muliebre ob temperiei affinitatem (quæ etiam optima eſt & excellentiſſima,) cæteris lactis generibus præferri debet. Inde primas tenet aſininum, quo inquit *Trallianus* hectica ſanari poſſe creditur. Caprillum deinde laudatur, maximè butyro prius detracto. Bubulum crudum exhiberi quoque poteſt, ſed potentius nutrit, quia craſſius, ideo ſextam aquæ partem immiſcere videtur *Hippocrates*, ratione enim butyri quod plurimum eſt in eo, nocere poteſt, tum quoque decoquendo ejuſmodi lac facilè vitiatur. Eligendum autem eſt optimum, quod moderate ſpiſſum, colore album, odore gratum, ſapore dulce, & cum inſtillatur in unguem, neque citò, neque tardè defluit. Bibendumque eſt recenter mulctum, aut è mammis ipſis mulgendum, quod optimum erit, vitiatur enim ab aëre, ſicut ſemen. Et quia tædioſum eſt, plurimis id facere, vaſe tepido ex aquâ tepidâ excipiendum, & ſtatim ſorbendum, antequam ex aëre vitium conceperit. Cura præterea animalis habenda eſt, ut refrigerantibus herbis nutriatur, ut lac frigidius evadat. Sed ſi magis nutriendum ſit, conveniet idem lac aut chalibeatum, aut decoctum. Cavendum ſiquidem ne hecticorum alvus ſubducatur, præſertim eorum, qui ex ſyncope, aut diuturniori diarrhoeâ in maraſmum inciderunt: Quapropter quibus alvus facilè ſubducitur, aut venter imbecillis eſt, lac coquere, vel fluviales lapillos igne candentes in eo extinguere oportet, dejectiones enim bilioſas ſedat & compeſcit, ut docet *Trallianus*.

XV. Sed

Conditiones exhibendi lactis.

xv. Sed ſpectandæ ſunt conditiones quibus illud non licet exhibere. *Prima* eſt ejus in ventriculo corruptio, quam deprehendimus *ex pulſu*, ſi fiat inæqualis & parvus à lactis aſſumptione, talis enim pulſus ſolet fieri affecto orificio ventriculi: *Ex ructu*, ſi ſit acidus cum torminibus ventriculi & inteſtinorum, à frigiditate ventriculi lac corrumpitur, ſi nidorulentus & fumoſus, ab ejuſdem calore. Si ructus ſit acidus, incoqui poteſt aliquid mellis aut ſacchari. Si ſit nidorulentus, conſilio *Gordonii*, *Hollerij*, & *Iouberti* aliorumque recentiorum addatur aquæ ſexta pars, ſtomachi ſiquidem fervorem temperat, nec lacti quicquam nocet, hecticis ipſis refrigerando prodeſt. Sic *5. Epidem. 56.* refert *Hippocrates* quendam lac aqua miſtum laborantibus offerre ſolitum, Πυθοκλῆς τοῖς κάμνουσι γάλα πολλῷ ὕδατι μιγνὺς ἐδίδου, atque ut docet *Galenus* in hecticis à melle, & mulſa abſtinendum, pari ratione, etiam à ſaccharo, quod melli viribus eſt affine, aut ſaltem eo parciſſimè utendum. *Secundo* impedit lactis aſſumptionem febris putrida, quia ab ejus calore, & humoribus in ventriculo contentis facilè corrumpitur, & in nidorem mutatur. *Tertiò* dolor capitis, quia vaporibus multis caput implet & gravat. *Quartò* hypochondria in tumorem elata, lactis enim corruptione augetur inflammatio, cacochymia major ſuccreſcit, & vaporibus multis è lacte conſurgentibus tumor comprimitur. *Quintò* hypochondriorum borborygmi, qui fiunt à flatibus, & plurimum uſu lactis multiplicantur. *Sextò* ſitis valida, fit enim aut à ſummo ventriculi calore, aut ab humoribus bilioſis & acribus, ſtomachum infeſtantibus, & his de cauſis ſolet lac facillimè vitiari: eademque eſt ratio cur dejectionibus bilioſis non conveniat. *Septimò* impeditur ejus exhibitio à profluvio ſanguinis quod præceſſit, à quo refrigerari poteſt ventriculus, unde periculum eſt ne in eo lac aceſcat: Hæc complexus eſt *Hipp. aphoriſ. 64. lib. 5.* γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι κακόν. κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι. Κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες. ἐν τοῖς ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι καὶ οἷσι αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖς φθινώδεσι, μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος, καὶ παρὰ λόγον ἐκτετηκόσι. De cujus aphoriſmi explicatione conſuli poſſunt *Galenus*, & *Iacobus Hollerius*, qui omnium optimè in aphoriſmos ſcripſiſſe videntur. De lactis autem uſu plura, capite de tabe, à nobis dicentur.

xvi. Lac quod Amygdalinum ob lactis ſimilitudinem vocatur,

lactis

lactis loco in usum venire potest, additis interdum strobylis, seminum cucumeris, melonum & papaveris emulsionibus, saccharo violato, & hæc omnia cum medulla panis albissimi & jure pulli misceri commode possunt, fietque ferculum polytrophon, refrigerans, & eupepton. Aliud fit, ex farinâ oryzæ in lacte vel jusculo dissoluta, & addito lacte amygdalino, saccharo violato, & vitello ovi, lento igne semper agitando coquatur parum. Cancri fluviatiles, ranæ, testudines, & limaces convenire posse superius diximus. Cancros autem ita præpari vult *Avicenna*, *cap. de cura hectica*, jubet extrema abjici, reliquum corpus lavari aqua salsa, vel lixivio, dum gravitatem odoris deposuerint, dein decoqui in aquâ hordei. Alii caudas cancrorum tantùm assumunt, easque contusas in lacte infundunt per horas sex, dein decoquunt in eodem lacte, additis prædictis emulsionibus & saccharo. Sic docet *Dioscor. lib. 2. cap. 10.* elixos cancros cum jure suo tabidis opem ferre. Vitanda tamen est illorum præparatio, quam docet *Aetius*, scilicet ut jure albo incoquantur, fiebat autem jus album ex acribus, ut porro, anetho, cæpis, quæ hecticis, & tabidis potius obsunt quam prosint, nisi per jus album intelligamus cum *Amato* jus simplex, in quo præter carnes & aquam nihil est admixtum, & sic consentit cum *Dioscoride*, sed vereor ne illa juris albi explicatio sit inventum ipsius *Amati*, & præter authoritatem antiquorum, qui jus album ad distinctionem nigri ita dictum, non simplex jus, sed aliorum admistione conditum intelligebant. Utcunque sit, bona tamen & salutaris est *Amati* sententia. Cæterum monet *Matthiolus* cancros fluviatiles non esse astacos, quos nos vocamus *Escrevisses*, sunt enim cancri rotundi, astaci longiores, unde *Aristoteles 4. de partibus animal. cap. 8.* cancros à squillis differre tradit quod caudâ careant. Etsi nullam videam rationem cur Astacorum caro non sit etiam hecticis idonea, cum eandem habeat alendi vim. Ranæ etiam quibusdam veniunt in usum, sed solæ coxæ sunt salubres, paulum differentes colore & albedine à pullorum gallinaceorum coxis, maximè si in jusculo carnis elixentur, summum enim phtisicis afferunt remedium. Sed curiosus illarum delectus esse debet, nam quædam non sunt adeo tutæ, pleræque noxiæ & venenosæ. Testudinis hæc præparatio utilis esse potest. Testudinem nemoralem ab ossibns separatam & à visceribus repurgatam, cum aquâ violarum diligenter lavare oportet, dein per noctem in lacte infundere, demum in jusculo carnium coquere, & addito saccharo jus illud

De cancri.

*.

Amatus notatur.

Ranæ.

Testudines.

illud hauriatur, etsi prædictæ carnes interdum comedantur, & subeant electuariorum analepticorum confectionem, ut dicemus inferius, earum tamen juscula salubriora sunt, & minus stomacho facessunt negotium. *Limaces* autem, ut docet *Galenus 3. de aliment. facult.* plurimum corpori præbent alimentum, & non spernendum, etsi sint concoctu valde difficiles, & succo constent glutinoso, quo totâ hyeme sine alimento se sustinent, quemque si pungantur plurimum emittunt; unde concludit *Quercetanus*, maximam esse illorum nutriendi vim, sed in hoc deceptus, cum totus ille humor à cochleis præparatione & lotione educatur, solaque remaneat caro, quæ est valde dyspepta, etsi alat quam plurimum. Carunculam quandam habent limaces in parte posteriori albam, mollem, teneram, instar casei concretam, & concoctu satis facilem, quam *Aristoteles* quorundam judicio papaver vocavit, eaque eligi debet ad hecticorum analepsin. Optimi autem sunt, qui in vineis & circum sepes reperiuntur. Observatum tamen est rebus venenatis pasci solere, unde quidam noxii evadunt. Ideo ex locis mundis colligendi, diligenter lavandi; & per dies aliquot in ollâ mundâ servandi, ut mucosam illam substantiam deponant, de qua loquuti sumus. Quidam exemplo *Avicennæ* in lixivio coquunt, sicut de cancris diximus, dein in aquâ, quæ intra horarum sex spatium ter aut quater mutari potest, sicque omnis impuritas tollitur; ita præparatos, & leviter exsiccatos, aquâ iterum coquunt plurimum, & jus sorbendum præbent, vel lacti incoquunt, jusculo pulli, additâ tussilagine & saccharo rosato. Colatum jus propinatur ad ℥ vj. mane & serò duabus aut tribus horis ante pastum. Plures præparationes tum *Matthiolus*, tum alii recensent. Cæterum præter id quod diximus ex *Galeno* cochleas esse crassi succi, coctionis difficilioris, addit *Galenus 11. simpl.* carnem earum contusam desiccare plurimum, ita ut hydropicis conveniat, unde miror, cum victus hecticorum humectans esse debeat, cur carnes has exsiccantes iis præscripserint, præsertim in tantâ copiâ & varietate alimentorum, quæ summo naturæ beneficio ubique luxuriant. Nec valet quod responderi posset juscula sola imperari, & siccitatem aquæ coctione retundi, etsi enim imminuatur, non omnino tamen deperditur, & transit in jusculum cum substantiæ quadam portione, videmus enim aquam rerum decoctarum vires attrahere, unde putandum est juscula illa vim quandam habere desiccandi, & propterea hecticis non esse admodum idonea. Ideo ad alia tutiora properandum.

Limaces.

* *Quercetanus notatur.*

* *Limaces improbantur.*

XVII. Recentiorum itaque carnium juſcula præferri debent, alterata refrigerantibus herbis, ut *endiviâ*, *acetoſâ*, *lactucâ*, *borragine*, & ſatis nutriunt ac refrigerant; Sed inter juſcula maxima differentia eſt, nam majorem nutriendi vim obtinent conſummata dicta, reſtaurantia, gelatinæ, expreſſa. *Conſummata.* Conſummata à juſculis differunt longiore coctione, ſumuntur ſcilicet carnes, caponum, pullorum gallinaceorum, vervecina, vitulina, cum herbis convenientibus & coquuntur, dum ſolvantur carnes in minutiſſimas particulas, jus per linteum percolatur, pinguedo ſupernatans ſecernitur, dein lento calore iterum coquitur, ut aquea pars exhalet, ſola remaneat alimentaria, cujus quatuor aut quinque cochlearia ægris ſufficere poſſunt. *Gelatina.* Solet autem ejuſmodi juſculum ſponte congelari, unde gelatinæ nomen, eſt enim tantum juſculi compoſiti ſubſtantia concreta. Ut autem præclarior evadat, viſcida adduntur, ut pedes vervecis, vituli poples, mucoſa enim ſubſtantia & quaſi ſpermatica ex illis extrahitur, quæ juſculi concretionem juvat. Itaque ut dictum carnes prædictæ coquantur in aqua ad oſſium ſeparationem, coletur jus, carnes exprimantur, ubi refrixerint pinguedo omnis auferatur, quod ſupereſt clarificetur ovorum albuminibus, dein ſaccharum adjiciatur, ſed & raſura eboris, cornu cervi, dens equi marini incoqui poſſunt, eorum enim ſubſtanſtantia abit in juſculum, etſi non tota, & concretioni opitulatur. In aliis affectibus aromata addi poſſunt, tunc jus calidum tranſcolari debet permanicam *Hippocratis*, & ad ſaporis gratiam affundi poteſt ſuccus limonum, aut acetum. Olim autem decoctis addebant conſervas, pulveres & aurum. Sed eos meritò reprehendit *Rondeletius*, nam carnem crudam pulveribus cardiacis admiſcent & unà decoquunt, cum tamen minorem quam carnes coctionem poſtulent, nam ſi carnes integrè coquantur, adurentur pulveres, ſi vim pulverum ſervare brevi coctione volumus, caro, cruda remanebit.

De auro. De auro difficilior eſt explicatio, nam *Eraſtus*, *Duretus*, *Rondeletius*, aliique graviſſimi viri negarunt quicquam ab illo diſſolvi, & tranſire in liquorem, præter ſordes & hydrargyrum, ob ſubſtantiam plurimum compactam, quæ nullis ignibus, nullo artificio diſſolvi poteſt, deinde non eſt nobis ὁμοιόφυλον, à calore noſtro ſeperari nequit, nec faceſſit in ſanguinem, nec ſpirituum jacturam reparare poteſt, cum ſit à naturâ noſtrâ alienum, nec in eam converti poſſit. *Aetius* miratur quomodo prodeſſe queat. Sed alii viri doctiſſimi maximas vires tribuunt auro,

auro. *Fernelius* maximè commendat quod non sit metallicæ malignitatis particeps. Nostri chymici Soli & cordi respondere tradunt, & de eo in liquorum solvendo hactenus solliciti irrito conatu, remedii nondum inventi efficaciam prædicant, nam *Paracelsus* omnes morbos curari auro asserit, etiam lepram & podagram, sed hoc refellitur argumentis supra allatis, cum facessere non possit in nostram substantiam, quomodo lepram, vel morbos ab inanitione curare poterit, qui non merâ alteratione, sed substantiæ alicujus repositione; qualem suppeditare metallum non potest, abeunt. *Liebaultius* plusquam viginti varias aurum solvendi formulas in commentarios retulit, & omnes incertas & fallaces, alias alii attulerunt eodem vitio laborantes, ut ut sit, perniciosum esse medicamentum, multosque in certissimam ruinam ejus usu præcipitatos fuisse à quibusdam & fide dignis, & eruditione præstantibus, & chymicarum præparationum supra vulgus peritis comperi, qui etsi aurum solvi posse crederent, dubitabant tamen an solutum vires ullas haberet commendatione dignas. Attamen cum cæteris metallicis vires adsint tam præstantes, tam efficaces, verisimile videtur non fuisse denegatas metallo nobilissimo, & cæterorum Regi. Arabum princeps *Avicennas* aurum cæteris omnibus medicamentis præposuit. In auro, *inquit* naturæ sunt absconditæ, quæ prosunt veneno, si puer nascens teneat in ore, non timebit dæmonem, si prægnans biberit, abortum non faciet *Fen. 5. cap. 7. & fen. 6. cap. 13.* Non putandum lapides auro cariores esse eo præstantiores, omnibus enim rebus præstantius est aurum.' Sed libro de *Medic. cordialibus*, voluit inferius esse hyacintho, præstantius argento. His autem omnibus vim tribuit exhilarandi, roborandi, & veneno resistendi, quas virtutes ait ab hyacintho manare, sicut à magnete vis trahendi ferrum, nec necesse esse reduci in actum, & superari à calore nostro, sicut vegetabilia solent, id enim, *inquit*, substantia ejus non patitur, sed tantùm calor naturalis ejus penetrationem juvat. Non videtur ex sententia *Avicennæ* in actum reduci hyacinthus, nec aurum, nec argentum, nec à calore nostro transmutari aut dissolvi; quæ sententia etsi paradoxa, veritatis tamen speciem præ se fert. Si magnes, succinum, stibium sine substantiæ suæ jacturâ, & ullâ alteratione à calore naturali, vires habent præsentes, & ut dicunt in actu, cur denegabitur auro facultas cor roborandi, quæ instar magneticæ virtutis spontè sese exerat, & proferat, ut diximus plenius in *exercitationibus nostris capite de quartis &*

occultis medic. facultatibus. Aurum itaque mihi videtur esse summum roborans, cardiacum excellens, sed hecticis inutilè, etsi innoxium, siquidem non roborari qualitate solâ, sed reparari humido substantifico postulant, talè autem nulli metallo concessum, & quidem prædictæ rationes etsi probent, & concludant auro resarciri non posse humidi radicalis jacturam, cum non vertatur in alimentum, & qualè assumptum fuit nullâ ponderis imminutione excernatur, non tamen adimunt vim cardiacam, quæ ipsi inesse potest, ut censent post *Avicennam* recentiores plurimi *Matthiolus*, *Amatus*, aliique. Cum enim septem modis Medicina cardiaca dici possit, non tantùm ea quæ spiritus nostros substantiâ suâ reparat, sed & quæ merâ qualitate & sympathiâ sine ulla reductione ad actum cordi opitulatur. Unde frustra chymici laborant, ut auri veram solutionem inveniant, solvunt enim admirabilem illam naturæ temperationem in quâ virtus auri tota residet & unde promanat. Sanè si aurum integrum non haberet vires eximias absque ulla præparatione, mirum, unde tot præstantes viri separationum chymicarum ignari, eas communi consensu prædicarunt. Videmus ignotas fuisse stibii vires ante chymicam solutionem, sic & aliorum metallorum, quod impuræ substantiæ plurimum contineat, eæque terrestris & crassioris. At in auro impurum nihil, & inutile. Qui magnetem chymice præparare conantur, omni vi illum spoliant, ita & auro contingit, si solvatur in varias partes. Potius ergò exemplo veterum & omnium recentiorum quibus aliquid ingenui pudoris superest, non fallacibus liquoribus auri, sed eo foliato, utamur, aut abstineamus omnino. Certò tamen sciendum hecticis & tabidis nullo modo opitulari posse, ob rationes dictas. Quod enim scribit *Plinius* absumi aurum cum gallinarum carnibus decoctum, falsum esse experientia docuit, cum ne minimum quidem alteratum in pondere repertum sit, etsi jusculum forsan vim cardiacam inde contraxerit, sed immaterialem, qualis è magnete ferro communicatur. Parùm quoque abest à fabula quod *Sennertus* ex aliorum relatione scripsit, gallinam per mensem auri foliis pastam aurum tandem in suam substantiam convertere, id enim falsum esse qui periculum fecere, testari possunt, ut de seipso profitetur *Laurenbergius* in examine aphorism. Salæ: ut non fuerit tam leviter fides habenda chymico impostori, qui virum gravem adversus chymicos tam eleganter & doctè disputantem decepit.

Sennertus in præfat. de chym. cum Galenicis consensu.

Expressa. XVIII. Expressa vero fiunt ex carnibus optimis quales sunt perdicum,

cum, Phasianorum, caponum, coxæ vervecinæ & vitulinæ, ex quibus semi assatis jus torculari exprimitur, dein lento igne recoquitur, ut aquea pars exhalet, imbecillis autem corporibus vires reparat, & proinde toto morbi decursu exhiberi potest.

XIX. Expressis contraria sunt distillata restaurantia dicta, quæ laudantur à multis ad vires promptè & celeriter reficiendas, substantia enim tenuior, purior & defæcatissima alimenti sublimatione elicitur. Fuit hoc placitum Medicorum novitate aliquâ sese commendantium, ut magnatibus & viris Principibus placerent. Extrahitur autem hæc aqua ex carnibus prædictis dissectis, ab ossibus & pinguedine purgatis lotis aquâ cardiacâ aut vino albo, tum conservæ, pulveres cardiaci, herbæ, cæteraque scopo Medici accomodata adduntur distillantur simul in *B. Maris*, liquor servatur in ampullâ vitreâ, de quo ℥ij. per se, vel cum jusculo & panatellis sæpius exhibentur in die. Quin etiam commendantur ex limacibus, cancris, lacte, sanguine humano extractæ, quæ ob analogiam maximas nutriendi vires habere creditur. *Distillata restaurantia.* *

℞. *Iuris caponis bene cocti mensuram unam, carnium testudinum nemoralium, cancrorum, coxarum ranarum ana* P. j. *conservæ rosarum, buglossi, borrag. violar. nymph. scabiosæ ana* ℥ j. *specierum diamargariti frigidi, diatragac. ana* ʒ j. *cinnam.* ʒ ß. *aquarum buglossi, acetos. rosar. ana* ℥ iij. *seminis lactucæ, papaveris albi, portul. ana* ʒ j. *Eliciatur aqua secundum artem.* Plures hujus aquæ descriptiones recens & *VVekkerus* in Antidotario, sicut & illius quæ ex humano sanguine elicitur. Sed hæc distillata, aliorum judicio, nullius sunt utilitatis ad nutriendum, cum enim experientia ostendat, non omnia postulare chymicam præparationem, id de alimentis maximè verum est, quorum nullum ità præparari debet, si panem, vinum, cæteraque esculenta redigeremus in essentias & à terrestri parte, ut vocant, separaremus, quam ineptum, fatuum, & insalubre ferculum ægris nostris præberemus. Sed & supina quorundam agyrtarum ignorantia hanc consuetudinem invexit, repugnat siquidem chymicæ ἐγχειρήσει, phlegma enim solum hac arte elicitur, pars scilicet aquea insipida, quæ nullum aut exiguam habet nutriendi vim, nam viscosa & glutinosa illa pars quæ remanet, & à qua nihil secedit, ea est quæ alimoniam præstat corpori constantem & copiosam, & in expressis decoctione extrahitur, in distillatis remanet in fundo & abjicitur, unde expressa distillatis contraria superius diximus. Nam res dari ita fixas, ut distillatione nullâ elici possint, osten-

dit chymia, ex quibus pars illa eſt carnium glutinoſa, viſcoſa, quæ nutrimentum ſuppeditat. Unde ſi quam habent vim ejuſmodi aquæ, ea tota eſt ab herbis & aromatibus additis, etſi fruſtra adjiciantur corallia, margaritæ, aurum, cæteraque eſſentiæ compactioris, è quibus nihil ſecedit. Hinc *Baptiſta porta 10. magiæ naturalis* juſcula carnium blando calore diſtillat, ut tota pars aquea evaporet. Sed ineptiores ſunt qui lac diſtillant, cum enim ad analepſin lac integrum recenter mul-
* ctum cum *Galeno* Medici præſcribant, iſti tantum partem ejus aqueam nullius energiæ & efficaciæ imperant, ex quâ nihil utilitatis corpori humano accidere poteſt. Ejuſmodi aquas præſcriptas vidi, quas potius credidiſſem fuiſſe coſmeticas quam analepticas. Sed quæ ex ſan-
* guine humano elicitur, etſi multùm à *Gainerio*, *Montagnana* & aliis vetuſtioribus probetur, vireſque forſan poſſideat inſignes, multumque cardiaca ſit, tamen hecticis ideo noxia eſſe videtur, quod calida ſit & nimium ſpirituoſa, inſtar aquæ vitæ ardens, propterea iis quibus refrigeratio & humectatio neceſſaria eſt, minus convenit, calefacit enim & exſiccat.

xx. Etſi autem ad nutriendum juſcula, conſummata, gelatinæ, expreſſa ſufficere poſſint, ſintque eo nomine præferenda quod in rem præſentem recentia parari ſoleant. Analeptica tamen remedia recentiorum curioſitas in ſyrupos, electuaria, morſellos aliaſque formulas adaptavit. Syrupi reſumptivi hæc formula eſſe poteſt. ℞. *Carnis testudinum lotæ, carnis cancrorum, coxarum, ranar. pulpæ caponis ana* ℥iij. *hordei mundi* ℥ij. *rad. bugloſſi, liquiritiæ ana* ℥j. *ſatyrionis* ℥ ß. *endiviæ, lactucæ, portul, ſymphiti ana* M. j. *dactylorum, paſſul. mundatar. ana* ℥j. *ſebeſten, jujubarum ana paria* iiij. *ſeminum frigidorum majorum recentium, ſi haberi poſſint, ana* ʒij. *ſeminis bombacis, lactucæ, papaveris albi, cidoniorum ana* ʒj. *florum violar. nenupharis, bugloſſi ana* P j. *f. decoctio in ſ.q. aquæ, ad* ℔ ij. *in colaturâ clarificatâ adde ſacchari albiſſimi* ℔ j ß. *ſacchari roſati* ℥ß. *f. ſyrupus perfectè coctus, aromatiſetur drachma una ſantali rubri.* Sed additio carnium inutilis eſt, propterea iis demptis ad temperationem caloris hecticorum, ex reliquis ſyrupus concinnari poteſt, conveniunt enim julepi & ſyrupi refrigerantes ℞. *Succi portulacæ*, quem mire in hoc caſu quidam extollunt, ℥iij. *Succi bugloſſi* ℥j. *depurati coquantur cum ſaccharo, in formam Iulepi mediæ conſiſtentiæ. Pimpinellæ & raparum ſuccos ſunt qui commendant.* Infantibus autem, qui ægrè medicamentoſa ſumunt, *Aquæ portulacæ & ſcabioſæ* dantur.

Syrupus reſumptivus.

xxi. Con-

XXI. Confectiones variæ restaurantes fieri possunt, quas gratissimas componere debemus, ne in morbo longo fastidium pariant. Martius panis simplex fit ex amygdalis contusis in aquâ rosarum & sacchato, simulque lento calore coctis in clibano, compositus vero præstantior, parumque differt à regio electuario, quod pastam regiam hodie vocant, quod regibus digna sit, sic antiqui præclara quædam regia vocabant, ut *Aetius* suffumigium regium *Actuarius* poma regia, adduntur simplici Martio pani, fructus, semina, aromata, carnes coctæ contusæ & lotæ in aqua hordei, quando fit ex carne testudinis, testudinatum nuncupatur, sicut pineolatūm, quando strobyli mundati & contusi cum saccharo bene cocto & dealbato adduntur. Carnes itaque vel simul omnes aut harū una ad ℥iiij. fructus ad ℥ij. semina ad ℥j. ℥jß. pulveres ad ℥ß. adduntur. Si sine carnibus fiant fructus augeri possunt & semina, & quidem cum carnes hoc modo apparatę sint coctu difficiles, parumque alimentosi succi retineant, quem coctione deposuerunt in jusculum, omitti commodè & utilissimè possunt. ℞. *Amygdalar. dulcium excorticatarum* ℥jß. *strobylorum mundatorum, aqua scabiosæ lotorum, & per horas duodecim maceratorum, pistaciorum ana* ℥ß. *pulpæ passularum, dactylorum, jujubarum ana* ʒiij. *seminum frigidorum mundatorum ana* ʒij. *seminis papaveris albi* ʒj. *Terantur optimè in mortario, irrigando massam aqua rosarum, dein adde amyli, gummi tragacant. arabici ana* ʒj. *penidiorum* ℥j. *saccharoque paulatim asperso fiat massa, & inde panes cujusvis figuræ sensim exsiccandi, qui auro obducantur.* In aliis ambra grisea, cinnamomum addi possunt. Vel. ℞. *pastæ ex qua Martius panis fieri solet* ℔j. *pinearum mundatarum quartarium semis, seminum cucurbitæ mundatorum & in lacte infusorum* ℥j. *Contundantur diligenter, adde pulver. diatragac. diapenidii, diamargarit. frigidi ana* ʒj. *vitellos duorum ovorum, sacchari in aqua tußilag. dissoluti* ℔ß. *formentur placentæ, coquantur secundum artem.* Vel ℞. *pulpæ caponis aut gallinæ* ℥iß. *seminis melon. vel cucurbitæ* ℥ß. *margarit. præparat.* ʒß. *sacchari in aqua violarum soluti* ℥vj. *succ. l monum.* ℥ß. *fiant morselli,* sed carnes prius teri debent fortiter ac longo tempore, dein cum aliis misceri. Vel ℞. *Pulpæ caponis aßi & perdicum assatarum, coxæ ranarum, cancrorum fluviatilium, testudinum nemoralium coctarum in aquis portulacæ & hordei ana quartarium semis. Amygdalar. dulcium* ℥iß. *pinear.* ℥j. *pistaciorum* ℥ß. *seminum frigidorum majorum, papaveris albi ana* ʒj. *pastular. mundatarum, sebesten ana* ℥j. *Contundantur simul, addendo amyli* ℥ß. *margaritarum* ʒj. *specierum electuarii resumptivi* ʒiß. *diatragac. frigidi* ʒj. *penidiorum* ℥ß.

Pasta regia.

sacchari

ſacchari candi ℥iß. gummi tragacant. in aqua roſar. infuſi ʒj. ſacchari albiſſimi in aquis roſar. & tuſsilag. diſſoluti ℥x. Coquantur lento igne ad ſufficientem exſiccationem, fiant placentæ, vel morſelli ſervandi ad uſum. Extat in officinis electuarium reſumptivum dictum, quod loco prædictorum uſurpari poterit. Saccharum inſuper roſarum tabulatum in frequenti uſu habere debent, vel ſaccharum in aquis violarum portulacæ coctum, & in tabulas redactum. Vel ℞. *Conſervæ violar. portul. bugloſsi ana ℥j. conſervæ roſar. ℥ß. ſpecierum diamargarit frigidi ʒj. ſacchari q. ſ. f. miſtura.*

Externa remedia. XXII. Externa autem remedia refrigerent, humectent, ſed non adſtringant, inter quæ aër humidus & nonnihil gelidus magis quam calidus & ſiccus convenit: *Aer.* Quod ſi frigidus ſit hujus inſpiratione contentos eſſe oportet, corpus aliàs operiendo, ne denſatâ cute febrilis caloris perſpirationem prohibeat. Maximè autem ejus inſpiratio confert iis hecticis, quæ corde primum affecto contingunt. Aliis autem quæ ſuccedunt affecto jecori aut ventriculo, quæ ex *Galeno* ſunt, & frequentiores & periculoſiores, ſi aër ſit temperatus eo utendum, qualis ſeſe exhibet, nam ex ejus inſpiratu nulla aut ſaltem minima utilitas jecori & ventriculo accedit, ſed ſi nimium ſit calidus, ſemper refrigerandus eſt.

Balnea. XXII. Balneum aquæ dulcis tanquam ſummum refrigerans & humectans à *Galeno* laudatur, calorem temperat, alimentum attrahit, id autem veteres tribus modis adminiſtrabant. Primum ex aquâ tepidâ, ut humectaret & relaxaret; ſecundum ex calidâ, ut alimentum attraheret, tertium ex aquâ frigidâ, ut poris condenſatis attracta humiditas minus exſpiraret, aut aquâ frigidâ poſt balneum perfundebant, ut docet *Galenus decimo methodi*; docet enim hecticos nihil juvari balneo, niſi in frigidam immergantur, idem enim tunc illis accidit, quod candenti ferro in aquam demerſo, quippe tunc refrigerantur & roborantur. Noſtro vero ſeculo evanuit curioſus ille balneorum apparatus, ſoletque fieri ex aquâ tepidâ, vel ſi nimium incaluit rurſus ad teporem redactâ, ut eam æger ſine ſiti, ſine ſudore perferre poſſit, qui tabidis noxius eſt, unde *Galenus*, ut diximus, frigidam poſt tepidam adminiſtrare jubet. Verum aliis ſuſpectum eſt ejuſmodi Balneum, periculum enim eſt, ne in corpore attenuato, in quo penuria adeſt ſanguinis, carniſque abſumptio, frigida ſubito corporis intima ſubiens calorem extinguat. Quin etiam actuali frigiditate calefacit per

per accidens, pituitosos humores resolvit in tetano *aph. 21. lib. 5.* Nam si juvenis carnosus æstate & regione calidâ tetano correptus potest curari balneo frigidæ, hecticus cum non sit carnosus, ab eodem maximè lædetur. Quare tepidum potius usurpandum, aut aquæ solius, aut cum decocto capitum vel intestinorum *vervecis*, *malvæ*, *altheæ*, *violariæ*, *florum chamæmeli*, *buglossi* & similium, quo quidem semel in die per horam ante cibum corpus reficiendum erit, atque in eo per horam unam ad summum moretur, aut amplius si ferre possit. *Galenus* quidem *decimo methodi* in marasmo balneum probat, sed vetat ne longam in eo moram faciat æger, dein jubet, ut bis vel ter mergatur in frigidam involutus syndone, quia longiorem frigidæ rigorem exanguis æger non perfert, sed sufficit unica, aut altera perfusio, quin potius unctio universi corporis præferenda, ex *oleo rosaceo*, *nenupharino*, quæ olea satis poros coarctabunt, ne à balneo calido majus contingat effluvium, judicio *Herculis Saxoniæ*. Nunc autem satius esse ducunt tantisper in balneo immorari, dum aqua per se refrigeretur, atque ut id citius contingat, frigida addi potest. Divitibus autem lac, oleum, butyrum possunt admisceri, ut magis emolliat & humectet.

Objicies ex *Hippocrate 4. de rat. victus acutorum, textu 59.* balneum non convenire iis quibus vires languent, ideo hecticos non lavandos, qui summè sunt languidi. Respondendum *Hippocratem* loqui de balneo evacuatorio, quod multos sudores movet, corporis substantiam absumit, quale hecticis non convenit, sed illud quod ad temperandum calorem extraneum, & effluvium caloris cohibendum, administratur.

XXIV. Sciendum autem balneum multis de causis noxium evadere, ac omitti debere. *Prima* est, si hectica putridæ conjuncta sit, quia habet obstructionem quæ augebitur fusis humoribus, ideo ante coctionem non est imperandum ex *Tralliano*. *Secunda* est interna aliqua inflammatio, quia humores balneo liquati ad eam confluent, ut docet idem *Trallianus*. Quod si *Hippocrates* tertio acutorum in fine, balneum concedit pleuriticis & peripneumonicis, id intelligendum est post totius corporis evacuationem, & in declicatione morbi, quo tempore nullus humor amplius affluit ad partem affectam, imo tunc spiritus liberior est, & facilior, inflammationis reliquiæ resolvuntur, dolor mitescit. *Tertia* est imbecillitas partis principis, & nobilis, humorum etenim fluxus per balneum concitatior redditur, in partem imbecillam facilius fertur. Quod si pars languida non sit princeps, licebit

Causæ balneum prohibentes. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*

balneo uti, quia ad partes ignobiles, ut cutim & articulos solet naturâ
Quarta. cum ægrotantis commodo humores transmittere. *Quarta* causa, quæ balnei usum prohibet, est plenitudo vel ad vires, vel ad vasa. In hac enim periculum est ne vas aliquod disrumpatur. In illâ verò ne humores colliquati & fusi à balnei tepore, naturæ reddantur graviores, quamvis in hecticâ plenitudo ad vasa esse non soleat, in quocunque tamen morbo illa adest, balnei usum prohibet.
Quinta. *Quinta* causa est cruditas, hæc enim à calore balnei ad venas attrahitur, quare blando clystere evacuanda erit, ventriculus roborandus crusta panis *aspersa caryophillis & cinnamomo, atque pauco vino irrorata, vel oleo cidoniorum, de absynthio.*
Sexta. *Sexta* est alui fluor qui balneum prohibet duabus de causis. Primò quia balneum ad cutem attrahit, impedit motum naturæ per alvum expellentis, præsertim si calidum sit. Secundò quia tepidum balneum aut frigidum corpus humectat, fluxiliorem reddit alvum, ideoque hecticis diarrhoea laborantibus interdicendum.
Septima. *Septima* est alvi constrictio, quia calore balnei tenuiores fæcum partes resolvuntur, ad hepar & alias corporis partes attrahuntur, indeque alvus magis induratur.
Octava. *Octava* causa usum balnei prohibens est cibus ac potus nondum in stomacho concoctus, balneum enim cruda ea rapiet ad venas, propterea statim à balneo nihil est sorbendum priusquam omnis perturbatio & agitatio fuerit sedata. Itaque pridie imperetur clyster molliens, cibos coctu faciles edat in cœna, dein post mediam noctem sumat jus pulli, cremorem ptisanæ, vitellos ovorum, vel ova tremula cum saccharo: Post, sub horam sextam aut septimam matutinam, ingrediatur balneum, abstergeatur linteis & fricetur, oleis suprascriptis ungatur, tum quiescat in lecto per duas tresve horas, blandeque dormiat si possit, nec ante cibum ullum assumat. Iterum sub vesperam descendat in balneum; Decima quoque die repeti id poterit, idque continuis tribus diebus, atque etiam in ipso balneo, si sitis urgeat, lac aut alia sorbitio maximè eupepta poterit exhiberi, sic enim citius in universum corpus distribuitur. *Sciendum autem* inquit Trallianus, *non modo hectica febre laborantibus, sed etiam frigidis siccisque intemperiebus, & senio ex morbo, balneum conferre, hoc enim habet admiratione dignum, quod calidas, & frigidas intemperies juvare potest.*

Vnguenta XXV. Non solum autem ab exitu balnei, sed etiam quolibet tempore, præcipuè mane & versperi inunctiones commodè instituuntur ex oleis relaxantibus, spinæ, hypochondriis, ventri, applicatis, vel ℞. *Mucilaginis*

cilaginis seminis psyllii, cidoniorum, malvæ, ana ℥ ß. *gummi tragacanthi, arabici, infusi in lacte ana* ʒ ß. *butyri recentis* ℥ j. *axungiæ anatis* ℥ ß. *olei violati, amygdalarum dulcium ana* ℥ j. *ceræ parum, fiat linimentum. Galenus* & *Trallianus* ceratum rosaceum commendant, quod pectoris & cordis regioni applicant, nisi hectica ex aliarum partium imflammatione contigerit, tuncque illi potius remedia adhibebimus, ut ipsum veluti ignis fomitem extinguamus, quod optimè præstat ceratum rosaceum, refrigerat enim & humectat, humiditatemque quæ in partibus superest conservat, ne absumatur, prorsusque intereat. Oportet autem sæpius unguentum immutare, ne calefactum, corporis calorem ingeminet. Guainerius frustum cucurbitæ imponit, quia valdè refrigerat & humectat vel ℞. *Axungiæ gallinæ recentis sexies lotæ aqua violar.* ℥ ij. *olei nenupharini, mucilag. seminis citoniorum extractæ in aqua lactucæ ana* ℥ j. *succi umbilici veneris & sempervivi majoris vel minoris ana* ℥ ß. *ceræ albæ q. s. fiat linimentum*: Sed pectori nimis refrigerantia non sunt adhibenda, nisi eximius fervor sentiatur, nec diu etiam sinantur: Inde enim non mediocrem respirationi & voci illatam noxam vidit *Trallianus*, quod *Galenus* ante monuerat *decimo methodi*, propterea unguentum resumptivum commodè inungitur. Carnes autem aliqui unguentis non minus quam electuariis admiscent, sed frustra, nulla enim nutriendi facultas appositione carnium elici potest. Epithemata quoque pectori, cordi, jecori, renibus, ventriculo pulsibus apponi possunt, sentiuntur enim arteriæ calidiores. ℞. *Emulsionis Amygdal. dulc. factæ cum decocto hord. portul. & violar.* ℔ j. *adde butyri recentis* ℥ ij. *mucilag. seminis malvæ* ℥ j. *Misceantur & panni intincti tepidè pectori adhibeantur.* Quidam portulacam tritam ventriculo appositam summopere extollunt. In extremè debilibus, qui ob fastidium aut aliam causam, cibum non sumunt, clysteres nutrientes esse ex usu multis persuasum est. fiunt autem ex alimentosis, ut jusculis, lacte, vitellis ovorum, & aliis ejusdem naturæ. Hæc enim quia longâ non egent coctione, ab intestinorum vi alteratrice quantumvis imbecillâ facilè superantur. In omnibus autem quæcunque vires dejiciunt vitanda, ut inedia, fames, motus validi tum corporis, tum animi, vigiliæque, cum somnus plurimum conducat, sed coitus & omnis inanitio plurimum nocent. Accidens enim quod maximè urget, alvi fluxus est, qui perseverans mortem accelerat, & sæpe morituris contingit, labefactatâ intestinorum retentrice, cui symptomati inunctione ventris aliisque prospiciendum, parcen-

dum humectantibus, sed modicè refrigerantibus utendum & adstringentibus, ut syrupo *de rosis siccis, myrtino, cidoniorum, ptisanâ colatâ*, ex hordeo torrefacto, avenâ & oryzâ eodem modo præparatis, quæ fluxiones egregiè sistunt; Conveniet gelatina ex pedibus vitulinis, hœdinis, suillis, cum santalo rubro, gummi tragacanthæ. Sed quoque constipatio alvi illis non minus molesta est, quæ si nimia sit, clysma injiciatur molliens & leniens ac humectans. ℞. *Iusculi pulli vel intestinorum vervecis, in quo refrigerantes herbæ incoxerint* ℔ j. *dissolve Cassiam vel pulpam tamarindor. ad* ℥ j. *olei violati, nenuphar. ana* ℥ iss. *fiat clyst.* Vel lenis exhibeatur potio ex mannâ, cassiâ, syrupo rosarum solutivo cum Jusculo pulli, aut aliud simile leniens medicamentum.

De hectica cum putrida.

XXVII. Hectica si aliam febrem comitem habeat, synochus simplex ea non solet esse, cum ultra quatriduum non soleat perseverare, sed aut putrida quædam continua, vel intermittens diuturna, tertiana, vel quartana, & in tabe ac phtisi quintana, tuncque non solum ex marcore, & majore consumptione, quam aliàs fieri solet, sed & ex pulsu febrili, paroxysmorum periodis putridam deprehendimus, & cessante paroxysmo hecticæ notæ se produnt. In hac igitur connexione, utriusque ratio habenda est, nam & materia concoqui, obstructiones aperiri, demum purgari humor noxius postulat, sed ità ne hecticæ noceamus, aut saltem quam minimùm. Itaque refrigerantibus syrupis & sine noxâ aperientibus utendum erit, ut de cichorio, de endiviâ, de acetositate citri & similibus, cum aquis idoneis. Purgationes deinde leviores instituantur, ex mannâ, syrupo rosarum solutivo, infuso rhabarbari, cassiâ, electuario lenitivo, in ejusmodi febribus utiles erunt leves illæ purgationes, quas in diætetico *Quercetanus* præscribit ex syrupis de manna, de cassia, cum sennâ, aliæque judicio Medici relinquendæ, dein in declinatione accessionis detur jusculum, vel cremor ptisanæ, ne eorum corpus immodicè siccetur, cibus enim temperat humorum acrimoniam, & humectat, modo non sit illius naturæ, ut facile vertatur in bilem. In quotidianâ jus galli antiqui cum semine carthami, passulis, & mannâ convenit, cavendo semper ab agarico trochiscato propter zinziber & sal gemmæ, fit enim medicamentum calidius & magis extenuans quam par sit. Ex præparantibus autem *Syrupus bizantinus, capilli veneris, hydromel.* sufficient. In quartanâ quoque utendum levioribus melanagogis. Quæ præparantia & purgantia, si febris exigat, nec hecticæ obsint, repetenda erunt.

XXVIII. Alte-

XXVIII. Alterantia humectare & refrigerare debent, propter cordis intemperiem, ob quam causam liberalior potus conceditur, sic Julępi, conservæ, aliaque remediorem formæ in hectica explicatæ possunt exhiberi, admistis iis quæ propter febrem continuam, aut intermittentem refrigerare, obstructiones solvere, putredini resistere debent. Lac autem quia & putridæ febri, & capitis dolori nocet, dare noxium est, nisi propter consuetudinem extra paroxysmum, & butyro detracto illis concedatur, sed exiguâ quantitate.

XXIX. Quod si continua ardens hecticæ jungatur, dubium est an frigidæ potus conveniat, siquidem *Galenus decimo Methodi capite sexto*, probat frigidæ potum, ubi non adsunt inflammatio viscerum, humorum putredo & obstructio. Idem tamen tùm hecticis præscribit, tùm etiam ardentibus, multò magis si simul conjungantur. Sed in hecticâ solitariâ datur in principio, in putrida post coctionem, propterea in connexione hecticæ & putridæ, quidam verentur frigidam dare. Habenda igitur ratio urgentioris, ut si tabes valde urgeat, frigida detur etiam non expectata coctione, aut ejus loco aquæ stillatitiæ herbarum refrigerantium, aqua hordei, serum lactis. *Aqua potus.*

XXX. Pariter de usu balnei quæritur an conveniat. Nocet enim ubi adest humorum putredo aut inflammatio, præterea hecticis tepidum primò, dein frigidum convenit, putridis verò tantùm calidum, ut digerat per habitum corporis. Sed in hac re sequendum est *Galeni* consilium, qui *libro de marcore capite, tertio*, usum balnei probat saltem in declinatione, eo enim tepido evacuantur excrementa febrilia, succedens autem frigidum hecticæ convenit. Epithemata refrigerantia & humectantia apponi debent cordi, hepati, tum in hecticâ, tum in putrida. Sed in quotidianâ ventriculus qui maximè patitur cum hypochondriis, oleo chamæmelino similibusque inungi debet. Et hæc de curatione febris hecticæ. *Balneum.*

XXXI. Est alia marasmi species, quem vocant marasmum senectutis, vel senium ex morbo, quando scilicet sine febre fit totius corporis consumptio, frigida siccaque intemperies inducitur à causis præternaturalibus, quæ est similis marcori facto ætatis decursu in senibus. Quædam, corpora ad marasmum propensa, ut docet *Galenus decimo methodi*, maximè quorum temperies sicca est, præcipuè in ventriculo, jecore, corde, cæterisque partibus principibus, & eò citius ruunt in marasmum, si frigiditas adjuncta sit. Sicut enim ætatis inclinatione hu- *De marasmo senectutis.*

midum primigenium absumptum eſt, cujus jactura eſt irreparabilis, calor evanuit, aut ſaltem imminutus eſt, frigidaque intemperies & ſicca ſucceſſit. Ita præmaturè idem ex morbificis cauſis contingit. Sunt autem eæ vel calidæ, vel frigidæ. A calido reſolvente corporis noſtri humorem accidere poteſt, ad cujus abſumptionem ſequitur totius ſiccitas, caloris nativi imbecillitas, unde per accidens ejuſmodi corpora frigida fiunt & ſicca. A frigido vero fit talis marcor calorem nativum debilitante, unde nutritio impeditur, aut ſaltem imminuitur, corpus refrigeratur & exſiccatur. Fitque ſæpe ut docet *Avicenna* ex immodico frigidæ potu & intempeſtivo in febribus, aut ſtomachi imbecillitate, ut ſi à jejuno, & poſt immoderatum exercitium, cum pori maximè aperti ſunt, hauriatur. Tunc enim penetrabile frigus in viſcera ſubit & præcordia, caloremque nativum extinguit contrarietate ſuâ. Fieri quoque poteſt ab externis nimium refrigerantibus, ut balneo aquæ gelidæ in febribus, & corpore exangui ac macilento. Pariter fit ex cauſis omnibus humorem reſolventibus, ut vacuationibus immodicis, aëre æſtuoſo, ineditâ, vigiliis, curis, ſollicitudinibus, nimiâ venere, febribus ardentibus, morbis diuturnis, tumoribus crudis & rebellibus membrorum præcipuorum, ſic vidit *Galenus* ſimiam tabeſcentem ob tumores duros circa cor exiſtentes. Præterea quidam vapores venenati & tabifici in corpus attracti illius humidum primigenium inſigniter depopulantur. Quibus ſi acceſſerit frigida corporis conſtitutio, propter quam læditur alimenti attractio & concoctio, ac conſequenter nutritio, corpora genio ſuo fraudata, in ſiccitatem labuntur. Hinc ſenes facilius tentantur quam juvenes, ob paupertatem caloris nativi, minus ſiquidem frigerantibus cauſis reſiſtere poſſunt, ſed ſi à calido exhauriente calorem nativum contigerit, juvenibus ob familiaritatem temperamenti erit facilior lapſus in tabem. Sunt autem illius ſicut febris hecticæ tres differentiæ & gradus, unius quidem incipientis, alterius vero adhuc ad majorem conſumptionem tendentis, & tandem plane conſummati & irreparabilis.

Signa. Signa ſunt facilia, ſi quis etenim ſine febre præter ætatem extenuatus ſit, univerſum corpus habeat ſquallidum, coloris flore vivido deſtitutum, pulſumque debilem, parvum, tardum, rarum, urinas albas, aquoſas ac tenues, is ſenium ex morbo aut maraſmum incurriſſe cenſendus eſt. Confirmata hæc ægritudo curationem non admittit, eſt enim humiditatis illius, quæ in ſolidis eſt partibus, abſolutus interitus

ritus

ritus. Emaciatos enim tantùm curarunt, qui ſe verum maraſmum curaſſe gloriantur, ut judicat *Trallianus*, ſiquidem reſarciri tenuitas colliquatioque carnium facilè poteſt, primariæ vero humiditatis, quæ ſolida nutrit, abſumptio, & deperditio, nullam Medicinam recipit, ſicut nec ipſum ſenium, non quidem ratione materiæ, quia perpetuò affluit alimentum, ſed quia ob frigidam intemperiem concoctrix facultas labefactata alimentum nec probè conficere poteſt, nec aſſimilare, præcipuè quia longiori alteratione eget ſanguis humidus, ut in partium ſpermaticarum & albarum naturam tranſeat; ob defectum illum caloris incoctum & crudum manet alimentum, excrementorum humidorum proventus fit maximus, pedes ſenibus inflantur & aliquando fiunt hydropes.

XXXII. Curatio itaque, ſi ſpes aliqua ſupereſt, inſtituatur hume- *Curatio.* ctantibus & calefacientibus. Aër ſit calidus humidus, ſomnus ſolitò longior, animi pathemata coitumque tanquam ſommè noxium devitet: Cibus ſit humectans, εὔπεπτος καὶ πολυτροφὸς, ut ſunt jura carnium, conſummata, ova ſorbilia, lac coctum cum melle & ſaccharo, etſi enim mel noceat hecticis, his tamen maximè convenit. Potus ſit vinum mediocre, non nimis generoſum, quia exſiccat: Loco exercitii frictiones poſt coctionem attrahunt alimentum, calorem roborant. Quod ſi excrementa quædam in alvo ſubſiſtant, educi poterunt enemate ex juſculo cum oleo, butyro, vitellis ovorum compoſito, quod & aliquam nutriendi vim habebit, ut ſupra quoque dictum. Balnea quoqne temperata ſupra modum competunt. *Habent enim hoc admiratione dignum*, inquit *Trallianus*, *quod & calidas & frigidas intemperies juvare poſſunt*. Sed iis tantùm utendum poſt coctionem, ſiquidem ſtatim à cibo, ut monet *Avicennas*, vires debilitant, cruditatibus corpus replent. Ex confectionibus convenit electuarium reſumptivum, martius panis, paſta regia, detractis refrigerantibus, & additis iis quæ calefaciunt, ut cinnamomo, cubebis, granis paradiſi & cæteris ejuſmodi, ſed ambra griſea, zibettum, moſchus maximè conveniunt ſenibus, calefaciunt enim & roborant. Horum loco ſumi poſſunt pulveres *diamargaritonis*, *diarhodon*, *diamoſchi dulcis*, *diambræ*, *pliriſarchontikωn*, *diatragacanthi calidi*, & quia calidiores eſſe videntur, poſſunt temperari diſſolvendo ſaccharum cum aquâ roſarum, violarum, vel additis ſpeciebus electuariorum frigidorum, ut diatragacanthi frigidi & ſimilium, ita ut pro ſacchari librâ unâ ſit tantum ſpecierum uncia ſemis. ℞. *Fa-*

rina

rinæ & sacchari ana ℔ ß. *vitellos ovorum* N. ij. *Cinnamomi* ʒiß. *Zingiberis, caryophillorum, piperis ana* ℈j. *moschi, ambræ ana* g. ij. *Misceantur cum aqua rosarum & chartis includantur & coquantur in clibano.* Sequens admirabile est ab *Arnoldo Villanovano* descriptum. ℞. *Roris majalis distillati* ℔ij. *sacchari optimi* ℥viij. *Coque lento igne dum ros absumatur, adde aquæ stillatitiæ florum vel corticis citri, aquæ melissæ ana* ℥j. *Misceantur simul semper agitando ad solem, aut Balnei calorem, stentque in infusione per dies 3 donec probe misceantur & inspissentur, postea* ℞. *Aquæ stillatitiæ sanguinis humani,* ℥ij. *sanguinis draconis* ℥ß. *croci orientalis* ʒj. *balsami naturalis* ℈j. *moschi, ambræ ana* g. vj. *rosarum siccarum* ℥ß. *ligni aloes* ℥j. *auri foliati* ʒß. *margaritarum præparat.* ℈ij. *Misceantur cum prædictis, & vase clauso serventur, dum massa exsiccetur.* Humidum radicale confortat, senectutem remoratur, hominem in suo vigore conservat, & propterea cor & partes principes, adjuvat, lætificat, pesti, venenisque omnibus adversatur. Sed aquam sanguinis humani omitterem, forsan aqua ex alio sanguine distillata, non minoris erit efficáciæ. Aliud ℞. *Conservæ buglossi* ℥ij. *conservæ violarum, corticis citri conditi ana* ℥j. *myrobalanorum conditarum* ℥iß. Maximè si sint chebulæ, *Nucis moscatæ conditæ* ℥ß. *cinnamomi electi* ʒj. *santali rubri, coralli ana* ℈ij. *margaritarum præparatar. serici crudi, croci ana* ʒß. *confectionis alkermes detracto lapide lazuli* ℈ij. *foliorum auri minutissimè concisorum* ℈j. *ambræ* g̃. iij. *moschi* g̃. ij. *sacchari succo citri vel limonum dissoliti* ℔ß. Misce F. Conditum vel pandaleon, spiritus fovet & nutrit, ac roborat. Nota est aqua qua *Marcus Gallus* ad centesimum & vigesimum annum vixisse dicitur, ℞. *Cinnamomi, cubebar. galangæ, caryophillor. nucis moscatæ, Zinzib. ana partes æquales, salviæ quadruplum, aquæ vitæ optimæ ad pondus omnium, Misce & destilla.* Aliam describit *Fallopius* in secretis, quæ vocatur aqua juventutis, quæ apud eum videri potest. Sed notandum has aquas calefacientes calorem nativum, qui in hoc affectu debilis est, roborare, ideo tantum utiles esse ubi cibus eupeptos, polytrophos, euchymos assumitur, ita ut cum calidum innatum humido primigenio constet & calore, alimentis humidum, aquis & illatitiis prius descriptis, calor instauretur. Julepi quoque & syrupi, ut prius dictum, ex herbis huic intentioni dicatis parari possunt. Demum picatio convenit, quæ attrahit alimentum, partem calefacit, ideo intemperiei huic frigidæ convenit, non autem calidæ & siccæ, de quo remedio fusè à nobis agetur capite de atrophia, tomo tertio. De hoc autem marasmo fuse agit *Guainerius* capite de hecticâ senectutis, qui

videri

videri poteſt. Sed & huc applicari poſſunt quæ de victu ſenum ſcripſit *Franciſcus Ranchinus Monſpelienſis Academiæ Cancellarius*, & præceptor olim meus, in opuſculis ſuis, quæ, dum hunc tractatum de febribus, olim à me apud Burdigalenſes meos compoſitum, iterum deſcriberem typographo tradendum, inciderunt in manus meas, & eorum lectio jucunda atque utilis eſt, quod hoc loco in honorem doctiſſimi & mei amantiſſimi Præceptoris dicendum putavi. *Franciſcus Ranchinus.*

DE FEBRIBVS PUTRIDIS.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT. I.

De putredine.

I. Sequitur ut ad febres putridas accedamus, ſed quia illarum natura plenè intelligi ſine putredinis cognitione non poteſt, breviter de putredine agendum. Quæ tractatio propria videtur eſſe Philoſophorum, quia eſt affectio miſti generationi contraria, pertinet tamen etiam ad medicum, quia ſæpe in homine excitatur, morbos facit, qui à medico curandi ſunt, putredo inhibenda & ſiſtenda eſt. Duobus modis intereunt miſta, vel per combuſtionem a calido vehementer agente, vel per putredinem a calido moderato, de qua dicendum. Dixi hoc modo interire miſta: Convenit enim putrefactio miſto ut miſtum eſt, etſi viventia aliter deſtrui poſſint ab internis & externis cauſis, idque vel ſenſim, vel ſubito. Ab internis cauſis ſenſim fit μάρανσις marcor ut in ſenibus, ſi ſubitò, fit ſuffocatio, πνῖξ vt in athletis. Ab externis cauſis & quidem a frigido ſicco fit αὔανσις in ſtirpibus, in animalibus ſecundum quoſdam tantum dicitur γῆρας, ſi à frigido humido vocatur σῆψις, de quibus nil nobis hoc loco dicendum, ſed de ſolâ putredine.

II. Eſt autem putrefactio ſecundum Ariſtotelem 4. meteor. *Corruptio caloris naturalis & proprii in unoquoque humido ab alieno calore.* Cui definitioni *Quid ſit putredo.*

definitioni congrua esse videtur ea, quam affert Galenus XI. methodi, cap. octavo. *Putrefactio est mutatio ad corruptelam corporis putrescentis à calore extraneo.* Sed in eo differre mihi videntur, quod *Aristoteles* putredinem definivit in termino, *Galenus* autem eam definivit ut est in fieri, & in via, & propterea emendari interdum potest, estque hæc ultima definitio Medico usui aptior, nam humores non integrè putrescunt, nec fit corruptio caloris naturalis, sed tantum mutatio ad corruptelam. Verum singulas definitionis particulas revocemus ad examen. *Corruptio* secundum Aristotelem est opposita generationi, & utraque terminatur ad substantiam, sed *mutatio ad corruptelam*, est tantùm corruptionem præcedens alteratio, & potiùs circa qualitatis rei putrescentis versatur, prior facta est, posterior est in fieri. Ideo cum quæritur an corruptio intelligenda sit simpliciter, aut tantùm mutatio caloris naturalis ad præternaturalem: Respondendũ, definitionem *Aristotelicam* esse corruptionem simpliciter, *Galenicam* verò tantùm mutationem ad calorem præter naturalẽ, cum enim unius corruptio sit alterius generatio, in putredine *Aristotelica* id manifestè cernimus, docet enim in his quæ putrescunt, animalia fieri, ut ex carne putrescente vermes, mutatâ forma rei putrescentis in aliam, sed in Galenicâ, forma manere solet, ideo in venis vermes non generantur, ut dicemus capite sequenti. Alienus itaque calor dum agit in mistum, primùm calefacit, calorem nativum intendit adeo, ut præter naturalis evadat, sublata proportione ad passivas, siquidem non amplius continet humidum junctum sicco. Ità igitur calor dicitur corrumpi non quâ calor, sed quâ naturalis.

III. Præterea definitio *Aristotelis* etiamsi nomine *corruptionis* intelligat interitum substantialem, tamen modum illius corruptionis comprehendit, fit enim calore naturali & proprio corrupto & alterato, siquidem generatio & corruptio sunt opus activarum qualitatum. Cur autem Aristoteles duabus vocibus usus sit, caloris nativi & proprii, acriter disputatur, sed frustra, unus enim idemque calor intelligitur, qui quatenus terminat humidum dicitur naturalis: Proprius verò, quatenus huic vel illi misto commensuratus est, quatenus enim illa proportione reperitur in uno misto, quæ non est in alio, illi proprius esse dicitur. fit autem, inquit *Philosophus*, ejusmodi corruptio in humido sive naturale sit, sive adventitium, ideo in iis qui abundant multo humore excrementitio facile contingit putredo, difficilius autem in siccioribus. Itaque in putrescente misto prævalet humiditas, quod intelligitur

telligitur de putredine secundum partem, nam ubi putrescunt mista secundum totum, prævalet siccitas reliquis qualitatibus, ideo scribit *Aristoteles* omnia putrescentia fieri tandem sicciora.

IV. Et quoniam declarandum erat, à quo fiat naturalis hæc corruptio, addit *Arist. ab alieno calore qui est ambientis*, ubi duo sese offerunt inquirenda, primum quisnam sit ille ambientis calor, secundum quomodo internum calorem corrumpat. Putredo igitur cum à causâ aliquâ necessariò procedat, eam *Aristot.* per calorem ambientis explicavit. Sed tamen non videtur caliditas adæquata putredinis causa, quia ut alibi profitetur, putredo est communis effectus externæ caliditatis & internæ frigiditatis, sed est præcipua & origine prior internâ frigiditate. Quid autem *Aristoteles* intelligat per *ambiens*, dubium est apud Philosophos. Quidam verissimè omnium putant intelligi calorem non solius aeris, aut aquæ sed cujuslibet alterius rei, modo sit externus & alienus a natura rei putrescentis. Attamen *Aristoteles* solius aeris aut aquæ meminit 4. *Meteorum primo* sunt enim hæc duo elementa ob humiditatem ad putredinem aptissima. Nihilominus calor ambiens *Aristoteli* dicitur quicunque est alienus & adventitius, licet sit in ipso corpore putrescente. Tales sunt vapores & fuligines quæ retentæ & humoribus immistæ, tanquam res alienæ vim habent extranei caloris & ambientis. *Quid sit calor extraneus.*

V. Secunda quæstio est quomodo calor a calore corrumpatur, cum omnia serventur à simili, interimantur a contrario. Quidam facilem putant esse responsionem, quoniam non idem est calor qui corrumpit cum eo qui corrumpitur, hic enim internus est, secundum naturam, & moderatus, ille externus, immoderatus, præternaturalis; Nihil igitur absurdum esse putant si à calore externo internus, ab immiti mitis corrumpatur. Sed hæc responsio falso innititur fundamento, calores hos esse contrarios & specie diversos, etsi enim primo hujus operis capite dixerimus calorem extraneum contrarium esse naturali apud Medicos, tamen revera specie non differunt apud Philosophos, unde manet dubitatio quomodo à simili calor possit interire, hic etenim intelligenda nobis putredo est Philosophicè, siquidem est affectio misti, non hominis quatenus homo est. Igitur respondendum puto calorem à calore non corrumpi, sed corpus mistum, idque per accidens, quatenus ob similitudinem primum auget ac intendit calorem internum rei putrescentis, unde proportio ejus in passivas qualitates violatur, ac *Quomodo calor a calore corrumpatur.*

demum illum educit, ficque folvitur mifti compages: Id docuerunt *Arift. Hipp. & Galenus* cum docent intereunte mifto redire calidum ad calidum, frigidum ad frigidum, & fic de cæteris; folum igitur deferit miftum & evaporat, ita ut tandem res illa maneat frigida, fine ullo calore. Ita ut miftum corrumpatur, fed calor ipfe ut calor unà cum corpore calido faceffit in elementum calidum, ignem fcilicet & aërem; fervatur igitur calor ille ab extraneo tanquam à fimili, à quo intenditur, etfi mifto non naturalis evadat, unde cum proprium humidum confervare non poffit, fit putredo. Hæc autem adjuvatur à caufâ univerfali fcilicet cœlo, quod eft tum generationis, tum corruptionis, tum omnis mutationis æquivoca caufa.

Quid fit interna frigiditas.

VI. Sed *Ariftoteles* inter efficientes caufas internam frigiditatem recenfet, quæ fententia valde dubia eft, nam internum frigus quidam pofitivum effe putant, cum aperte inter efficientes caufas ab *Arift.* numeretur, ideoque ajunt in calorem per fe agere, eumque corrumpere. * Sed malè, nam frigus quod eft internum, non poteft tantum effe, ut calorem jam immoderatum factum poffit deftruere, cum in eum remiffiorem nullas vires agendi haberet, quod enim non poteft minus, non poterit majus, nifi ab externo frigore adjuvetur, at tunc non erit amplius internum frigus, fed extraneum; tum quoque quæ ab externo frigore corrumpuntur ea non putrefcunt, ut fub polis vifi funt homines mortui non putridi, fed integri. In generatione miftorum calor eft inftrumentum facultatis formantis, frigus autem tantum concurrit per accidens, calorem temperando & confervando ne exhalet, & fic per fe in corruptione mifti non operatur, fed per accidens, quia frigiditate corrupta corrumpitur calor naturalis, & fic fequitur humidi a ficco diffolutio quæ eft putredo. Rectius igitur internam frigiditatem nihil aliud effe putant quidam, quam ejus qui abiit caloris privationem, productam à calore ambientis, qui non agat in calorem, fed in humidum tanquam caufa privativa. Dici quoque poffet educto calore innato internum frigus fuccedere, quod abfolutam mifti deftructionem molitur. Corpus enim ex defectu caloris factum eft frigidum, quare non poteft amplius ab eâ qualitate nimis ad frigidum vergente contineri humidum ne diffluat, & à ficco fuperetur. Sic etenim fit putredo. Calor ambientis internum calorem auget, miftum calefaciendo relaxat, & aperit, internum evocat calorem, ipfumque corrumpere dicitur, tunc fuccedit feparatio humidi à ficco, ut amplius non cohæ-

reant,

reant, unde fit ut humidum ad superficiem inordinatè diffluat, hinc fiunt efflorescentiæ in superficie corporis putrescentis. Procedenti putredine humidum totum exhauritur, res remanet sicca, dùm tandem in terram, fimumque abeat.

VII Vocatur hic putredinis & corruptionis modus à Philosopho naturalis, ut distinguatur à combustione, quæ est interitus violentus. Sed cur dicatur naturalis valdè controversum est, variasque opiniones recuset ac refellit *Zabarella lib. 2. de misti gener. & interitu. cap. 3. & 4.* tandem concludit dici naturalem ratione naturæ universalis, nam est contra naturam particularem misti, cum ipsum destruat. At ratione naturæ universalis etiam combustio est interitus naturalis, ejus enim actio est naturalis, in patiente dispositio esse potest ad combustionem, non minus quàm ad putredinem. Et ratione naturæ universalis nihil est contra naturam in mundo ab agente naturali productum, non minus enim naturale est igni comburere, quam calori blandiori putrefacere. Cum putredo & combustio fiant a calore extraneo, in hoc differunt quod hæc subitò & vehementer contingat, illa sensim & pedetentim. Natura autem quæ omnia mista statuit interire, modum quo intereant etiam ordinavit, scilicet ut sensim & lentè, non subitò perirent, quem modum considerans *Aristoteles* dixit combustionem esse interitum violentum, putredinem naturalem, quia natura non statuit mista interire per combustionem; non autem, ut idem *Zabarella* putat, quia natura decrevit mistum constans elementis in elementa resolvi, per combustionem verò contra hanc naturæ legem ex actione ignis violenta vertuntur fermè omnia in ignem, præter paucos cineres, qui etiam adhuc ignis naturam redolent, quasi ab igne mistum non solveretur in elementa, id Per patietici reliqui non admittunt, qui docent aqueum humorem secerni & separari ab igne, aereum igni esse pabulum, & resolutiones chymicæ docent reduci vi ignis humorem, aqueum, aereum, igneum, & terram ex uno eodemque misto, non autem in ignem omnia mutari. Ergo verius est quod dicit *Arist.* corruptionem illam esse naturalem quæ fatalis est, id est fato determinata, per fatum siquidem intelligere nihil aliud potest, quam legem a naturâ constitutam de modo quo singula mista intereunt & generantur. Sic mors naturalis dicitur quæ fit per humidi ultimam resolutionem a calore naturali, qui absumpto humido tandem ipse extinguitur. Violenta vero quæ fit submersione, gladio, suspendio, præter modum à

Quomodo putredo sit naturalis.

Refutatio Zabarellæ.

naturâ constitutum. Sic de putredine dicendum est eam esse naturalem, quòd fiat modo à naturâ ordinato, combustionem vero violentam, quod nimium cita sit, nec a naturâ ordinata, etsi agens naturaliter agat in objectum sibi patiens, & propterea ratione totius naturæ etiam combustio, sicut & morbus possint dici secundum naturam, fiunt enim à causis naturaliter agentibus.

Objectiones. VIII. Sed adversus definitionem *Aristotelis* quædam objici possunt. *Primò* convenit combustioni, quia combustio est corruptio proprii caloris à calore externo. *Secundò* malè putredo dicitur fieri à calore ambientis, quia mistum in centro Mundi, aut in vacuo interiret, omnia enim milta intereunt. At illic nullus est calor ambientis. Præterea mistum constat ex contrariis. Ergo ex illorum actione mutuâ putrescet, vulgare siquidem est axioma, ideo singula interire quia constant contrariis, sic fiet putredo non à calore ambientis, sed à principio interno. *Tertiò* objicit *Argenterius* Putrefactio est interitus contrarius generationi substantiali, ergo definiri debet corruptio substantiæ, non caloris, siquidem ad qualitatem motus, est tantum alteratio. *Quartò* dubium est de multis quæ in aere valde frigido putrescunt, siquidem calor eorum internus major est calore ambientis, unde vinci ab eô nec potest, nec educi; Ideo aut putredo omnino non fiet, aut saltem non a calore ambientis.

Solutio. Ad *primum* respondet *Zabarella* in combustione destrui potius frigus a calore, quam calorem à calore, agit enim ignis, vel in frigidum, vel in minus calidum, quod habet rationem frigidi & contrarii, humidum vero & siccum locum materiæ, vel humidum habet locum contrarii, in quod agit ignis ut in frigidum & humidum, in putredine verò calor externus agit in calidum, educendo in quo consistit ratio putredinis. Sed hæc responsio dubia est, dum eodem modo omnis calor agat, etsi non adeo intensè. *Refutatio Zabarellæ.* Veriùs ergo dicendum definitioni additam fuisse particulam, (in unoquoque humido,) ut distingueretur à combustione quæ fit in sicco, nihil humidum comburi potest antequam exsiccetur. Ad *Secundum* Respondeo omne mistum necessario putrescere, deducitur tamen consequentia ex falsâ hypothesi, nam impossibile est dari vacuum, ideo non mirum si eo concesso concedere possimus mistum non corrumpi, aliaque sequentur absurda plurima. At in centro mundi si nullus calor adest, mistum non putredine, sed alio modo interibit nempe a frigore, interitu violento, nam etiam fieri à frigido interitum vult *Zabarella*, sic inventi sunt pisces,

aliaque

aliaque id genus in lapidem mutata, quod oſtendit ea interiiſſe a frigore. Sed non advertit *Zabarella*, hic non adeſſe interitum qualem hic intelligimus, nulla etenim fit ſeparatio elementorum à ſe invicem, ſed potius fit miſti mutatio in aliud miſtum diverſi generis, ſervatâ non deſtructâ miſtione. Suppoſito itaque nullum eſſe in centro calorem, dicimus nullam futuram putredinem, ſed miſtionem fore integram, etſi forſitan non eandem. Sed maximè placet & veriſſimum eſt quod idem affert *Zabar.* conſtare ex contrariis non eſſe in miſto cauſam actualem corruptionis, ſiquidem contraria factâ miſtione non poſſunt agere inter ſe, nec remanent actu in miſto, ſed alterata & unita amicè coaluerunt. Igitur conſtare ex contrariis erit cauſa corruptibilitatis, quia miſtum eſt mediæ naturæ inter extrema contraria, proinde indicat illud habere extra ſe contrarium à quo lædi & alterari, ac tandem corrumpi poteſt, pati ſiquidem poteſt tum à calido, tum à frigido, nunquam à ſeipſo, ideo prudentiſſimè *Ariſtoteles* putredinem ab extraneo calore fieri voluit, cum nihil à ſeipſo corrumpatur. Ad *tertium* reſpondere poſſumus duplicem eſſe putrefactionem, perfectam & imperfectam, prior eſt totius ſubſtantiæ deſtructio, ac quamvis eam definire voluerit *Ariſtoteles*, tamen imperfectam quoque complexus eſt, dum dicit eam eſſe caloris corruptionem, quæ ad ſubſtantiæ interitum ducat. Vel dicamus per corruptionem intelligi mutationem ſubſtantialem, quæ hoc nomine ſubintelligitur, definitionique additum modum, quo mutatio hæc ſubſtantialis contingat. Vel dicamus cum *Saxoniâ* definitionem eſſe cauſalem, qualis eſt definitio Eclipſis, nam putredo revera eſt corruptio ſubſtantiæ, non caloris qui qualitas eſt, ſed caloris corruptio eſt cauſa, unde docet *Ariſtoteles quarto meteorum* generationem & putredinem eſſe opera primarum qualitatum. *Galenus* vero qui non intellexit per putredinem interitum ſubſtantialem, putredinem definivit *mutationem ad corruptelam* quaſi ſit tantum via tendens ad corruptionem & ſubſtantialem mutationem, ut dicemus inferius. Ad *quartum* Reſpondeo, majorem vel minorem agendi vim non provenire tantum ab intenſione graduum, ſed etiam ab extenſione magnitudinis, nam in majore quanto major eſt virtus, tale agens eſt calor aeris qui ſenſim & lentè agit, ideo putrefacit, & quamvis calor patientis poſſit eſſe major in dicto caſu calore agentis aeris intenſivè, tamen in magnâ mole circumſtantis aëris, major eſt calor extenſivè, qui ideo ob actionis diuturnitatem educet calorem patientis, ſicque putrefaciet.

[Margin: * *Refutatio Zabarella.* — 3. — 4.]

* ciet. Sed tamen in aere valde frigido, ut juxta circulum arcticum, corpora intereuntia vix putrescunt. Referunt historiæ quosdam homines præ frigore in Groenlandia mortuos integros inventos fuisse non corruptos anno sequenti. Et hæc de putredine in genere, de quâ plura in Philosophiæ naturalis ampliori systemate disputabo.

Differentia putredinis. IX. Est autem putredo duplex, una totalis, seu perfecta, alia partialis seu imperfecta. Totalis est quâ mistum ex toto, omnique ex parte putrescit, quando nimirum penitus sejungitur humidum a sicco, & mistum perfectè solvitur in elementa, aut alia mista, ita ut ejus nihil reliquum appareat præter terram. *Totalis.* Hoc modo putrescunt omnia mista quæ per excessum terrea sunt, & solida, siquidem evocato proprio calore, humidum quoque educitur ad externa, pariterque absumitur, ut remaneat terra sicca. Non est autem necesse ut totum mistum putrescendo corrumpatur, sed sæpe pars tantùm corporis misti sic interit, & nihilominus fit totalis putredo secundum totum illud quod putredine afficitur. Non enim putredo dicitur totalis, ut quidam voluerunt, in quâ totum mistum putrescit, sed in quâ id quod putrescit, sive totum fuerit, sive pars, totaliter & absolutè interit, ita ut pars totaliter, & totum partialiter possit corrumpi. *Partialis.* Partialis seu imperfecta putredo est, quando separatio illa non perficitur, tunc dicitur mistum interire κατὰ μέρος, vel aliquâ ex parte dissolvi. & ut ait *Arist.* a naturali sua constitutione recedere, contingitque hæc putredinis species in iis mistis quæ fluida & magno excessu aquea sunt, ut in vino contingit, & elementis ipsis, excepto igne. Est autem hæc putredo adeo levis interdum ut potius via ad putredinem dici debeat, quam putredo, in quâ mistum propriam formam retinet, interdum tanta est, ut etsi non fiat perfecta resolutio in elementa, forma tamen misti pereat, & in aliam * speciem transeat. Sic putrescunt in corporibus nostris humores, ex quibus fiunt febres putridæ, quamvis interdum possit humor ex ingenti putredine marcescere, quod perrarum est, imò non videtur vita animalis eo usque produci posse dum absoluta putredo fiat, sed mortem prævenire necesse est. Solent igitur vivo animali putrescere humores secundum partem ut vocant, quod intellexit *Galenus* dum putredinem definit *mutationem ad corruptelam.* Imo etiam cœptam humorum putredinem remediis Medici sæpe cohibent, humoremque pristinæ integritati restituunt, ut docet *Galenus in arte cap. 89.* Inquit enim *concoctione fieri ut humorum putredo cesset, proinde eos alterari manente substantiâ.*

x. At

x. At quomodo putrescant elementa multorum ingenia torsit, cum putredo sit substantia mista ex elementis. Dicere possumus ea putrescere, non quatenùs simplicia, sed quatenùs mista. Terra enim habet humorem aqueum permistum & calorem ingenitum à lumine astrorum. Aqua habet commistas exhalationes terreas siccas, caloremque similiter. Aër pariter calorem habet proprium & naturalem, tum multis vaporibus inquinatur, & facile suscipit vicinæ alicujus putredinis contagia. Solus ignis putredinis non est capax, quia nihil secum patitur commisceri, cum omnia absumat, & in suam naturam vertat, tum quia non datur aliquid ipso calidius, tum quia siccus est non humidus, unde ad generationem mistorum omnino ineptus est. Totam autem naturam putredinis videre licet plenè explicatam apud *Zabarel. libro de misti generat. & interitu.* *De Elementorum putredine.*

Cap. II.

An dentur febres putridæ.

I His de putredine prælibatis ad febres putridas accedamus. Est autem febris putrida, quæ ex putrescente humore suscitatur. Sed ante omnia quærendum an ejusmodi febris detur. Refert *Alexander Trallianus* Medicos quosdam negasse febres à putredine fieri, sed humores in venis exardescere tantùm, ut in pice, bitumine, paleis videmus, quippe concipi incendium in spiritibus primum, quod nisi restinguatur, etiam vicina depascitur. Humores autem non putrescere probabant, quod lumbrici & bestiæ in venis ex humoribus, sicut in intestinis fieri non cernantur: sic in externis, quæ putrescunt degenerant in animalcula quædam. Alii qui febres à putredine concedunt omnes volunt esse pestilentes, cujus opinionis fuit *Ioubertus.* Contrariam opinionem sequuti sunt antiqui Medici *Attalus*, & *Athenæus*, qui voluerunt omnes febres esse putridas referente *Galeno*, qui eos non refellit, tantum excipit Ephemeras, etsi multi voluerint spiritus ipsos putrescere posse, cum omnia mista putredini sint obnoxia, si enim terra & aqua putrescunt, multo magis spiritus; Præterea quæ admittunt mistionem alterius corporis putridi ea putrescere possunt. Tales sunt spiritus; Igitur possunt corrumpi.

II. Verum satius est ex communi Medicorum consensu statuere febres

bres quaſdam dari putridas id probat *Galenus primo de differ. febr. cap. tertio*. *Primò* quod calida humida in calidis locis contenta facilè putreſcunt, maximè ſi prohibita tranſpiratione calorem extraneum ſuſcipiant. Nihil prohibet igitur humores putreſcere, & hoc maximè cernitur in plenitudine ad vaſa. *Secundò* in plenitudine ad vires humores facile corrumpuntur, cum non poſſint domari & regi à natura, hæc enim cauſa eſt putredinis. *Tertiò* ex malis cibis ſæpe ſuccreſcunt humores putridi, qui febres putridas poſtea facere poſſunt. Sed alias addamus rationes. Si ſolum incaleſcerent humores non autem putreſcerent, pulſus in omnibus putridis eſſent æquales, ordinati, ut in ephemeris, quod ſolus calor fatiget, aut ſaltem daſtole major eſſet ſyſtole, quod major foret neceſſitas refrigerationis quam expulſionis fuliginum, pariter urina concocta non cruda foret. *Quintò* omnia prætet ignem poſſunt putreſcere, Non abſurdum igitur ex humoribus putreſcentibus febres accendi. *Sextò* ſanguis putridus ſæpe educitur venæ ſectione, & humores putridi ſæpe per alvum, ſudores aliaſque vacuationes expurgantur, etiam cum fœtore maximo putredinis indice. *Septimò* ſi ſine putredine fierent, ſolis curari poſſent alterantibus, non foret opus vacuantibus præſidiis, nec natura vacuationes ſpontaneas tam ſæpe inſtitueret. *Octavò* Multa putredinem generare poſſunt, ut vicina putridorum, cibus vitioſus, prohibita tranſpiratio, caloris nativi imbecillitas, aër putridus, quæ cauſæ ſi præſtò ſint, dubium non eſt humores putreſcere poſſe. Et hæc in multis febribus apparent quæ tamen non ſunt peſtilentes. Quin etiam multæ peſtilentes ſunt abſque putredine, ut ſuo loco dicemus.

CAP. III.

De cauſis Febrium putridarum.

1 PRoxima putredinis cauſa ſecundum *Galenum* eſt calor extraneus inſito gravis & moleſtus, ut prius diximus. Mediatæ verò à *Galeno de cauſ. morb. cap. 8*. ad tria genera referuntur. fit enim putredo vel à medicamentis, vel ab excrementis in animali genitis, vel ob prohibitam tranſpirationem. Primò medicamenta putrefacientia ſunt

Prima cauſa. ſeptica, calida & humida, de quorum natura tractat *Galenus primo ſimpl. cap. 15*. Sic oleum aſperſum ulceribus majorem putredinem ſolet excitare,

tare, & certum est si quis ejusmodi medicamenta assumpserit, humores in pravam malignamque naturam degeneraturos.

II. Secunda causa est prohibita transpiratio, quæ generatur vel propter obstructiones, vel propter constrictionem meatuum cutis. Obstructio fit tripliciter vel propter copiam, vel propter crassitiem, vel propter visciditatem rei obstruentis. Sed hoc non est intelligendum de omni obstructione, nam viscerum obstructiones non semper pariunt febres, ut docet *Galenus 2. de loc. aff.* gravitatem hypochondriorum sine febre, ostendere obstructionem vel scirrhum, cum febre vero inflammationem, potest igitur obstructio esse absque febre. Præterea obstructio quæ est absque inflammatione non facit febrem continuam, quia non est causa putredinis humorum qui sunt in venis, qui aliâs commodam habent diaphoresin per habitum corporis, nec facit intermittentem, fit enim hæc ex humore in habitu putrescente, tùm potius continua illa foret quam intermittens, quandoquidem putrescens humor in vasis determinatis partium facere febrem potest, sed tantum continuam. quoties igitur putrescit humor in visceribus, facit febrem, sed non semper putrescit per obstructiones viscerum. Constrictio meatuum cutis tripliciter generatur, vel ex nimio frigore, vel ex nimia siccitate, vel ex usu rei alicujus adstringentis, ut balnei aquæ aluminosæ. *Secunda.*

III. Sed hic oritur dubium an putredo fieri possit sine prohibita transpiratione. Et quidem posse videtur, siquidem *Galenus de causis morbor. cap. 8.* tres ut diximus statuit putredinis causas, prohibitam transpirationem, medicamenta putrefacientia, & genita in corpore excrementa. Idem quinque causas statuit morborum calidorum, motum, putredinem, viciniam rei calidæ, prohibitam transpirationem, & calida assumpta. Quod si putredo esset à prohibitâ transpiratione, male putredinis & obstructionis seorsim meminisset. *Tertiò* idem confirmat experientia, quandoquidem caro, aqua, multaque alia putrescunt sine ulla obstructione, sic cibus in stomacho corrumpitur, cibus putris assumptus, contactus putridorum humorum reliquos inficiunt. *Quartò* partes gangrana affectæ alias putrefaciunt, quas proxime tangunt, tum universum corpus, nisi citò abscindantur. Sic *Galenus 2. de diff. feb.* fatetur sanguinem putrescere non tantum ob obstructionem, sed ob alias causas extraneum calorem inducentes, & *libro de Inæq. intemp. cap. 7.* apertè ait non tantùm ex obstructione, sed etiam *An putredo fieri possit sine prohibita transpiratione.*

aliis de causis fieri posse putredinem. *Quintò* si putredo fit à calore extraneo internum corrumpente, possitque is augeri aliis de causis quam à transpiratione prohibita, certum erit putredinem aliunde fieri posse, unde *primo de diff. feb. cap. 3.* ad finem ait, in plenitudine ad vasa fieri putredinem à prohibitâ transpiratione, in plenitudine verò ad vires, quod non possint humores regi à calore nativo, & *lib. de curandi ratione per phlebotomiam*, facilius ait putrescere humores in plenitudine ad vires quam in eâ quæ ad vasa est. In illa autem non adest necessario obstructio ulla; demum sequeretur hyeme plures fieri febres, quia obstructiones ob ambientis frigiditatem, humorum crassitiem sunt copiosiores: attamen certum est æstate febres esse frequentiores, non propter obstructiones, sed propter ambientis fervorem, caloris innati defectum, & propter humores biliosos qui facilius incendium concipiunt quam pituitosi. Contra hyeme quamvis obstructiones facilius contingant tamen calor ambientis minor est, innatus validior, humores minus fervidi. Non igitur semper à prohibitâ transpiratione fit putredo.

IV. Contra vero *Galenus* videtur unicam obstructionem causam febrium putridarum statuisse, nam *xj. Meth. cap. 10.* dum persequitur methodum curandi febres putridas, hunc servat ordinem, primò febrem considerat, dein putredinem, demum prohibitam transpirationem, tandem ultimo obstructionem, à qua principium curandi facit, ita ut prædicta ex sententiâ Galeni sese mutuò consequantur. Verùm ut docet *Hercules Saxonia*, *Galenus* non de qualibet febre putridâ agit, sed de ea quæ fit in vasis communibus, quæ solet esse ab obstructione pororum cutis: Vel dicere possumus *Galenum* locis citatis agere de putredine humorum, quæ fit non ab externâ causâ, sed ab internâ, quæ sine obstructione non solet fieri, nam à causâ externâ & procatarcticâ putredinem in humoribus posse excitari idem nunquam negavit, & argumenta supradicta clare ostendunt, sic ex aëris putridi inspiratu fit pestilentia. Rectè distinguit Valles. prohibitam ventilationem ab obstructione, quod illa sine hac esse possit, corpus liberè non perspirat, non tantùm quia obstructæ viæ sunt, sed etiam quod facultas gravata est, aut arteriæ duræ vix possint dilatari, unde in plenitudine ad vires fit putredo, interdum sine obstructione, sed nunquam sine prohibitâ ventilatione, nisi à causâ externâ contingat.

Tertia causa. V. Tertia putredinis causa sunt excrementa in corpore genita. Generari

nerari autem solent per cruditates, & corruptas alimentorum coctiones, ut diximus capite *de Ephemera*: fiunt autem cruditates *tertio de symptomatum causis*, propter imbecillitatem facultatis concoquentis, propter ipsius alimenti vitium, & propter errores externos: Imbecillitas facultatis vel partium intemperies, vel earum morbos organicos sequitur, non enim tantùm à temperie, sed etiam à conformatione organicâ concoctio procedit. Sed vitio alimenti fit cruditas secundum *Galenum & Avicennam*: *primò* propter pravam ipsius alimenti substantiam; *secundò* propter quantitatem quæ consideratur vel absolutè & simpliciter quoad vasa, ut in helluonibus, vel ex viribus assumentis æstimatur. *Tertiò* propter malam qualitatem, quæ duplex est, vel quia alimenta facile naturâ suâ corrumpuntur, ut fungi, cucumeres, lac; vel quoniam etsi naturâ suâ sint bona, tamen ob quandam putredinem aliundè acquisitam noxia evadunt, ut triticum, hordeum, omne denique alimentorum genus, quæ aut à primâ statim generatione, aut temporis diuturnitate, aut ob malam repositionem vitium potest contrahere. *Quartò* ob malam præparationem. *Quintò* ob malum usum in tempore assumendi & ordine. In tempore quidem, ut si cibo nondum concocto, novus assumatur; In ordine vero si adstringentia ut cidonia, fructibus horæis, lacti, aliisque quorum substantia facile corruptibilis est, præmittantur. *Avicennas* septem causas putredinis recenset; *primò* alimenta natura sua prava, *secundò* quæ facile corrumpuntur ut lac, *tertiò* quæ nimis sunt humida, ut horæorum fructuum omne genus, *quartò* quæ nimis frigida ut cucumeres, *quintò* quæ malè præparantur, *sextò* quæ præposterè, *septimò* quæ malo & inverso ordine sumuntur, quæ optimè Galeno consentiunt à quo sunt desumpta. Cruditates denique fiunt propter errores externos, referri autem debent ad usum sex rerum non naturalium, quæ quomodo putredinem producere possint capite de causis febrium abundè diximus. Sed *Galenus* non vult ab ejusmodi excrementis, quantumvis in corpore abundent febres induci, si nulla in visceribus sit obstructio, & libera sit corporis perspiratio, at si obstructio contigerit, aut habitus corporis adstringatur febris succedet. Itaque iis qui malis humoribus sunt referti, si intempestive laborent, aut temere balneo usi sint, aut pororum cutis obstructi contingat, facilis erit lapsus in febres, siquidem corrupti humores ex his causis magis ac magis accenduntur, & fuligines in corpore retinentur.

CAP. IV.

De differentiis febrium putridarum.

I DIfferentiæ febrium putridarum sumuntur ex *Galeno* à tribus, *Primò* ex eo quod causa ipsius putredinis adsunt, vel absunt, *Secundò* à loco, quòd per totum corpus, aut in aliquâ tantum parte sit putredo; *Tertiò* quatenus cum phlegmone aut citra hanc febris solitaria consistit. Nos autem eas desumemus vel à materia quæ putrescit, vel à loco in quo putrescit, de utrisque autem magnæ sunt difficultates.

Differentiæ à materia. II. A materiâ putrescente differentiæ quatuor sunt secundum quatuor humores corporis nostri; & primum sanguis putrescens febrem procreat sanguineam, etsi id neget *Galenus* referente *Avicennâ*, ut dicemus capite proprio. *A sanguine.* Quidam referente *Tralliano* putarunt solam pituitam putrescere, est enim humor crassus, viscidus ad putredinem & obstructionem maximè comparatus, unde videtur illi nomen datum ἀπὸ τ͂ φλέγειν ab ardendo quod facile inflammetur; *A pituita.* at hæc opinio Judicio *Tralliani* absurda est, ulteriorique non eget refutatione, nomen siquidem illud phlegmatis pituitæ datum per antiphrasin, tantumque abest ut à pituitâ febres omnes generentur, cum ut ex rei veritate docet *Fernelius*, rarissima sit exquisita quotidiana, quæ bilis aut alterius humoris mistione non constet, humor enim ille frigidus non facilè concipit incendium, sed in senibus & summa hyeme plurimam bilem pituitæ admistam cernere licet. *A melancholia.* Alii eodem referente negarunt à melancholiâ febrem ullam generari, humor siquidem est frigidus siccus, utrâque qualitate putrefactioni adversus. Verum ii non advertunt melancholiam talem dici respectu aliorum humorum, etsi revera sit humor calidus & humidus. *A bile.* Demum alii probabilius voluerunt à sola bile putridas febres excitari, ut idem author est, cum febris sit affectio calida sicca, sicut bilis. Hippocrates *libro secundo de Nat. hominis* disertè omnes febres fieri ex bile pronuntiat. Est enim pinguior sanguinis pars secundum Galenum accensioni aptissima. Sed hanc sententiam *Galenus* ut falsam rejecit, partemque hanc libri spuriam censuit, præsertim quod σύνοχ8 nomen veteribus inusitatum ea contineatur. ** Galeni refutatio.* Probabiliter tamen putat *Mercurialis* in variis lectionibus, bilem reliquis addi

addi humoribus, tanquam ſulphur ut accendantur, & ſanè pauciſſimæ febres adſunt, quin bilis peccare cernatur, in quotidianis, quartanis, continuis, intermittentibus bilis putrefactio communis adeſt, rarò enim exquiſitæ deprehenduntur, imo fermè nunquam, ſi enim tertiana ipſa quæ à bile eſt, legitima rariſſimè cernitur, quid de cæteris ſentiendum? Hanc autem fuiſſe legitimam *Hippocratis* ſententiam oſtendere videtur *aphoriſmus 42. lib. 7. Si febris non ſit ex bile, calida capiti ſuperfuſa ſolutio ſit febris*, quem aphoriſmum Galenus explicaſſe non videtur. *Hippocrates* igitur balnea præſcripſit febribus quæ non ſunt ex bile, quales ſunt diariæ & hecticæ, aliàs falſa erit ejus ſententia, ſiquidem & iis quæ ſunt à pituitâ & melancholiâ non magis convenit balneum, quam bilioſis. Voluit igitur per febres à bile intelligere omnes humorales, quas libro citato dixit fieri omnes ex bile, ita ut hic ſit ſenſus, balnea convenire omnibus febribus quæ non ſunt humorales, quales ſunt diariæ, hecticæ, & omnes quæ fiunt ex laſſitudinibus, exuſtione, frigiditate, cutis pororum coarctatione & obſtructione. Attamen fieri à ſola bile repugnat experientiæ, quæ demonſtrat urinis, dejectionibus, vomitu, ſudoribus, non ſolam bilem, ſed & alios humores excerni. Idem oſtendunt cauſæ efficientes quæ ſæpe alios à bile humores, ut pituitam & melancholiam generant, cumque omnia putreſcere poſſint, unde & qua ratione cæteris humoribus putredo & calefactio denegabuntur. Demum rigor, horror, refrigeratio, pulſus, urina, diverſitatem humoris febribis arguunt, ut ex ſpeciali doctrina patebit. *Hippocrates ipſe 2. de morbis clarè dixit fieri à pituita. Si bilis* (inquit) *& pituita incaluerit, totum corpus incaleſcit & vocatur febris, incaleſcit autem intus quidem à cibis & potibus quibus increſcit & augetur, Extra verò à laboribus & vulneribus, & à calido calefaciente, à frigido refrigerante, item à viſu & auditu, ſed ab his minimum.* Hinc colligimus omnes humores corporis noſtri putreſcere poſſe & febres accendere.

III. *Argenterius* autem non ſine ratione addidiſſe videtur febrem ab humore ſeroſo putrefacto & corrupto, quam vult eſſe ſynochon, cum enim ſerum putreſcere queat, cur febrem non pariet, ſic docet experientia multas febres ſanari eductis humoribus ſeroſis, detractoque ſanguine multus humor aqueus ſupernatare cernitur, in quo ſolo febrem reponere oportet, cum nullus alius videatur labefactatus, ipſeque ſanguis purus appareat. Id oſtendunt febres hydropicorum, quæ non ab alio quam à ſeroſo humore fieri poſſunt, febrem hanc ſynochon *Ex ſero.*

nochon

nochon esse putat, quia enim serum in vasis putrescit erit continua, & quia humore bilioso, pituitoso, melancholico non fit, nec erit quotidiana, nec tertiana, nec quartana, synochos igitur sit oportet. Si respondeamus serosum humorem non facere febrem à prædictis distinctam, cum unusquisque humor suum habeat serum, febris à bilioso sero erit tertiana à melancholico quartana, ita instat *Argenterius*, febris hydropicorum ex aquoso humore nascitur, qui nec est serum bilis, nec melancholiæ, nec pituitæ, sed merus aquosus humor, præterquam quod maximè dubium est an serum unius humoris ab altero distinguatur, ut in Physiologiâ diximus, & lib. de usu lienis.

Dubium. IV. Sed hic quoque dubitatio maxima sese offert, cum diversi sint humores sub eodem genere comprehensi (ut bilis quædam est pallida, flava, æruginosa; melancholia vel simpliciter talis, vel atra bilis) an febres quæ ex his nascuntur sint ejusdem generis an diversi. Respondeo febres has ad idem genus referri, quod ostendit purgatio, sic rhabarbarum bilem educit quæcunque tandem illa sit, cumque omnes isti humores sint ejusdem speciei, accidentibus tantum differant, ideò febres quæ ab his oriuntur, non specie, sed accidentibus discrepabunt, ut longitudine, brevitate, malignitate, benignitate, & cæteris. Etsi, ut obiter dicam, in hac humorum doctrinâ quædam sint dubia, cum ad idem genus res omnino diversæ referantur, ut bilis atra ad melancholiam, cum quâ nihil habet præter nomen commune, & ad bilem potius referri debeat, à quâ tantùm secundum magis & minus distinguitur. Statuendum itaque humores omnes in corpore putrescere. Ideo *Attalus* & *Athenæus* voluerunt omnes febres esse putridas quos *Galenus* non refutavit, excepit tantùm Ephemeras, quin etiam spiritus ipsi corrumpi possunt, quidni humores?

Differentia ex loco. *Prima opinio.* V. Differentiæ à loco in quo humores putrescunt sequuntur explicandæ de quo non parva est tum inter veteres, tum inter recentiores altercatio. Quidam enim ait *Trallianus*, non continuas modo, sed etiam intermittentes fieri voluerunt ex humoribus in vasis putrefactis, à continuis non loco, sed humoris & quantitate & qualitate differentes, quod in continuis multus, crassusque humor subsit in intermittentibus tenuior, quique in summam cutim efferri facilius possit. Probari potest hæc sententia *primò* urinæ febrium intermittentium coctionem & cruditatem demonstrant, at urinæ tantùm significant humores qui sunt in venis, est enim urina serum eorum qui in venis sunt

ſunt humorum. *Secundò* ſanguis extra venas concreſcit, in venis ergo tantùm putreſcet. Sed ſi hæc opinio vera eſſet, nulla poſſet reddi ratio rigoris illius qui febres intermittentes præcedit, concluſi enim venis humores, & coërciti nullum rigorem excitant. Itaque ſi ſanguis concreſcit extra venas, non dubium tamen quin quoque poſſit putreſcere. Si urinæ ſpectantur id tantum ad cauſæ antecedentis diſpoſitionem inveſtigandam & cognoſcendam fit, non ad conjunctam, quæ ſingulis paroxyſmis evacuatur, ut inferius dicemus.

VI. His alii adverſantur qui ſemper extra venas humores putreſcere volunt, & in ventre, *primò* quod illic generentur lumbrici, *ſecundò* quod excrementa etiam in ſanis illic putreſcere ſoleant, *tertiò* quod unico vomitu, aut alvi dejectione, febres integrè fuerint ſolutæ. Alias rationes addit *Ioubertus paradoxo tertio*. *Quartò* ergo ſic probari poteſt hæc opinio; in locis propriis cuncta conſervantur ex Ariſtot. 4. Phyſic. ſed venæ ſunt loca propria humorum. *Quintò* omnis putredo eſt cum fœtore, in venis nullus fœtor, ergo in iis nulla putredo. *Sextò* humores putreſcunt, vel quia pauci, vel extra proprium locum ſunt, vel non moventur, vel ſunt in loco anguſto, at humores in venis nullam habent ex prædictis conditionibus, non igitur ibi putreſcunt. At ex hâc ſententiâ ſequitur febres omnes eſſe intermittentes, nullas continuas, niſi quæ eſſent ſymptomaticæ. Et ſupradictarum rationum facilis eſt ſolutio, *Iouberti* quidem rationes ſunt leviſſimæ, ſed quæ ex *Tralliano* fuerunt relatæ paulò validiores videntur. Et quidem prima ratio adeo difficilis eſt, ut in illâ ſolvendâ plurimi fuerint hallucinati, ſiquidem *Mercurialis* reſpondet vermes non ex qualibet putredine gigni, ſed tantum ex humoribus crudis & craſſis putreſcentibus, quales inveniuntur in inteſtinis, ſed hoc nihil ad rem, nam in venis ejuſmodi humores adſunt, at in iis non fiunt lumbrici, unde nullus unquam viſus eſt excretus per urinas, ait *Trallianus*. *Capivaccius* vero reſpondet animalia non poſſe generari niſi miſtum putreſcens paulatim putreſcat, at in venis humores repente corrumpuntur, quæ reſponſio dubio innititur fundamento, quaſi vero humores non poſſint pedetentim & ſenſim corrumpi in vaſis concluſi. *Saxonia* paulo veriùs dicit non eſſe neceſſarium ex omni corruptione fieri vermem, nam vinum cum mutatur in acetum corrumpitur, & tamen vermis non generatur, ſic non ſemper, cum pomum aut pyrum corrumpitur, fit vermis. Præterea inquit mutationem humoris in pus in febribus ſalutaribus reſpondere generationi

Secunda opinio. *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Solutio.* *Prima.* * *Opinio Mercurialis.* * *Capivaccii.* * *Saxonia.*

tioni iſtius vermis, in febribus autem lethalibus putredinem tantam eſſe ut ex ea nullum animal generare queat, quæ ſolutio plurimos errores continet, ſupponit enim pus generari in febribus, cum ſedimentum non ſit pus, etſi puri generatio ipſius reſpondeat, deinde vermis fit per abſolutum interitum miſti putreſcentis, cum calor extraneus miſtum omnino corrumpit, pus autem & ſedimentum fiunt naturâ vincente & ſuperante putredinem. Igitur reſpondendum puto animalia non generari in venis, quia putredo quæ in illis fit non poteſt eſſe totalis, ſed tantùm ſecundum partem, ut diximus capite primo hujus libri, non poſſunt enim fieri vermes niſi per mutationem formæ humorum in formam animalis, quod ingentem arguit putredinem, qualis vivo animali non fit in venis. Cur verò non fiat, hanc eſſe rationem puto, quia in venis humores non poſſunt ita putreſcere ut omnino deſtituantur à calore nativo, adeſt enim calidum nativum perpetuò in illa materia putreſcente & prohibet mutationem totalem humoris in animal: Apparet autem adeſſe quia natura aſſiduè molitur coctionem humoris illius morbifici, in ipſis etiam morbis lethalibus, in quibus eſſe id ſemper non aſſequatur, tamen humorem illum nunquam deſerit, niſi ſimul extinguatur homo, ſequitur enim mors ubi humor morbificus calorem nativum expugnavit, in inteſtinis vero putreſcens humor à calore omnino relinquitur, quia nulli uſui corpori eſſe poteſt, propterea generari illic ſolent lumbrici. Sed *Renodæus diligens Pharmacopœæ ſcriptor*, refert vidiſſe ſe è brachii vena ſecta unà cum ſanguine vermem palmam longum emiſſum *libro tertio de mater. medic. capite. 33.* Ad *ſecundam* Reſpondeo non in inteſtinis tantum, ſed etiam in venis poſſe putredinem fieri. Sed tertia ratio eo difficilior ſolutu videtur quod arduam illam quæſtionem tangat de ſede febrium intermittentium, de qua poſtea agemus, nunc autem dicere poſſumus, rationem hanc non probare nunquam in venis fieri putredinem, ſed tantum eam fieri interdum in alvo & præcordiis, quamvis etiam dicere poſſumus putridos humores è venis tum à naturâ pellente, tum à pharmaco attrahente educi, ut apparet in febribus continuis in quibus his vacuationibus febres ſolvuntur. *Ad quartam* Reſpondeo, locum ſervare locatum, quamdiù nihil vitii accedit aliunde, aliàs virtus loci nequit prohibere putredinem, Aër, aqua, omnia denique in ſuis locis corrumpuntur, ut docet experientia. *Quintæ* ita ſatisfiet, fœtorem omnem ſequi putredinem, ſed non contra omnem putredinem comi-

[Margin notes: * (beside "rores continet"); * (beside "miſtum omnino"); *Authoris ſolutio.*; *Solutio ſecundæ.*; *Tertiæ.*; *Quartæ.*; *Quintæ.*]

comitem habere fœtorem, vinum in acetum mutatur sine fœtore; putredo tantùm quæ magna est & ad totalem accedit, solet esse cum fœtore, aliquando tamen humores etiam fœtent, ut ex urinis & sudoribus percipitur, ex quibus magna putrefactio & cruditas indicatur, prævalente etenim coctione fœtor omnis tollitur. *Sexta* autem ità occurrere possumus, primo non esse sufficientem enumerationem causarum putredinis, nam his servatis conditionibus ab aliis causis præter naturam excitari posse putredinem, de quibus superius à nobis dictum: *Secundò* dicere possumus in venis posse humores esse paucos, extra locum proprium, & in loco angusto ob prohibitam transpirationem, ob quam febres fiunt continuæ. Instabis humores sinceros non putrescere, sic in tumoribus legitimis non fit suppuratio, eresipelas purum non suppurat, quæ ratio quibusdam insolubilis visa est; Dicimus tamen ex ea non sequi humores nunquam putrescere, nam videmus & cancrum & eresipelas ulcerari, quod fit ab humorum putredine. Aliud autem est suppurari, aliud putrescere, suppuratio etenim non est putredo, & non convenit omni humori, sed tantùm sanguini, putredo autem aliis accidere potest humoribus, etsi non suppuratio, unde aphorismus eresipelati suppuratio succedens malum. *Sexta.* *Instantia*

VII. Concludendum igitur est putredinem fieri vel in venis, vel extra venas. Si fiat in venis, fient febres continuæ, extra venas intermittentes. Continua duplex est, primaria quam parit putrescens humor in vasis majoribus inter alas & inguina sitis, symptomatica, quæ visceris partisve putredinem quasi comes insequitur, huc referri potest ea quæ ex vasis partium determinatis oritur, ut causos ex *Galeno 4. acut. com. primo*, tum quæ ex jecoris, lienis, alteriusve partis eresipelate & phlegmone principium ducit. Si quispiam quærat quomodo differat febris ex bubone diaria, à putridâ quæ ab eadem causâ proficiscitur, Responderi poterit ex *Galeno* in diaria putridam fuliginem ad cor non ascendere, contra in putridâ, corruptus vapor ex putrescentibus humoribus in cor exporrigitur. Sed cur in uno bubone putridus vapor conclusus maneat, in alio vero ad cor transmittatur, nulla videtur esse ratio, cum idem sit locus effectus, eædem viæ in utroque affectu. Quare rationem aliam reddit *Argenterius*, quod scilicet putrida illa fuligo non gignatur in bubone eo, qui facit diariam, sed tantum adsint vapores fervidi, minimè putres, cum non putrescat ejus- *Continua.* *Quæstio.* *Solutio.*

modi bubo, sed solum calor accendatur in sanguine sicut in venis fit ephemera ex sanguinis mero fervore, non mirum igitur si ab ejusmodi bubone diaria, ab alio verò putrida procreetur, quia putridum putridam solet gignere, calefacit vero quæ calefaciendi vim habet, & de hoc aliquid diximus *capite de diaria* : fit etiam symptomatica, cum sensim & lente humor in dictis visceribus putrescit, & fit continua lenta quæ diuturna esse consuevit. *Putrida* febris, continua & primaria, species sortitur ex vincentis humoris naturâ. Si enim massa sanguinaria accenditur, synochus fit putris: Si plus bilis quam cæterorum humorum continet, facit continuam tertianam, sic ex pituitâ quotidianâ, ex melancholiâ fit quartana. Est autem continuarum omnino genus duplex, unum earum quæ ab initio ad finem perseverant sine ullo excandescentiæ ordine, ut synochus putrida & causos; alterum earum quæ etsi nunquam intermittant, remittunt tamen, ut tertianæ, quotidianæ, quartanæ continuæ. Earum quæ nunquam exacerbantur materia est in venis cordi proximis, & vasis majoribus, quæ inter alas & inguina excurrunt, inter quæ vasa, pulmonis, uteri, ventriculi continentur, ac proinde cor assiduè pari vehementiâ fatigat. Reliquæ vero causam habent in venis aliquantulum dissitis, ex quibus putredo pari impetu in cor assiduè ferri nequit. Est autem continuarum frequentissima tertiana, rara quotidiana, rarior quartana continua; sanguis enim pituitosus & melancholicus quia frigidus ægrè accenditur, neque hinc febris vehemens, sed lenta excitari solet, quæ fere etiam inordinata evadit. Atque hæc est series febrium continuarum, quarum causæ ex superioribus satis patent; sunt enim continuæ, quoniam humor putrescens venis coërcitus, non potest difflari & dissipari ob obstructionem cutis, ideo assiduò vapore cor fatigat propter continuitatem venarum & arteriarum cum corde. *Dubium.* Sed dubium est cum humores omnes sint in venis simul permisti, qui possit unus seorsim putrescere intactis aliis. Respondent quidam id fieri ob materiæ dispositionem, ut si quis simul cum aquâ & lapidibus bitumen sulphurque permisceret, ignis ejusmodi miscelam corripiens, sulphur primum, dein bitumen accendet, intactis lapidibus, quia non sunt dispositi ad suscipiendum incendium. Vel ut vult *Rondelet.* quando aliquis humor aut ex victus ratione, aut aliis de causis exuperat, febrem facere potest aut tertianam, aut quotidianam, aut quartanam, etiamsi unà reliquæ partes sanguinis putrescant, sed quia major est copia bilis, febris biliosa

liosa apparet, & motus manifestos habet choleræ putrescentis, eademque ratione quotidiana & quartana generari solet, nullus enim purus, sincerusque humor est in corpore nostro, sed ab eo qui exuperat & vincit febres denominationem sumunt. Vel cum aliis dicere possumus humores in venis esse distinctos per proprias formas, per proprios situs, per proprios motus, & ità horum cuilibet habet proprium temperamentum, quod amittere potest, etiam si alter humor resistat, & conservetur, quod mihi videtur dubium, ut postea explicabimus.

IIX. Intermittens febris alia simplex est, alia composita, alia confusa, simplex ab uno humore seorsim putrescente generatur, ut quotidiana ex pituitâ, tertiana ex flavâ bile, quartana ab humore melancholico fit. Confusa non ex humore sincero, sed ex multis uno extra majores venas loco conclusis, pariterque putrescentibus emergit, qualis est tertiana notha ex bile & pituitâ simul corruptis. Composita febris ex mistis implicitisque fit intermittentibus aut continuis, ut tertiana duplex, quartana triplex, hæmitritæos quæ ex quotidiana continua & tertiana intermittente constat, hic ut variæ sunt febres, ita & humores sunt varii, non uno eodemque loco conclusi, sed seorsim putrescentes. Causa autem cur humor extra venas putrescens febrem faciat intermittentem, ea est, quod putridus humor consumitur & expurgatur; tunc abit paroxysmus, donec rursus nova materiâ putrescente redeat, tamdiu siquidem perseverat febris, dum humor aut ex toto consumatur, aut coquatur. Ideo in inflammationibus etsi materia sit extra venas continue tamen fit febris, quod humor tumore conclusus maneat, non expurgetur. Hanc autem euacuationem causam esse intermissionis ostendunt sudores, aut alvi fluxus quibus paroxysmus solvitur, quod si ejusmodi evacuatio non succedat, aut accessio prorogatur, aut in continuam degenerat, ob retentionem materiæ, quotidiana in quâ sudores paucissint, non solet in perfectam desinere ἀπυρεξίαν, & parvam habet remissionem, quæ solet tantum esse sex horarum. Causa igitur reditus paroxysmorum est humoris nova collectio in foco putredinis. Colligitur autem vel congestione, vel influxu; Congestio fit ex vitio partis in concoctione & expulsione, unde necessariò & generantur & cumulantur excrementa, quorum putredo postea febrem inducit; frequentior est fluxio, quæ est motus materiæ ab una parte in aliam; fluunt humores attracti, vel transmissi, Attrahuntur calore, vel dolore. Calorem quidem attrahere experientia ostendit, *Intermittentes.*

Dolor an attrahat.

dit. Dolor vero propriè meo judicio non attrahit, ſed potius eſt occaſio fluxus humorum in partem affectam, nam natura ut dolentem partem tueatur, dolorisque cauſam ſubmoveat, ſpiritus humoreſque confertim tranſmittit, ſecundò pars ipſa dolens ab his incaleſcit, unde poſtea propter calorem magis attrahit. Demùm ex dolore pars infirmatur, debilis autem pars etſi non attrahat, faciliimè tamen excipit influentem quamcunque materiam. Pelluntur autem humores à naturâ irritatâ illorum aut copiâ, aut qualitate; hic ſpectanda eſt tum pars mandans, tum incipiens. Pars mittens robuſta eſſe debet & irritata, recipiens debilis & imbecilla, aut ad recipiendas fluxiones proclivis. Debilis eſt aut naturâ ſuâ, ut quæ rara eſt, laxa, mollis, ignobilis, nulli actioni inſigni deſtinata, ut cutis quæ totius corporis emunctorium eſt. Proclivis vero ad fluxionem excipiendam ea eſt, quæ mittenti ſubjacet, aut cum ea connectitur, aut vias habet amplas & patentes quibus humores influentes admittat. His de cauſis fit nova humoris acervatio, ex qua redintegrari acceſſio ſolet, tamdiuque ſolet hic circuitus durare, dum plenè mala qualitas fomitis fuerit emendata. Naturales enim humores nunquam faciunt febrem, ſed oportet aut eos corrumpi, vel malos ſubminiſtrari, aut ipſius alimenti, aut partis vitio, quæ pravos ſuppeditet, aut bonos corrumpat, ſicut fermentum maſſam totam alterat, & hæc eſt ratio cur ſæpe in diverſis temperamentis eædem febres, & in ſimilibus variæ generentur, ut quartana in ſanguineo & contra, non eſt enim neceſſe ut humores febrem intermittentem facientes prius adfuerint in venis, ſufficit ſi quotidie ex novo ſuccedente alimento generentur. Pariter videmus unum idemque alimentum in diverſis ventriculis amareſcere & aceſcere, potius igitur attendenda eſt conditio cauſæ humores corrumpentis aut generantis, quam ægrotantis natura & temperies. Sic videmus ex morſu viperæ corrumpi humores & verti in æruginem, ex ſcorpionis vero morſu alio modo alterari. Spectanda igitur præcipue eſt vitioſa illa diſpoſitio partium quæ humores alterat inſtar fermenti, & in ſuam naturam deducit, ita ut in quibuſdam omnia faceſſant in bilem, in aliis in pituitam: fomitem hunc in quotidianâ eſſe in ventriculo, in tertianâ in hepate, in quartanâ in liene voluit Galenus, *Fernelius* etiam in præcordiis generaliter, in meſenterio, pancreate, in quibus humorum confluit colluvies. *Paracelſus* vult eſſe in ſtomacho, hepate, & renibus, ſed male, renes enim non alterant humores, ſed recipiunt, & expurgant

Cur in pituitoſis fiant febres bilioſæ & contra.

Fomes.

Paracelſus refellitur.

*

gant

gant per urinas, unde ab iis non poteſt humor venarum inſici, qui in habitu corporis primum rigores, dein ſudores faciat, cum humores à venibus attracti ſtatim per urinas vacuentur, non redeant in venas, aut reliquum corpus, niſi ipſi renes inflammentur, ſed tunc non intermittens, verum continua generabitur. Forſitan impoſuit illi dolor interdum in dorſo perceptus, ſed hic fit ab humoribus in magnâ illâ arteriâ quæ ſpinæ incubat, efferueſcentibus, ut alibi dicemus. Potius igitur in dictis partibus fomes conſtituatur, in quibus humorum generatio & acervatio fieri ſolet, & unde in univerſum corpus dimaneant. Redit igitur febris quia nova materia à fomite ſuppeditatur, quæ paroxyſmum redintegrat, mittitur ſiquidem ex præcordiis ad habitum corporis ut vult Galenus, demum in ſudores ſolvitur, ſic abit paroxyſmus donec dictis ex cauſis redeat.

IX. Sed jam hic ſeſe offert ampliſſimus diſputationum campus, negant enim plurimi materiam febrium intermittentium eſſe in habitu corporis, ſed *Ioubertus* voluit eſſe prope cor, *Argenterius* in venis. *Fernelius* extra venas, ſed in præcordiis, pancreate, meſenterio, quorum opiniones ſeorſim ſunt excutiendæ, prima quidem non eget longa refutatione, eſt enim abſurda ſatis, poſtrema autem à veritate non prorſus abhorret, & ut uno verbo dicam Ferneliana eſt, id eſt docta, erudita, experientiæque conſentanea. *Iouberti opinio.*

X. Plurimæ itaque pro *Iouberti* ſententia afferri poſſunt rationes. *Prima*, Ibi eſt materia febris, ubi eſt ipſa febris, ſed febris eſt in corde. Ergo. Retorqueri argumentum poteſt in ipſum Ioubertum, febris eſt in toto corpore, ergo materia febris eſt in toto corpore, igitur ſi ſufficit calorem vaporemque putridum è corde diſpergi in totum corpus, cur non ſufficiet idem fervor ſublatus è præcordiis in cor ad febrem accendendam, cum cor non poſſit putredinem vitæ inimicam, gravemque ullum affectum ſuſtinere. Non eſt igitur neceſſe materiam febris ibi eſſe ubi ipſa febris conſtituitur, ſufficit ſi aliunde in cor efferatur. Sed nec nobis nocet ratio, qui docuimus capite primo, non omnem febrem eſſe in corde neceſſario, ſed poſſe ex aliis partibus habere originem, & progreſſum. *Secunda*. Ibi eſt putredo ubi elucent accidentia putredinem comitantia, ſed in corde ea elucent, æſtuatio, ardor deliquia animi; Ergo in corde eſt putredo. Hæc objectio iiſdem laborat vitiis, nam in venis, extra venas, in præcordiis majora adſunt putredinis indicia quam in corde, nam deliquium animi *Prima ratio.* *Solutio.* *Secunda ratio.* *Solutio.*

* mi non semper adest in febribus, & quando adest per sympathiam concitatur. Sed *tertia ratio* validius pugnat adversus opinionem *Galeni*, etsi *Iouberti* sententiam non probet. Si humor putresceret juxta cutim facilius foras exhalarent vapores per cutim, quam cor peterent, habent enim poros obvios & proximos. Et sanè fatendum est non semper in habitu corporis putrescere humores, sed & etiam in præcordiis ut voluit *Fernelius*. Respondere tamen possumus non esse necesse humores per cutim exhalare, potius quam in cor ferri cum facilius petant cor, quam dissipentur, cum venæ sint ampliores ductus, per quos vapor potest in cor subire, per cutim autem facile non potest, donec à calore attenuatus in sudores abeat. Opinio autem Iouberti refellitur ex rigore, nam *febrem ardentem rigor superveniens solvit*, Item *quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur*. Solvuntur autem quia materia abit in sudores, aut per insensilem perspiratum dissolvitur, emittitur igitur ex venis, & propterea non est in corde.

Tertia ratio.

Alia opinio. *Prima ratio.*

XI. Sed validius pugnant alii, & probant intermittentium causam esse in venis. *Primò* Ergo quæritur, an materia febrium intermittentium quæ appellitur è venis, putris fuerit ante expulsionem an non? Si non putrescit, quid naturam cogit ad expulsionem, si vero putrescit febris aderit ante principium rigoris & ἐπισημασίαν. Respondere possumus non putrescere quidem in venis, sed à fomite pravam quandam acquirere qualitatem, quâ disponitur ad corruptionem, ob quam irritata facultas expultrix venarum insurgit ad expulsionem materiæ istius noxiæ & alienæ. Et *Galenus lib. 2. de symptom. causis cap. 5.* quærit cur in accessionum vigore non permanent horrores & rigores, id inquit fieri quia à calore frigus superatur, cum enim humores putrescunt & incalescunt, frigus abit & rigor, unde ex sententia *Galeni* colligi posse videtur humorem non esse putridum in ipso rigoris insultu, sed putrescentem. Præterea non omnis humor qui novum creat paroxysmum, ex venis ad fomitem mittitur, sed sæpe ex alimentis & potibus assumptis succrescit, sic aquam bilescere protulit *Hippocrates* & corpora impura quo magis nutries eo magis lædes, quia corrumpitur alimentum, & in humorem noxium facescit. *Secundò* objiciet si non putrescit in venis, cur indicia sumimus ex lotio, cum urina index sit humorum venis contentorum, si dicamus lotium tantùm indicare materiæ dispositionem ad putredinem, quia fovetur putredo ab interno partium vitio, instari poterit ex *Galeno 2. de diff. feb.* hypostasin esse veluti cinerem

Secunda.

rem

rem à putredine relictum quæ fit in venis. *Tertiò* frustra Medicus utetur aperientibus internas obstructiones, si humor sit in habitu corporis, *Quartò* nulla esset ratio cur vena in febribus sit secanda, sufficit siquidem meatus externos aperire per quos libera fiat totius corporis perspiratio. Sed ad hæc respondemus hypostasin observari, venam secari, obstructiones aperiri, ratione materiæ antecedentis quæ est in venis, tum quia fovetur putredo ab interno partium vitio, à probâ siquidem viscerum temperie humores probi, ab improba & vitiosa corrupti generantur. *Quintò* humores crassi ut pituita & melancholia non videntur tam facile, aut tam citò excuti posse ex venis, & subire angustos meatus partium solidarum. Dicendum istos humores expelli posse à facultate partium robustâ, ut ostendunt dolores articulares, quos pituitosus humor procreat, crassities autem expeditam ac facilem expulsionem remoratur, sed eam non tollit, propterea in quartanis & quotidianis longum esse solet paroxysmi principium, quia humor crassus ac lentus non ita facile ex venis expellitur, & extruditur. *Sextò* cur in tertianis omnibus non fit lassitudo ulcerosa, sit enim ea lassitudinis differentia à bile per carnes dispersa, tùm cur ex pituitâ in quotidianis non attollitur habitus in œdematosum tumorem. Sed hæc ratio non est magni momenti, nam in tertianâ exquisitâ lassitudo ulcerosa fieri solet, in nothâ autem ob mistionem pituitæ fit rigor mitior, mitiorque lassitudo. In quotidianis non intumescunt partes, quia calor febrilis in flatum resolvit ejusmodi humorem, quin etiam expanditur per universum corpus, & dissolvitur à calore febrili. Concludimus igitur febrium intermittentiam materiam putrescere extra venas non in venis. Facultas robusta expellit humorem noxium ex majoribus in minores, & ab his in corporis habitum, ubi putrescens emissis in cor vaporibus febrem accendit, donec dissipato eo humore cesset, novoque succrescente redintegretur. Sed quæret aliquis an in ipsa carne, an in venis capillaribus humor ille contineatur. Esse intra venas ostendit solutio, solvuntur sudore, sudor per insensiles cutis meatus profluit, in quos desinunt extrema venarum & arteriarum. Reverâ tamen in carne est, extra capillares, nam si materia biliosa tantùm à magnis venis in parvas pelleretur, cur rigorem excitaret, sit enim ex materiâ delatâ per partes sensiles, venæ autem majores non magis sentiunt quam minores. Inciperet igitur sine rigore febris; deinde cur in erysipelate non fit rigor, defluit enim in minimas venas humor biliosus

Tertia. *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Dubium.*

liosus sicut in febribus. Pori autem cutis non sunt tantum venarum & arteriarum spiracula, sed etiam horum plurimi in spatia cutis desinunt. Observavit *Hugo Senensis* febres putridas quarum materia primum putrescebat intra venas, antequam expelleretur, in quodam Renaldo, qui febricitabat sex horis antequam rigor & frigus succederent, quibus venientibus sudabat, & à febre liberabatur. Impossibile non videtur in venis fieri putrefactionem, humoremque singulis accessionibus evacuari, antequam novus paroxysmus succedat, si humor fuerit paucus, tenuis, parum viscidus, virtus robusta, obstructio non magna. Rationem prædicti casus affert *Hugo*, quia natura materiam quam agitabat ob crassitiem expellere non poterat, unde putrefiebat in venis, ita ut paroxysmi pars prima penderet à materiâ in venis minoribus contenta, sequens autem pars à materiâ extra venas, quod non magis absurdum est, quam quando in crisi sudor contingit. Hæc *Hugo* quæ satis consentanea sunt experientiæ, vidi febres quæ statim à rigore solvebantur in sudores.

XII. Sed *Fernelius* hanc opinionem quoque improbat, quâ diximus humores putrescere in habitu corporis, statuit enim ille tantum eos putrescere in præcordiis, in intimis visceribus, circum pancreas, mesenterium, omentum. Cui sententiæ assentitur *Alexander Trallianus* refert enim quosdam putasse febres fieri in ventre propter vermes, fœtores, putredines, quæ illic fieri solent, interdum & sæpe per vomitum febres integrè fuerunt sublatæ, interdum per unam solam sorbitionem vel injectonem, unde concludit ventrem esse sedem febrium, & aliorum morborum sæpissimè. Nuper habebam ægrum præ manibus tertianâ laborantem, cujus paroxysmi non per sudores, sed per alvum solvebantur, quod me inierneliana sententia confirmavit. Cum enim alvus sit sedes multorum morborum ob colluviem putridorum humorum, cur non etiam febrium intermittentium? Id probari posse videtur ex vomitu excitato in principio paroxysmi, & experientia ut diximus confirmat purgatione bilis porraceæ & æruginosæ per secessum & vomitum multas febres curari, vnde verisimile fuit contineri, illarum causam in partibus ventriculo & in testinis proximis. Respondebunt quidam in principio intermittentium per rigores retrahi humores & calorem ad interna, interdumque ejus portionem quandam fuisse per vomitum evacuatam, dein tandem superante calore extrudi eam in habitu corporis: Quod si purgationibus per alvum curata

rata

rata febris fuit, id factum ratione causæ antecedentis, quâ evacuatâ antequam paroxysmum faceret, febris desierit. Sed cum in principio accessionis materia febrem statim factura contineatur in præcordiis, ut vomitus ostendunt, quomodo se tandem expandet in habitum corporis, & per quas vias?

XIII. Hæc difficultas adeo valida visa est *Herculi Saxoniæ* ut novam sequutus sit sententiam à prædictis diversam *cap. 7. libri de febribus.* Ait enim materiam febris in principio, augmento & statu paroxysmi esse intra venas. *Primò* quia urinæ demonstrant coctionem intermittentium non minus quam continuarum, quod tamen negaret capite sexto, & nos jam illud argumentum nullius esse ponderis ostendimus. *Secundò* id probat ex naturâ paroxysmi in cujus principio moventur humores ad centrum, in augmento recedunt à centro, in statu vergunt ad peripheriam, sed in declinatione evacuantur per corporis habitum. Sed hic motus non potest fieri nisi per venas, cum febris in universum corpus per venas & arterias deferatur. Igitur illo tempore continetur in venis. Concedit tamen aliquam partem materiæ morbificæ ad partes sentientes fieri, aliter nullus fieret rigor: Demum, *inquit*, hanc materiam nunquam esse simul totam in venis acervatam, sed transmitti de parte in partem ut de liene in jecur, in declinatione verò moveri ad habitum, sicque febrem solvi. Sed hæc ratiocinatio omnium falsissima videtur, nam vomitus in paroxysmis contingentes ostendunt materiam non esse in venis sed extra illas. Demum si vera esset humorem tantùm mitti ad corporis habitum in declinatione, necesse esset rigorem tunc contingere, eâdem ratione quâ fit rigor cum humor febrem ardentem faciens in habitum corporis transmittitur, at nullus in declinatione rigor apparet, omnis est in principio accessionis. Et propterea dicendum veram causam conjunctam febris esse in præcordiis, nec per venas expandere sese in corporis habitum, sed per alvi fluxum solvi febrem posse.

Saxoniæ opinio improbatur.

XIV. *Fernelii* autem opinio non est absolutè & universaliter vera, nam sicut fatendum est posse humores putrescere in præcordiis, ita negandum non est, idem pati posse in habitu corporis. Vult siquidem *Fernelius* in tertianâ intermittente humorem acrem in principio paroxysmi quasi impetu ferri in præcordiorum membranas. At cum membranæ sint eximii sensus participes, si humor acris per eas feratur, non rigores modo & horrores, sed & dolores atrocissimos concitabit,

Objectio.

Responsio. tabit, videmus enim in intestinis mordere, pungere, erodere; sed eadem difficultas manet de habitu corporis qui est exquisitissimi sensus, cur in eo dolores atrocissimos non excitat, inflammationes, eresipelata; dicere ergo possumus humores acres pungere & erodere, molestumque sensum inferre, unde natura ad expulsionem insurgens rigores concitat, est autem rigor species quædam doloris, sicut & lassitudo, & quia sese in membranas non insinuat, sed suis tantùm vaporibus eas afficit, non fiunt eresipelata, nec inflammationes. Quod

Objectio. alia ex Trinia-vellii epistolis. ergo objicit quidam nullius est pretii, cum similis sit putredo humorum in febribus & inflammationibus, ex Galeno 1. de dif. febrium, si humores putrescant in membranis, febres fient continuæ, non intermittentes, siquidem in abscessibus, dum pus fit, febres fiunt continuæ: febrem etenim fieri continuam necesse est quando materia non evacuatur, nec putredo cessat, antequam nova succedat, at in internis visceribus nihil deest eorum quæ putredinem & febrem producere possunt, scilicet adest humor lentus, crassus, copiosus, qui facilè non digeritur, maximè circa præcordia, quæ publica sunt corporis sentina, in quam universi corporis influit colluvies, tum ob situm partis in profundo absumi commodè materia febrilis non potest. Fient igitur continuæ febres non intermittentes, cum tamen sæpius intermittentes videantnr quàm continuæ. Non igitur in visceribus humor putrefieri

Solutio. * posse videtur; sed pro *Fernelio* respondere possumus, prædicta tantum ostendere paroxysmos fore longiores, quod experientia ostendit, videmus enim tertianæ nothæ paroxysmum ad horas quadraginta interdum extendi, quod si humor esset in habitu corporis, juxta cutim & poros, cur citius non abit & tenuatur in sudores, dein non omnis febrilis materia crassa est, copiosa sed interdum tenuis & pauca, unde breves & leviores fiunt accessiones, nec loci situs profundior evacuationem prohibet cum patentes viæ sint per alvum, & universum corpus sit confluxile. In abscessibus autem fiunt febres continuæ, quod humor in partium substantiâ tumidâ putrescat, sed in febribus non corrumpitur in partium substantiâ, eas tantûm alluit, & ab iis demum attenuatus expellitur, unde cessat paroxysmus.

Objectio. XV. His rationibus igitur non labefactatur *Fernelii* sententia. Ideo validiores addamus. Opinionem hanc falsam esse ostendit rigor, nam

Solutio. musculi concutiuntur ut molestam quæ ex venis in ipsos expressa est materiam excutient. Sed respondet *Fernelius* se multiplici experimento

mento

mento observasse concitari rigorem consentientibus partibus externis cum internis, ita epotâ confertim frigidiore aqua rigere solemus, dum mingimus, dum vomituri sumus, dum acria extrementa per intestina dejiciuntur. Item suppurationem abscessuum in internis partibus solet præcedere rigor, ita ut nullum ex rigore depromi possit argumentum ad probandum materiam esse in habitu corporis, cum sæpe excitetur materiâ morbificâ in internis partibus existente, illicque commotâ, propter consensum omnium partium inter sese. Hæc quidem in se absolutè vera sunt, si naturam rigoris spectemus, sed si ea quæ in febribus cum rigore conjuncta sunt consideremus validum inde argumentum deduci potest. Semper enim cum rigore in initiis paroxysmorum adest quidam sensus doloris seu lassitudinis, qui sequitur naturam humoris putrescentis; & cum hic dolor sit in musculis, illius causa alibi esse nequit quam in loco dolente. Ad hoc respondet Fernelius rigorem illum fieri non à materiâ in carnibus putrescente: sed à putrido vapore ex præcordiis in corporis habitum elato. Sed contrà si rigor hanc putrem evaporationem sequeretur, cum à principio accessionum usque ad finem continua fiat ejusmodi evaporatio, per totum paroxysmum protraheretur rigor. Sed hoc parum valet adversus *Fernelium*, quæstio enim erat de lassitudine, quæ interdum solet adesse, interdum non, & adest in continuis febribus in quibus omnis humor est in venis conclusus, nullus est in habitu corporis, & quando adest ejusmodi dolor, reverâ solet adesse per totum paroxysmum, fieri autem in intermittentibus sicut in continuis potest ex solâ evaporatione ex materiâ putrescente sublatâ, cur autem rigor cesset, in febris incremento & declinatione, rationem esse puto, quia venas subit humor putrescens, unde in continuis nullus adest rigor etsi perpetuò putrida adsit fuligo, quia venæ sensu carent animali; In declinatione verò nullus fit, quia per poros in extimam cutim desinentes in sudores humor dissolvitur, sic sudamus sine rigore etsi sudori nostro plurimum acris humoris admistum sit præsertim in cacochymis, & quando sudores arte provocantur, nisi sudor aëre frigido prohibeatur, tunc enim rigor succedere solet acri humore retento, aliâs quamdiu patens est corporis habitus nunquam ex sudore rigor subsequi solet. Dices febris ardens solvitur rigore & sudore, idem pariter de intermittentibus dicendum si è venis effluit. Sed Respondeo primò, in ardente habitum corporis fuisse obstructum, in intermittentibus vero paten-

Instantia. *Solutio.* *Alia Instantia.* *Solutio.* * * *Objectio solutio.* *

tentem esse & apertum. Secundò in causa critica excretio fit cum impetu, & confertim, à natura omnem humorem simul & semel expellere conante, quod cum non possit, omnibus viribus contendit, inde rigor, in intermittentibus verò excludit sensim humorem, partem post partem, ideo nullus fit rigor. Hinc (quod docet Fernelius) urinam dum rigor hominem exercet videmus albam esse crudam, tenuem, quod humor intrò recedat potiùs quam extra expandatur, aliis autem accessionis temporibus crassior & coloratior evadit, quod in venas humor morbificus recipiatur, à quò sanguis calefit, & accenditur, febris enim procedit in universum corpus mediante spiritu ac sanguine, ait *Avicennas*.

Conclusio. * XVI. In hâc quæstione hactenus mihi non satisfeci, tantum abest ut aliis satisfacere me posse confidam. Probabiliter tamen dicendum puto humorem febrilem interdum esse posse in corporis habitu, in febribus brevissimis & levissimis, frequentius tamen esse in præcordiis, omento, pancreate, mesaræo, ubi fomes adesse solet, ipsius *Galeni* judicio, qui focum constituit splenem, hepar, ventriculum, ut ostendit dolor hypochondriorum, vomitus, cæteraquæ symptomata recensita, & summâ cum ratione quia minores venæ facile obstruuntur, tales sunt non in habitu corporis, sed etiam in visceribus & ventre inferiori, qui est quasi totius corporis sarcina, humoribus plurimis abundat, & præterea minus perflatur, calore abundat & humore. Commotus hic humor feriens præcordiorum membranas, rigorem horroremque excitat, inde in venas assumitur, universum corpus calefacit & accendit, ideo Natura insurgens ad illius expulsionem ipsum evacuat per sudores, aut alvi fluxum. Ita ut distinguendum sit inter locum in quo generatur materia febris, & locum in quo eadem dum febrim actu procreat, continetur. Est autem fomes seu vitiosa illa diathesis duplex, ex *Galeno 2. de diff. feb.* proprium partis vitium superfluos humores generantis, tum reliquiæ humorum putridorum, *Sincerum nisi vas, quodcunque infundis acescit.* Verisimile enim non est, inquit *Galenus*, nullam in partibus relinqui dispositionem in quibus humores putruerunt. Et de his satis. Nunc duo supersunt explicanda; Primum cur accessiones fiant longiores, aut breviores: Secundum quænam sit periodorum causa. Fiunt igitur paroxysmi ex *Galeno 2. feb. cap. 3.* longiores vel breviores, primò ratione materiæ, secundò ratione virtutis, tertiò ratione habitus corporis. Materia frigida, crassa,

De longitudine & brevitate paroxysmorum.

sa, lenta, multa, longas, contra calida, tenuis, pauca, brevis, facit accessiones, quod illa difficilius, hæc facilius concoquatur & expellatur, hinc est quod febris quotidiana in perfectam non desinat ἀπυρεξίαν, & tertiana notha diutissimè duret, ob humoris crassitiem. Facultas robusta breves facit paroxysmos, quod facilius à se humores noxios depellat, contra facultas imbecilla longiores. Pariter corporis habitus rarior breviores facit accessiones, densior longiores, nam per corporis raritatem humores facile vacuantur, sicut in denso & adstricto habitu retinentur, ad quas causas ætas, sexus, tempus anni, cæteraque ejusmodi facilè referuntur. *Avicennas* autem quietem addidit humorum & sensum acutum partium, quæ ad supradicta referri facillimè possunt, nam quies humorum fit ob illorum crassitiem, multitudinem, visciditatem, aliasque causas. Sensus autem acutus ad corporis dispositionem refertur.

XVII. Ultimò restat periodorum ratio explicanda, est autem periodus ex *Galeno* ad *aphor. 12. lib. primi* ἡ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὁμοία ἐπάνοδος, similis ad idem reditus, aliis ἡ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτὸ κίνησις ab eodem in idem motus. Author definitionum Medicarum definit periodum, tempus in morbis ex intensione & remissione constans. Duæ sunt igitur partes periodi intensio & remissio. Periodo continetur typus, qui est ordo intensionis & remissionis τάξις ἐπιτάσεως, καὶ ἀνέσεως febres enim quæ ordinem non servant in accessionibus, sunt erraticæ. Typi variè dividuntur, alii sunt primi, alii secundi. Primi sunt quando brevis est accessio, longa remissio, ut typi tertiani, & quartiani. Secundi contra in quibus longa est accessio, parva remissio, ut quotidiani. Alii sunt constantes, qui servant eandem horam, alii mobiles, qui diversis horis accedunt, suntque vel anticipantes, vel postponentes, anticipant si humores augentur, aut citius quam par est agitentur ut ab irâ, pharmaco, &c. postponunt verò, si humores imminuantur, crassescant, vel magis quiescant. Alii sunt simplices, alii compositi, simplices pertinent ad unicam tantum febris speciem, compositi ad plures, quando quotiadiani tertianis admiscentur, variæque adsunt illorum complicationes, de quibus postea inferius agetur.

De Periodis.

Typus.

XVIII. Cum ergo periodicæ febres sint ordinatæ, quæritur quæ sit causa illius ordinis, cur bilis tertio die, melancholia quarto, pituita singulis diebus moveatur. Quæ inquisitio cum valde sit difficilis parumque necessaria, breviter à nobis explicabitur. Quidam ita expli-

De causis periodorum.

Prima opinio. explicant. Causa, inquiunt, interpolationis triplex est, prima quod humor velociter vel tardè putrescat. Secunda quia velociter vel tardè in loco putredinis colligitur. Tertia quia velociter vel tardè à loco putredinis expurgatur, quotidiana fit cum humor citius ob sui quantitatem colligitur, aut ad putredinem movetur; quartana quando humor tardius putrescit, aut ob paucitatem tardius colligitur, inter has mediam naturam servat tertiana; ex quâ sententiâ quilibet humor qualibet periodo moveri potest ratione copiæ aut paucitatis, & aliarum conditionum à nobis prius dictarum. Et forsitan in hac natura obscuritate, & humani intellectus caligine ad veritatem accedit maximè, etsi sit aliquomodo paradoxa, ut in fine dicemus. Quare ad alias accedamus.

Opinio Conciliatoris. XIX. Putat Conciliator causam periodorum referendam esse in Lunam, quæ videtur esse causa omnium circuituum, ut apparet in mari, menstruisque mulierum purgationibus, supponit scilicet menstrua mulierum à Lunâ regulari, cum nihil sit fallacius ordine illò menstruorum qui variari solet, accelerari, retardari pro humoris copià, dein omnes mulieres eadem die purgarentur saltem in una regione, cum illis sit eadem Lunæ phasis sicut in motibus suis constantiâ regitur admirabili, ita in morborum reditibus nulla per eam fieret differentia, at periodi ab ordine & cursu naturæ plerumque deflectunt, anticipantes vel retardantes. Ideo cum lunæ motibus non consentiant ab eâ non fiunt. Cum omnia à superioribus gubernentur non magis periodorum quam rerum aliarum causas ad sydera referre debemus. Non enim primò & per se, sed aliquid efficiendo in corpore causæ accessionum censeri debent. Astrorum consideratio transcendit Medici considerationem, & quamvis fatendum sit Lunam dominari his inferioribus, est tamen tantùm causa universalis quæ particulares effectus sine inferiorum causarum naturâ non operatur. Qui sub eodem Lunæ aspectu in febrem incidunt cur eâdem febre non laborant, dicendum erit id fieri ob variam humoris & laborantis naturam, nam diversitas à causa universali non est repetenda quæ una est & eadem, ergo à particulari. Quare causæ periodicationis non in universali causâ, sed in particulari quærendæ. Sed quoniam Astrologorum vanitates Picus Mirandulanus, Andræas Laurentius, libro tertio de crisibus, Pererius in Genesin aliique abundè confutarunt, nihil amplius addemus.

XX. *Aver-*

XX. *Averrhoes* statuit naturam periodorum esse referendam in naturam caloris innati, qui materiam præparat, ut expellatur, & expulsa putrescat, sed quia simul totam illam materiam præparare non potest, id facit per partes, primum illius portionem quandam aggreditur quanta satis est ad unam accessionem efficiendam, quam præparat & expellit, dein reliquas partes definito quodam ordine aggreditur sicque febres intermittentes periodos suas habere solent. Et quidem hæc opinio probe intellecta defendi potest, cum calor innatus sit opifex præcipuus omnium nostrarum actionum, etiam horum circuituum causa esse potest. Propriè tamen calidum innatum est causa sine qua non potius quam præcipua efficiens periodi, quæ est nova materiæ aggregatio in loco putredinis, nam quicquid hac in re calor agit, id exequitur excitatus onere & molestiâ gravantis humoris. *Opinio Averrhois*

XXI. *Gentilis* & cum eo pars maxima recentiorum, causam periodorum ad occultam proprietatem humorum referunt. Quæ opinio hisce rationibus stabiliri potest. Nulla est manifesta causa periodorum Ergo occulta. Antecedens uariis modis probari potest. Periodus non potest fieri ab humorum quantitate, cum nunquam eandem habeant quantitatem, & propterea neque perpetuum ordinem facere poterunt. Præterea quantitates rerum non possunt esse causa determinatorum effectuum, nisi in quantum à propriis formis determinantur. At periodicatio est proprius effectus qui sequitur humores extra venas putrefactos ergo ab humorum quantitate fieri non potest. Nec etiam ab humorum qualitate, non calidâ quia tunc bilis faceret accessionem quotidie cum sit calidissima, non frigidâ, quia sic melancholia faceret paroxysmos de tertio in tertium. Non pariter qualitatibus siccâ vel humidâ, quia melancholia non est minus humida quam sit flava bilis. Ille itaque perpetuus ordo ab occultâ humorum proprietate dependet. Omnis igitur effectus quocunque tempore productus & constanter, qui reduci non potest ad manifestas qualitates, reduci debet ad occultas. Sed talis est humorum periodicatio ergo. Verum hæc opinio, etsi sit clarissimorum virorum, falsa est: si enim circuitus fierent ob humorum proprietatem, fierent à formâ, nam proprietates à formâ pendent, at formæ in putredine intereunt, nisi ejusmodi proprietas ipsis ex putredine contingat: At plurimi morbi periodici sunt sine febre & putredine, & proinde illa proprietas non oritur à putredine. *Secundò* numerus circuitum numero *Opinio Gentilis.* *Refutatio prima.* *Secunda.*

mero humorum reſponderet, quod tamen falſum eſt, ſunt enim tantum tres humores circuitum facientes, pituita, bilis, & melancholia. At circuitus ſunt longè plures, ſunt enim quintani, ſeptani, nonani.

Tertia *Tertiò* quod provenit à proprietate tale eſt à formâ, & propterea perpetuum eſt. At circuitus non ſunt perpetui, ſæpe enim anteponunt, poſtponunt, ordines ſuos invertunt, vel ob majorem minoremve copiam excrementorum ex impuro vitioſoque cibo coacervatam, vel excrementorum ſuppreſſione, vel quum motu exagitantur, exercitatione, balneis, æſtu, excandeſcentiâ, vel quum nimium extenuantur, aromatum aliorumque calidorum & extenuantium uſu. Poſtponunt verò contrariis ex cauſis, dum materia vel minuitur, vel craſſeſcit, vel pigrior ignaviorque redditur. Sic ſi quis ſemel in die ſolitus ſit alvum dejicere, bis terve copioſiore aſſumpto cibo & gravatâ naturâ alvum deponet. *Quarta.* *Quartò* ſi periodi fierent à proprietate ſequeretur humores in utero, aut etiam intra venas facere hujuſmodi periodos, quia quod per ſe tale eſt, ſemper & ubique tale eſt. Deinde ſingulis menſibus purgantur mulieres, & certis periodis redeunt podagra, epilepſia, non ob ullam humoris proprietatem, ſed ob materiæ novam congeſtionem, quæ naturam irritat.

Solutio rationum Gentilis. XXII. Rationes igitur *Gentilis* ita ſolvi poterunt. Non ſunt ſiquidem quærendæ cauſæ occultæ ubi adſunt manifeſtæ, ſcilicet humorum copia. Ad primam itaque dicimus humores non habere perpetuo eandem quantitatem, ideo paroxyſmi antecedunt, poſtponunt, ordinemque invertunt. Ad ſecundam Reſpondeo quantitates per ſe non eſſe cauſas determinatorum effectuum, niſi ab alio determinentur, hoc autem fit à naturâ quæ materiam ubi noxia eſſe incipit ad locum putredinis expellit, ſicque febrem accendit. Plus autem pituitæ generatur ſecundum *Galenum* ſingulis diebus, quam bilis, ideo pituita quotidie naturam laceſſit & irritat ad expulſionem. Sed ad hanc opinionem Galeni, nunc nobis eſt accedendum.

Opinio Galeni. XXIII. Docet igitur *Galenus 2. de differentiis febrium* periodos fieri non à lunâ, non à calore innato, non ab occultâ humorum proprietate, ſed ex collectione & fluxione novâ materiæ putreſcentis; quare pituita facit acceſſiones quotidianas? quoniam ſingulis diebus tanta colligitur illius copia, quæ ſufficiat ad naturam proritandam ad expulſionem. Attamen iſta humorum proportio, quam *Galenus* ſupponit, etſi detur in homine ſano, in ægro tamen non reperitur, in quo mo-

modò plus bilis, modò plus melancholiæ, modò plus pituitæ putrescit & accumulatur. Addenda, igitur huic opinioni humoris putridi qualitas, nam pituita, quia frigida, crassa, lenta, tardè accenditur & movetur, exactè non expurgatur, unde reliquias quamplurimas post se relinquit, sic sequenti die renovatur paroxysmus. At bilis cum sit calida, sicca, tenuis, citiùs movetur & tota fermè expellitur, unde nihil aut parũ post se relinquit, sic tam citò novus paroxysmus non redit, sed tantum tertiâ die, quando scilicet sufficiens illius humoris quantitas fuerit acervata. Pariter melancholia quia tardius putrescit, minusque reliquarum post se relinquit, quarto quoque die aut etiam tardius paroxysmum facit.

XXIV. Alii ut in principio hujus controversiæ diximus, non sine ratione falsum esse putant certos humores certis diebus moveri, pituitam singulis, bilem alternis, melancholiam quarto quoque die, cum à quolibet humore omnes typi provenire possint. Sæpissime siquidem bilis & pituitæ omnes notas in quartanâ deprehendimus, tum ipsarum causarum tam internarum quam externaram connexio & series, alium humorem quam qui typo respondeat, arguunt. Quoties enim in homine sanguineo quartana visa est, cujus nulla symptomata atram bilem arguebant, & in tertianis febribus melancholiæ indita sese produnt. Plurimi pituitæ vomitione à quartanâ sunt liberati, unde eam à pituitâ fuisse verisimile est, cujus vacuatione fuerit sublata. Etsi enim non sit necesse excrementa ex ingestis alimentis succrescentia temperamentis partium respondere, & propterea possit adesse quartana in temperamento sanguineo, tamen illam ab alio humore potuisse fieri quam qui perhibetur, ostendit solutio, hæc est enim causæ continentis natura ut eâ sublatâ tollatur affectus. Si igitur vacuato humore aut pituitoso aut bilioso solvitur quartana, ab his humoribus factam fuisse quis non crediderit? Demum observatum est sæpe quartanas in tertianas fuisse mutatas, quod non fit per mutationem humoris, cum melancholia in bilem verti nequeat. Præterea idem ostendit anticipatio & postpositio, nam si humoris tenuitas & copia anticipationem, crassities & paucitas postpositionem facit, cur non his de causis auctis tanta fiet acceleratio aut retardatio, ut periodus omnino immutetur. Si enim melancholia dicitur facere typos sextanos, septanos, quintanos ac etiam longiores ob paucitatem & crassitiem, cur non eâdem de causâ pituitæ tertianus, aut quartanus circuitus non adscribetur. Sic volunt Medici febrem epialam facere quartanos circuitus,

Alia opinio.

*

tus, quæ tamen à pituitâ est. Recte itaque *Galenus* periodorum causam voluit esse acervationem humoris itaque quotidiana fiet quoties humor ita fuerit copiosus, aut auctus à fomite, ut singulis diebus naturam sollicitet ad excretionem, hinc etiam ob copiam materiæ solent paroxysmi esse longiores: Tertiana autem erit si humor non sit tam copiosus, quartana demum ubi minor adest ipsius quantitas. Id videmus in alvi egestione in hominibus sanis eandem vitæ legem servantibus, quæ definitis horis singulis diebus accidere solet, at si quæ in victu mutatio contingat, excernendi hic circuitus immutatur. Falsò siquidem innituntur fundamento prædictæ opiniones: status scilicet esse periodorum vices, cum nihil sit tam incertum & variabile, pessimumque sit signum ubi eâdem semper horâ febris redire solet, docente *Galeno in Aphorismis*. Si enim bilis quæ tertianum circuitum facere creditur, copiosius aucta, eundem aliquot horis antevertit, cur non si ex aliquâ causâ eandem plurimum augeri contingat ad quotidianum circuitum accedet, aut contrariis ex causis ad quartanum.

Conclusio. XXV. Verumtamen adesse ejusmodi periodos experientia testatur in quibusdam epidemiis tertianis & quartanis, ab eâdem communi causa genitis, & in inflammationibus febres tertianum obtinent typum, etiam tunc cum nihil ad inflammationem amplius fluit. Et tamen si conjungamus Galeni opinionem cum istâ *Simonii* veritatem forsan assequemur. Dicamus igitur periodos pendere ex aggregatione & collectione novi humoris, qui paroxysmum facit, hæc autem collectio interdum ordinata est constans, si causa ejus talis sit, humorisque eadem quantitas semper affluat, sed pro variâ materiæ qualitate & copiâ mutari solet, ita ut variari sæpe periodum contingat, ideo verisimile est à quolibet humore quamlibet periodum posse excitari. Frequentius tamen contingit ob causas superius assignatas, tertianos circuitus à bile, quartanos à melancholia fieri, quia humores isti singulis accessionibus totaliter fermè expelluntur, parũ relinquunt inquinamenti, ideo tardius novi paroxysmi materia generatur. Id tamen non est perpetuum, cùm ex causis sæpius dictis quilibet humor ita augeri, aut minui possit, ut citiùs aut tardius periodum suum faciat: Adde sinceros humores non reperiri nisi quam rarissimè, sed sæpe plures conjungi, unde variæ febrium ideæ, variique circuitus. Id docet *Avicennas* capite de tertianâ, qui ridet eos qui tertianam per paroxysmum considerant, sed oportet inquit attendere ad alias significa-

ficationes. Hac de re etiam irridetur *Thessalus* à Galeno, qui diatriton ad cognitionem tertianæ expectabat *secundo de crisib. cap. 3.* Idem faciunt plurimi nostræ ætatis Medici qui febrem biliosam non nisi ex tertianâ periodo cognoscunt. Et hæc de periodis.

XXVI. At quoniam in recidivis aliqua videtur esse periodus, adest enim intermissio, & exacerbatio, non hic quæremus an recidiva morbus sit distinctus à priori, tantum ejus causas investigabimus. Est autem ὑποστροφὴ seu recidiva morbi qui desiisse omnino videbatur recursus. Causam habet internam, vel externam, interna duplex prima superstes materia ab imperfecta crisi, τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν ὑποστροφὰς ποιεῖν εἴωθεν *aphorismo duodecimo lib. 2.* Secunda est dispositio præter naturam relicta quæ novam morbi historiam orditur. Externæ causæ sunt multiplices, cibus intempestivus & nimius, animi motus, loci commutatio, temporis injuria, venus intempestiva, & similes ex rebus non naturalibus repetendæ, sed de recidivâ in fine Pathologiæ multa diximus. *Recidiva*

Cap. V.

De rigore.

I. Antequam ad signa putridarum veniamus, paulatim agendum videtur de rigore, horrore & frigore, quia febribus putridis solent accidere, & ex iis tum diagnostica, tum prognostica desumuntur. Differunt autem hæc symptomata à se invicem, tantùm intensione & remissione φρίκη enim horror, levior est rigore, intensior & gravior frigore ex *Gal. cap. 8. 2. de diff. feb.* fiunt siquidem ambo iisdem ex causis, sed horror à levioribus, minoribus, paucioribus, minus agitatis & motis. Sic idem horror gravior est refrigeratione & inæqualitate fit enim illa ab humore frigido crasso, & immoto, hæc vero à tenui, pauco, leviter commoto, unde lassitudinis quidam sensus quasi pruriginosus & ulcerosus sentitur. φρικώδης πυρετὸς febris horrifica dicitur, non quæ cum horrore incipit, id enim commune est plurimis febrium speciebus, sed in quâ bonam accessionis partem horror occupat, qualis est exquisita semitertiana *cap. 9. lib. 2. de diff. febrium, & com. 1. in primum Epid. textu 22.*

 II. Ri-

Quid sit rigor. II. Rigor vero (quem horrorem vocat *Celsus*, reliqui Latini rigorem ad differentiam horum symptomatum) est totius corporis vibratio & concussio cum dolorificâ refrigeratione, nam frigus non sufficit ad rigorem, nisi accedat totius corporis inæqualis motus. Circa quam definitionem duo insurgunt dubia, & primum quodnam sit genus motus. *Primum dubium.* Diximus cum Galeno esse concussivum ad differentiam palpitantis, convulsivi & tremuli, qui etsi similes videantur, sunt tamen diversi, fiunt enim à morbificâ causâ, tremuli ab imbecillâ facultate, rigor verò à naturâ & facultate expultrice irritata. *Argenterii refutatio.* Sed *Argenterius* vult esse tremorem involuntarium, vulgari loquendi usu persuasus, quo rigentes trementes vocamus. At in doctrina *Galeni* maxima differentia est, etsi motus similes esse videantur. *Primò* rigor est totius corporis, tremor vero unius partis tantùm esse potest. *Secundò* tremor fit à facultate imbecillâ, quæ non potest membrum continere, in rigore verò irritata expultrix insurgit ad expulsionem humoris noxii, quod ut effugeret *Argenterius* dixit rigorem esse tremorem involuntarium, quod est absurdum, est enim tremor motus voluntarius ut dicemus *capite de tremore*, rigor vero involuntarius.

Secundum dubium. III. Secundum dubium est, an semper adsit refrigeratio in rigore. *Galenus 2. de diff. feb.* ait rigorem tertianarum esse punctorium, quartanarum vero refrigerantem, deinde miratur *Fernelius*, & ridet antiquos Medicos qui putarunt ab humore acri & calido posse fieri refrigerationem. Sed sine ratione miratur, videmus enim ex appositione calidi & acris medicamenti concitari rigorem, idque ab humore acri non per se, sed per accidens ob revocationem caloris & spirituum ad interiora. Respondet *Hercules Saxonia* refrigerationem vel esse tantùm superficialem in cute & extremis partibus, vel profundiorem quæ ad musculos & subjectam carnem penetrat. Prior fieri potest à materiâ calidâ & biliosâ internâ vel externâ, estque tantum in cute, cum reliquæ partes caleant. Posterior vero quæ profundior est refrigeratio, fit ob quartanam à melancholiâ, vel ob viscerum inflammationes, ut in lipyriis in quibus exteriora frigent, aut ob vitream pituitam in quâ fit rigor in intimis & extimis partibus. Refrigeratio autem in rigore non semper est dolorifica, nam levis refrigeratio dolorem inferre non potest, sed sensus dolorificus sæpe excitatur ab ipsa causa ad concussionem excitante, *secundo de sympt.*

sympt. causis cap. 5. ubi scribit *Galenus* ex causa mordente concussionem validam dolorem inferre, ex dolore vero tum Spiritus tum calorem retrahi ad interiora, atque inde sequi refrigerationem.

IV. Fit autem rigor vel in sanis, vel in ægris. Qui fit in sanis ex *Galeno lib. de tremore*, est tantùm dolorifica perfrictio. Aliter enim in sanis rigorem usurpamus quam in ægris. Quare male *Argenterius* Galenum reprehendit quod dixerit in sanis rigorem esse tantùm dolorificam perfrictionem, non enim sanos dicimus rigere, nisi concutiantur & tremant. Non advertit autem rigorem sanorum differre à rigore ægrorum, propterea non posse communem utrisque definitionem dari, quia causis & natura differunt. In ægris enim rigoris causa est interna, in sanis verò externa, & quamvis in rigore sanorum refrigeratio & concussio adsint, attamen tantùm cutis & partes externæ patiuntur non autem corpus universum. At *Galenus lib. de tremore*, quando sola cutis commovetur, non rigorem, sed horrorem vocandum putat, quod si in sanis rigor verus adest, non erit sola refrigeratio, sed etiam concussio totius corporis, ita ut etsi causis rigor sanorum à rigore ægrorum differat, tamen & motionis modo & definitione convenire possunt. *Duplex rigor.*

Qui fit in ægris rigor vel est sine febre, vel cum febre. Putabant veteres referente Galeno rigorem nullum à causâ internâ fieri posse sine febre. *Hippocrates primo de morbis* rigorem perpetuo esse cum febre statuere videtur. Idem tamen *ægro 5. libri primi Epidem.* ῥῖγος ἀνεκθέρμαντον illi ægro accidisse scribit. *Epicratis uxorem rigor valide corripuit, nec postea ut ajebant incaluit, sequenti die eadem adfuerunt.* Galenus libro de rigore vocat hunc rigorem νόθον, & in commentario prædictæ sententiæ αὐτόματον spontaneum, quod à nullâ externâ causâ, sed ab interno corporis vitio proveniat, dicitque hunc rigorem sine febre veteribus Medicis ob frugalitatem fuisse incognitum, sed labentibus seculis ob vitæ erratæ magnam crudorum humorum copiam fuisse coacervatam, quæ hunc rigorem excitaret, Fieri siquidem solet à pituitâ vitreâ, frigidis crassisque succis ex victus intemperantiâ, deside vitâ, & frequenti balnearum post cibum usu coacervatis, qui per partes sentientes delati rigorem faciunt, quem mulieribus sæpius quam viris accedere scribit, ob temperiem frigidiorem vitamque sedentariam, sæpiusque à se observatum, potiusque horrorem esse quam rigorem verum, quia à crassis humoribus & frigidis, dif- *Rigor sine febre.*

difficulter mobilibus rigor non videtur posse excitari ut inferius dicemus. *Et multoties*, inquit Avicennas, *accidit à phlegmate vitreo sparso in corpore rigor non perducens ad febrem, & non est fortitudo ejus sicut fortitudo rigoris perducentis ad febrem.* Sed rectè dubitat valles. lib. 5. cap. 16. Controv. an verum sit ignoratum fuisse hunc rigorem à veteribus, cum acciderent illis morbi & similis causa, imò & ex majori cruditate, ut epiala.

Rigor cum febre.

v. Rigor qui est cum febre alius est criticus, alius symptomaticus. Criticus qui morbum solvit, ut *febre ardente laboranti si rigor accidat febrem exoluit, vel ægrum perimit; si rigor accidat in febre non intermittente ægro jam debili lethale*, estque hic rigor futuræ crisis prænuntius, partes enim sese comprimunt & concutiunt ad exclusionem materiæ morbificæ. Symptomaticus verò fit à materiâ indomitâ, nondum subacta, & naturâ irritatâ. Et quamvis de hoc rigore potissimùm agere nobis sit institutum, tamen de rigore generaliter agemus, quia ad febrilis rigoris intelligentiam tractatio hæc non parum confert.

Causa rigoris.

vi. De rigoris igitur causis variæ sunt opiniones. *Galenus libro de rigore* causam statuere videtur refrigerationem calidi innati, quatenus scilicet à refrigeratione externâ repellitur ad interiora, qui dum rursus ad exteriora impetum facit, repellitur, & ita ex hâc pugnâ succedit rigor. Sed si universaliter hoc de omni rigore intelligatur falsum est; rigor enim sæpe fit nulla præcedente refrigeratione, ut cum fit à materiâ biliosâ per partes sentientes delata, succedit refrigeratio. Repugnat quoque dictum istud iis quæ aliàs *Galenus* docuit, rigoris scilicet causam esse materiam mordacem delatam per partes sentientes, & irritantem expultricem, unde credendum est locum *Galeni lib. de tremore*, intelligendum esse tantùm de rigore Sanorum, qui à causâ externâ refrigerante, ut aquæ frigidæ, aërisve frigidi subito occursu generatur. Aliàs quo refrigeratio major esset, eo rigor foret major, quod tamen non est necessarium, nam materia pituitosa minus validos rigores facit, multique rigores fiunt sine refrigeratione externâ, ut qui ab ulceribus medicamento acri exasperatis, ab ignis scintillâ interdum fiunt.

Credendum itaque *Galeni* opinionem esse verissimam, scilicet rigorem esse motum facultatis expultricis, eumque fieri à facultate irritatâ à materiâ morbifica. Quoties enim humor mordax per partes sentientes violenter defertur, eas pungit, stimulat & lancinat. Oportet itaque

quæ causam rigoris esse multam, tenuem, mordacem, & velociter agitatam, aliàs rigorem nullum facit, nam quæ pauca est, parum mordax, leviterque commota, horrorem tantum facit, pauca verò mordax, sed immota, lassitudinem ulcerosam. Sic enim *Galenus 2. de sympt. causis cap. 5.* hæc symptomata distinguit, ut lassitudo ulcerosa ab horrore, hic à rigore secernatur materiæ paucitate, acrimoniâ, motu, & præterea exquisito sensu patientis, ut dicemus sequenti capite. *Quod autem* inquit Galenus loco citato *omnis mordax causa sive ea calida, sive frigida sit, animal in horrorem aut rigorem ducat, ex his intelligere licet. Si sano corpori ferventem aquam subitò infundas, aut ignis scintillam injicias, statim horrore vexabitur. Ita cum ulceratæ particulæ causticum medicamentum imponitur, primo quidem horrent, deinde rigent, mox etiam febricitant nonnulli, Quid, quod tertianæ febres quæ omnium febrium maximè biliosæ calidæque sunt, omnium maximè rigore infestantur, quantoque sinceriores tertianæ sunt, tanto etiam rigor in iis incidit vehementior.* Ipse etiam dolor, & ἄλγημα illud non semper pendet à refrigeratione, & proinde ἀλγεινὴ κατάψυξις non est causa hujus motus, nam refrigeratio aliquando tam levis est, ut ab eâ dolor & concussio excitari non possit, sed interdum solum dolor à causâ refrigerante pendet, cum valida ea est, ut pituita vitrea; interdum etiam dolor à concussione illâ & vibratione corporis procedit, ut ægri ipsi sentiunt, quibus aliàs concussio solum corporis, aliàs frigus, aliàs utrumque simul molestum est. Itaque rigor potius est cum refrigeratione, quam à refrigeratione, quin etiam ipsa refrigeratio est à concussione, causa etenim acris & mordax dolorem infert, dolor autem retractionem caloris ad interiora facit, sic fit refrigeratio *secundo de causis symptom. cap. quinto.*

VII. Cum itaque rigor fiat à materiâ mordaci partes sentientes vellicante, inquirendum nobis est, quænam sint partes illæ adeo sensiles. Plurimi volunt musculoso genere, seu carnibus quæ sunt in ambitu corporis affectis, rigorem excitari, cujus opinionis videntur esse, qui tantum in habitu corporis febrium intermittentium sedem statuunt. *Fernelii* tamen sententia probabilior videtur, qui rigores fieri vult non tantum musculis affectis, aut panniculo carnoso, sed etiam partibus interioribus sensilibus, ventriculo putà, intestinis, membranis, quæ sunt circa epar, mesenterium, lienem, pancreas. Cum enim sentiendi vi polleant exquisitâ, si ab humoribus acribus irritentur, tum rigor, tum dolor excitabitur, unde in colicis doloribus *Subjectum rigoris.*

rigores frequentiſſimi accidunt, ſit abſceſſibus & inflammationibus circa viſcera ad ſuppurationem tendentibus, iidem contingunt, pariter ſi quis acre medicamentum biberit.

IIX. Nec tantùm *Fernelii* hæc ſententia fuit, ſed etiam *Hippocratis & Galeni*, nam *6. Epid. ſect. 5. textu 29.* ῥῖγος ἀπὸ τῆς ἄνω κοιλίης μᾶλλον, πῦρ δὲ ἀπὸ τῆς κάτω, rigor à ſuperiori ventre, febris vero magis ab inferiori. *Galenus* in commentario ait hunc rigorem fieri, quando mordax materia os ventriculi vellicat, ex cujus inferiori parte ubi humor noxius ſæpe latet, febris ipſa originem ducit, & *2. prognoſt. 58.* ex inflammatione circa viſcera ſuppurante rigores fieri ait, vellicatis à pure membranis. *Galenus 1. de locis affectis* ex abſceſſu ſepti & jecoris, *6. de locis aff.* ex abſceſſu renum rigores fieri ſcribit. Cur enim vellicatis viſcerum membranis non fieret rigor, cum ſint maximè ſenſiles?

Objectio. Circa viſcera fieri fortes dolores ſcribit *Hippoc. 4. aphor 66.* Objicit *Scenkius* ſi ex viſceribus fieret rigor, in choleris, diſſenteriâ & pleuritide rigores excitarentur, quia membranæ ab humore mordaci irritantur. At id falſum eſſe oſtendit experientia.

Reſponſio. Reſpondeo in principio dictarum inflammationum interdum concitari rigorem, quando materia acris membranas primum ferit, ſed is rigor tandem ceſſat introductæ æquali intemperie in partibus per quas fluit; ſic pleuritiden videmus ſæpe incipere cum rigore, at ubi inflammatio facta eſt rigor illa tandem ceſſat, tum ob rationem dictam, tum quia humor eſt immotus, quâ ratione in inflammationibus viſcerum non fit rigor, niſi ubi pus factum excerni incipit, tum enim puris acrimonia & motu partes vellicatæ concutiuntur ad excernendum, & ſic rigorem inducunt.

Dubium. Sed dubium eſt quomodo affectis internis viſceribus corporis habitus concutiatur.

ſolutio. Reſpondet *Saxonia* univerſum nervoſum & membraneum genus trahi conſenſum ob generis affinitatem, ſicut ore ventriculi affecto fit convulſio in toto corpore, etiamſi ſoli nervi ventriculi afficiantur. Ab omni itaque causâ acri & mordaci per partes ſentientes delatâ ſive calida illa fuerit, ſive frigida, horrorem & rigorem excitari vult *Galenus*, loco prius à nobis citato, quod multis probat experimentis.

Cauſa. IX. Cauſæ autem quæ mordicatione ſuâ rigorem efficiunt, aliæ ſunt externæ, aliæ internæ. Externæ ut ignis ſcintilla injecta, aqua fervens infuſa, medicamentum mordax ulceri impoſitum, frigus penetrabile parti ulceratæ occurrunt tum denique quicquid extraneum,

cor-

corpori incidens partes sentientes vellicat & pungit. Internæ sunt humores acres commoti sive calidi sint ut bilis, sive frigidi ut pituita acida & vitrea. Sed hæc pituita vitrea rigores nunquam excitabit nisi attenuetur, quia nec penetrare potest, nec moveri per partes sentientes *ex 2. de symptom. caus. cap. 2.* Attamen ex pituitâ vitreâ quæ intestinis adhæret vehementissimi fiunt rigores, etiamsi non sit attenuata ut docet *Avicenna capite de rigore*, quoniam facultas expultrix ad humoris tam noxii expulsionem omni conatu insurgit. Ad rigorem igitur faciunt, non solum quæ humores illos acres generant & retinent in corpore, verum etiam quæ illos movent & agitant, ut metus, ira, animi corporisque motus, medicamenta aut potus calidi, balneum calidum, mora sub sole. Causa autem calida rigorem non infert quâ calida est, nam *aphorismo 22. sect. 5.* calidum rigores mitigat resolvendo, attenuando, itaque rigorem tantùm infert quâ mordax, quâ de causâ pituita salsa, pus aut medicamentum acre, bilis, cibusque acris eum morsum inferre possunt, ut docet experientia. Sed quæres primò cur pus rigorem generat, cum materia inflammationis acrior nullum faciat. An quia materia immota est in phlegmone, pus vero cum à naturâ expurgatur movetur, & vellicat. An quia materia inflammationis æqualem induxit intemperiem, pus verò inæqualem ob mutationem humoris à priori suâ naturâ hinc est quod dum pus fit febres fiunt & rigores. Quæ res secundò cur biliosus humor in Ictero in habitum corporis effusus rigorem non facit. An quia putrescit in febribus non autem in Ictero. An quia transmittitur ad ipsam cuticulam quam inficit, & illic aëris attactu mitescit, in febribus autem ferit musculos & panniculum carnosum, unde rigor, donec attenuatus solvatur in sudores.

Duo dubia primum. *

*

x. Variæ autem sunt rigoris differentiæ ad febrium diagnosin & prognosin exactè cognoscendæ sumuntur autem à vehementiâ, à duratione, à loco in quo fit rigor, & à quo incipit. A *vehementiâ*, vel validus est rigor, vel debilis horrorem tantum referens. Uterque vel principio talis, vel temporis progressu immutatur, nam qui primo insultu debilis sequentibus paroxysmis interdum increscit, aut contra, aut statim primo insultu vim suam ostendit, talisque permanet. A *duratione* vel diuturnus est, vel brevis, vel continuus, vel frequenter in unâ accessione reduplicat, aut una die, qui continuus est, vel per totum morbi tempus durat, vel per febrium exacerbationes in earum princi-

Differentia rigoris

pio tantum apparet. A *loco* alius incipit à capite, & deſcendit ad lumbos, aut contrà; Poſſuntque dari aliæ differentiæ quamplurimæ quibus dividitur in criticum, ſymptomaticum, ſimplicem, compoſitum cum morbis & ſymptomatis, &c. Quarum omnium cauſæ ſunt explicandæ. Violentus itaque fit à materiâ copiosâ, valde mordaci, & violenter mota, ſed qui ſtatim valde vehemens eſt, & poſtea remittit, fit ab humore bilioſo: Qui vero levior primum, dein fortior evadit, fit à pituitâ vitrea, aut incaleſcente melancholiâ, ſed ſolet eſſe longior, & cum magnâ refrigeratione, ob humoris frigiditatem.

Cauſæ differentiarum rigoris.

Refrigeratio, horror,

XI. Solent præter rigorem in febribus apparere horror & refrigeratio. Horrorem diximus differre à rigore ſecundum magis & minus, minor ſiquidem eſt motus in horrore, fit enim ab humore commoto quidem, ſed minus acri, vel ab acri, ſed aut parciori, aut minus violenter commoto. Eadem ſiquidem cauſa poteſt laſſitudinem, rigorem & horrorem facere, prout aut quieta eſt, aut validè commovetur aut debiliter. Sed refrigeratio etſi interdum prædictis conjungatur poteſt tamen alias habere cauſas internas & externas, privativas & poſitivas. Privativas, quando calor fugit ad interiora attractis vi inflammationis in corporis centrum humoribus, ſic in forti ventris dolore refrigeratio extremorum malum. Vel attrahuntur in ſyncope ad cor, unde ſyncoptici toto corpore frigidi percipiuntur. Idem dicendum de iis qui ſuffocantur, Pariter in febribus intermittentibus refrigerantur extrema, idque cum horrore & rigore, quia colliguntur humores in corporis centro, & calor illorum copiâ quaſi ſuffocatur. Poſitivas cauſas habet refrigeratio ut multitudinem humoris frigidi, quomodo ſudores frigidi in febre ardente ſunt lethale ſignum *aphor. 37. lib. 4.* quia tantam humorum frigiditatem arguunt, quæ neque à febrili, neque à nativo calore potuerit ſuperari. Sic dicit Hippocrates in ea parte morbum eſſe, ubi frigus, *aphoriſmor. 39. libri quarti.*

Diagnoſtica.

Facile autem cognoſcitur rigor relatione ægri & adſtantium, ut aliis ſignis opus non ſit, & oculis ipſis videri poſſit.

Prognoſtica.

XII. Prognoſtica verò quod ſpectat, horrores & rigores vel ſunt critici vel ſymptomatici. Critici in continuis febribus ſi poſt ſigna coctionis appareant, ſolent ſudores portendere ſalutares, bonique habentur, ſed mali ſunt judicio Hippocratis, qui in ipſa criſi contin-

tingunt *coaca 321. in Codice Foesiano* Ὑπόφωνον ἅμα κρίσει ῥῖγος. *Subabsurdus cum crisi rigor*, quod repetitur *prorhesi 107. libri primi.* Subabsurdus & infidus est illi rigor, qui vacuationibus criticis intermiscetur, easque potius remoratur quam promovet, ob aliquam retractionem humorum ad interiora, quæ fit in rigore. Præcedere siquidem rigor debet, non comitari aut subsequi. Boni quoque sunt illi rigores quos evacuatio aliqua subsequitur, & quos febris remissio excipit: Aliàs in febribus continuis boni non sunt. In principio siquidem aut incremento si apparuerint, humorum pravitatem denotant, à quibus natura ad expulsionem excitatur, quam ob imbecillitatem perficere nequit. Pariter mali sunt qui cum malâ aut difficili crisi contingunt sic *4. aphorismo libri septimi* ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη οὐ χρηστόν *A sudore horror non bonum.* Si enim ut diximus cum ipsa crisi conjunctus horror malus est, multò magis qui eam sequitur, & ut docet *Galenus* in commentario *Iudicatoria quæ non judicant partim mortalia, partim malè judicantia sunt, quia natura in ejusmodi dispositionibus morbo succumbit*, tum quia signum est plus retineri quam fuerit sudore vacuatum. Fit enim ille horror à tenui & mordaci humore intus relicto, & ideo malus est ob restantes humores in corpore. Si enim solùm manere febrem post sudorem, vel mortem, vel morbi longitudinem significat, *aphorismor. 56. sect. 4.* Quantò magis si horror succedat. *Epicratis uxor Epidem. ægro 5.* post rigorem & sudorem febre correpta non nisi octogesimo die prorsus liberari potuit. *Et coaca 46. Qui crebris levibusque horroribus desudant, difficili morbo laborant, & coaca 36. laßitudine laborantes cum horrore, criticè leviter exsudantes, ac celeriter recalescentes male habent, præsertim si tunc sanguis è naribus Stillaverit* quippe nihil paucum criticum est, malum siquidem si post sudorem febris aut remaneat, aut redeat, & *coaca 12.* οἱ φρικώδεες κεφαλαλγικοὶ, ἐφιδροῦντες κακοήθεες. *Qui multum & crebro inhorrescunt capite dolentes, leviter exudantes malignè habent* φρικώδεες enim vocantur ut *capite de semitertiana* dicemus, qui cerebrò & multum magnâ morbi parte non semel inhorrescunt. Crebri enim rigores cum sudatiuncula & capitis dolore naturam indicant ab humoribus crudis maximè irritatam, & debilem, unde morbi malignitas portenditur. In intermittentibus autem rigores qui singulis paroxysmis accidunt periodicè, sunt potius symptomata quam signa prognostiça, & nihil mali portendunt Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Itaque generaliter loquendo boni ſunt illi rigores qui accidunt poſt ſigna coctionis, criticas evacuationes præcedunt, quos libera liberaliſque evacuatio ſequitur, morbique imminutio, ſi non omnimoda ſublatio ſuccedit, & poſt quos corpus iterum recaleſcit. Cum his conditionibus verus eſt aphoriſmus 58. libri quarti *febre ardente laboranti rigore ſuperveniente febris fit ſolutio.* Mali contra ſunt, qui cum malis ſignis apparent, ut qui fiunt materiâ aut omnino crudâ aut nondum exquiſitè concocta, quos nulla aut exigua evacuatio ſequitur, nihil enim paucum criticum, à quibus corpus non incaleſcit, quod maximè improbat *Hippocrates 65. primi prorhet. ſecundum Foeſium* Αἱ ἐκλελυμένῳ καταψύξιες μὴ ἀναθερμαινόμεναι κακόν Caloris ſiquidem nativi extinctionem ſignificant, ut docet *Galenus in tom. & libro de tremore & 64 ejuſdem libri*, in rigore familiares non agnoſcere malum, mala item oblivio. *Et aph. 46. lib. quarti.* Si rigor incidat in febre continuâ ægro jam debili lethale. *Si enim ægro jam debili fiat rigor ſequaturque aliqua evacuatio, propter utrumque hominem diſſolvi par eſt, tum quia vis imbecillis non poteſt ferre rigoris agitationem, tum quia ab evacuatione diſſolvitur, ſi verò ſolus accidat rigor, nulla evacuatione ſequente, utroque modo caſus hic caret bonitate. Nam tanquam mala cauſa vires hominis tentat, & malum ſignum erit, illius indicans imbecillitatem, quæ ſolita erat noxios humores in rigoribus evacuare nunc vero hoc non poteſt perficere*, ut docet Galenus in comm. Per verbum *incidat*, inquit, intelligit rigorem non ſemel, ſed ſæpius invadentem, nam ſi ſemel tantùm appareat, certum non eſt utrum bonus vel malus ſit futurus, ſed ubi ſæpius apparet ſine evacuatione, malum eſt ſignum. Præterea *coaca* 15. Rigores qui in ſextum diem incidunt difficile habent judicium, quod repetit *aphor. 29. libri quarti* ὀκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ἑκταίοισι ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται δύσκριτα. Vocat Galenus δύσκριτον quod malam criſin affert, aut difficilem & gravibus ſymptomatis conjunctam, aut morbum in longum tempus protrahit, aut recidivæ facit periculum. Igitur ſexto die malus eſt rigor, quia dies ille non eſt criticus, ſed ſimilis tyranno, unde non tantùm rigor, ſed & reliqua ſymptomata critica quæ ſexto die contingunt, parum tutò judicant inde aut difficilis ſolutio ſuccedit, aut eum gravibus ſymptomatis, aut morbus prorogatur, aut recidivæ contingunt, ſicque terminatur morbus aut in mortem, aut in ſtatum deteriorem. Contrà terrere non debet rigor, qui præcedentibus ſignis coctionis inciderit in dies criticos. Aliis ſymptomatis adjuncti rigores augent perniciem

ſic

ſic coaca 14. *Rigores multi torporem inferentes maligni ſunt*, quod repetit *prorheſi 35.* ſignificant enim tùm corpus univerſum tùm maximè nervorum principium eſſe perfrigeratum, & maxima frigidæ materiæ copiâ tentatum, indeque facultates ipſius eſſe ſopitas & læſas & coaca 7. *rigores cum ſopore periculum denuntiant, & facies incenſa cum ſudore malignitatem ſignificat.* Et coaca prima *Qui ex rigore perfrigeſcunt cum capitis & cervicis dolore, vocis defectione & levi ſudore ubi vires reſumpſerint moriuntur.* Omnes enim hi caſus rigori conjuncti, funeſti ſolent eſſe, perfrictio ſcilicet, levis ſudor, aphonia, capitis dolor, quæ oſtendunt naturam debilem eſſe & multitudine humorum oppreſſam, ita ut non mediocrem omnium functionum noxam ſenſerit, hæc ſymptomata ſeorſim mala ſunt, multò magis ſi rigori & horrori conjungantur, tunc enim natura tentat quidem expulſionem, ſed ob debilitatem ſtatimq; concidit: Unde coaca 22. *Virium deſolutiones ex rigore cum capitis dolore pernitiem denuntiant*, fatiſcit enim natura, & exolvitur, unde quam tentat vacuationem perficere non poteſt. Sunt autem ἐκλύσιες Hippocrati ſemper malum ſignum, ſive per eas virium proſtrationem, ſive animi deliquium, ſive ad motum impotentiam quandam intelligamus, his enim modis omnibus hæc vox ab Hippocrate ſumitur. Et coaca xj. *Rigores ex dorſo graviores, ubi vero quis decimo ſeptimo riguerit & vigeſimo quarto iterum riguerit difficulter habet.* Solet ſiquidem rigor ex parte poſteriore magis incipere quam ab anteriore, ut dicit *aphor. 69. lib. 5.* quia poſteriora nervis, & partibus nervoſis ſunt magis referta, etſi enim ab extremitatibus, ut naſi, & unguium, frigus incipere videatur, lumbos tamen prius cruciat ob copiam partium nervoſarum, quod ſi die indice & critico qualis eſt decimus ſeptimus, rigor inciderit, iſque redeat vigeſimo quarto qui criticus non eſt, oppreſſionem naturæ indicat & irritationem, quæ non potuerit primo conatu univerſam materiam extrudere, & cogitur iterum die non oportuno conatus extremos tentare. Præterea aphor. 57. libri ſecundi prorhet. Secundum Galen. *In oculorum perverſione cum febre & laſſitudine rigor pernitioſus, comatoſique in his malè habent.* Significatur enim maxima animalis facultatis imbecillitas, ex oculorum perverſione & comate, multo magis ſi convulſio adſit, unde ῥῖγος ὑποθοτωᾶδης ὀλέθριον *coaca 23.*

XIII. Præterea brevis ſed vehemens rigor cum ſenſu punctionis brevem morbum ſignificat, quia ex bilioſis fit humoribus; Contra lon-

longus rigor sive parvus, sive vehemens, cum sensu refrigerationis, indicat longum morbum, quia fit à pituitâ, aut succo melancholico, & qui in unâ & eadem accessione frequenter repetit, ut in hæmitritæo longitudinem significat, & quò diutius rigores perseverant, eò diuturnior morbus est. In febribus autem continuis, cum signis coctionis, die critico apparens, salutaris est, ut jam diximus, indicatque crisin futuram, eamque per excretionem non per abscessum, nam ex *Hippoc. 6. Epid. sect. prima textu decimo, Abscessus non admodum fiunt quibus rigores.* Rigor autem vehemens qui increscere solet, ut in quartanis, non mitescit antequam ad statum morbus pervenerit, ut docet *Hippoc. textu octavo libri dicti*, ex incremento siquidem & decremento rigoris solemus prædicere incrementum aut decrementum febris.

XIV. Refrigeratio quoque facit ad præsagium, primò si inæqualiter corpus infestet, ut modò calidum, modò frigidum vicissim evadat, longitudinem significat *aphorismo 40. sect. 4.* nam variæ dispositiones diuturniores sunt, quas natura parvo tempore superare nequit, longa etiam refrigeratio in febre non acutâ, longam ægritudinem significat, brevis brevem, idem dicendum de vehementiâ, nam vehemens refrigeratio cum validâ virtute, in febre non acutâ longitudinem morbi portendit, in acutâ autem signum est pernitiosum, maximè si vires sint imbecilles, *aphor. 37. lib. 4. frigidi sudores cum acutâ febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant.* Plura prognostica ex rigore & refrigeratione desumi possunt, quæ ad febres non pertinent, ut Coaca 16. & 17. *Qui per sanitatem crebro inhorescunt, ii ex sanguinis fluxu purulenti evadunt. Horror & difficultas spirandi in laboribus tabis sunt signa*, quæ intelligenda sunt de purulentia in quibus collectum in thorace pus, acrimonia membranas feriens horrorem generat, tum materiæ pondus & copia, partes spiritales intercipit, unde spirandi difficultas, multaque alia addi possent quæ in particularibus affectibus describentur. Et de his satis.

* XV. Nunc ad curationem veniamus, quam quidam Medici tradunt,

Curatio. cum tamen curari omnis rigor non debeat, nec omni tempore, remedia enim quæ tædia rigoris demulcent, sæpissimè febres ingeminant. *Primò* itaque rigor curationem non postulat, qui levis tantum est, horrorem referens, cum non adeo molestet, *secundò* nec qui brevis est, diutiusque non fatigat. *Tertiò* nec qui criticus est, nam ardentem febrem

brem solvere solet, tantùm curandum ut optimè pannis æger cooperiatur. *Quartò* nec qui in principiis febrium tertianarum contingit, quia calidis remediis assumptis paulò post calor ingeminatur, febrisque redditur acrior, ut sæpius vidi apud Anglos ubi plurimi utuntur aquis stillatitiis valdè calidis adversus intermittentes febres, etiam contra præscriptum Medicorum, de quibus aliquid dicemus capite de tertianâ nothâ, & diximus lib. 4. errorum Popularium. Convenit autem curatio rigoris iis febribus quæ fiunt à pituitâ vitrea, aut à melancholiâ, quia in iis præter rigorem vehemens adest refrigeratio, quasi ossa ipsa infestans, & fermè tantum hujus febris gratia curatio rigoris instituta fuit, in aliis febribus si validus rigor unà cum frigoris sensu validè ægrum infestet, mitigari potius debet, quam omninò prohiberi. Sed non nisi cautè in quartanâ ipsa calidis utendum est, vidit enim Galenus intempestivo illorum usu quartanam simplicem mutatam in duplicem; itaque non in principio quartanæ iis utendum, quando rigor minus vehemens est, nec etiam in progressu, nisi coctionis signa appareant, in Epialâ autem & quotidianis omni tempore iis uti possumus. Primùm itaque externis id tentabimus, dein cum cautionibus dictis ad interna veniemus. Quidam igitur frictiones plurimas imperant, ad revocandum calorem ad exteriora, post quas unctiones spinæ ex oleis calefacientibus & nervoso generi accommodatis erunt utilissimæ, talia sunt olea *Chamæm. aneth. hypericon. rut. cum aqua vitæ.* Theriacam quidam addunt & spinam inungunt, alii si magna sit refrigeratio addunt aromata, herbasque calidas, & succos illarum, ut ℞ *theriacæ veteris* ℥ ß. *caryophillor. spicæ nardi. ana* ʒ j. *olei rutacei, aquæ vitæ ana* ℥ ij. omnia prunis imposita vase aliquo ferveant, & inungatur spina dorsi, ℞ *summitatum abrotani sicci,* ℥ j. *pyrethri* ʒ j. *croci* ℈ ß. *ole anethini, rutacei ana q. s. ut supereemineat quatuor digitis, vini generosi* ℥ ij. *coquantur simul lento calore ad vini consumptionem, exprimantur, & serventur ad inunctionem spinæ.* Fernelius fotum hypochondriorum probat ex decocto *chamæmeli, rutæ, origani, anethi, & calidarum stirpium.* Alii verò non tantùm fotum, sed & ipsum balneum probant, quod sane, prudenter & cautè adhibitum, humoris morbifici relliquias dissipat; Probantur item panni linei extremis partibus præcipuè testibus applicati. Pedibus, quoque apponi possunt lateres igniti vino extincti, & panno involuti, laudant etiam alii vesicas plenas decocto calente *origani,*

Q *pule-*

pulegii, *anethi*, *calamenti*, *rutæ*, *abrotani*, *absynthii*, *artemisiæ*, *chamæmeli*, *meliloti*. Unguentum arregon etiam laudatur; Eſt etiam remedium experientia comprobatum ut volunt quidam, qui capiunt *telam araneæ cum ſemine urticæ contundunt*, & addito aceto conficiunt medicamentum carpo alligandum, quod vel proprietate occultâ, vel per revulſionem prodeſſe dicitur, quamvis iſtis phyſicis, ſine ulla ratione non ſit nimium fidendum, ut in Pathalogia diximus.

XVI. Quod ad interna remedia ſpectat iis cautius utendum quam externis, nec niſi in febribus à frigidis humoribus pendentibus, ut quotidianis & quartanis, non autem in tertianis, ne febrem vehementius accendant. *Vinum aphor. 57. libri 7.* convenit, ſed non in omnibus, ut alibi dicemus, cui theriacam, mithridatium, ſemen hypericonis, imo & aſſam fœtidam admiſcent, qua tamen ob ingratiſſimum fœtorem cum alia ſuppetant cenſeo non eſſe utendum, potius ſubſtituatur benioinum, quæ aſſa dulcis à quibuſdam vocatur. *Gutta una olei piperis cum ſpiritus vini cochleari propinetur.* ℞ *baccarum lauri, zinzib. gentianæ ana fiat, pulvis, qui detur ad* ℈ j. *cum vino albo*, ſic conveniunt diatrionpipereon, diaciminum, theriaca diateſſaron, & alia ejuſmodi calida. Sed quidam probant ʒ j. pulveris cranii humani cum vino, alii os de corde cervi, alii tria hepata ranarum, alii tres radices plantaginis cum vino hauſtas in tertianis, & quatuor in quartanis, quæ omnia ſuperſtitioſa ſunt, & cum ratione rejiciuntur à *Pereda capite de quartana.* Periculum tamen facere poteſt qui volet. Sed *Avicennas* præſcribit agaricum tùm ſolùm, in aquâ calida propinatum, tùm admiſtum opio, ſiquidem inquit ſomnum conciliat, ſudores promovet, vehementiam rigoris temperat. *Galenus 6. ſimpl.* ait agaricum tollere rigores à craſſis humoribus genitos, ſed tamen non dixit *Galenus* in paroxyſmo eſſe præbendum, cum ſit catharcticum, ideo ante paroxyſmum competere poteſt, ut dicemus *capite de quartanâ* & id videtur *Avicennas*, nam etiam præſcribit diaphœnicon, hieram, diacidonium, quæ validè purgant; catharctica autem dare in ipsâ acceſſione ſummopere vetuit cap. *De curatione univerſali febrium.* An præſcribit agaricum ut vomitum moveat, qui utilis eſſe poteſt in paroxyſmo. Sed cur miſcet opio, cum ſomnus principiis paroxyſmorum ſit noxius, & me-
* dicamenti ſolutivi vis narcotico hebetetur. Dicere poſſemus cum id feciſſe ut humoris motum narcoſi conſopiret, tum ut ſudores promoveat,

veat, somno siquidem sudores uberius cientur, atque ipsum opium ut annotat *Gesnerus* in Epistolis, cæteris additur antidotis non ad temperanda rèliqua simplicia, est enim fervidum medicamentum sed ad sudores promovendos, quæ sententia à vero non omninò abhorret cum ipsi chymici norint ex opio elicere insigne sudorificum. Sed tamen hæc *Avicennæ* mistio non debet in usum revocari, cum magnis difficultatibus prematur, & alia tutiora suppetant.

Cap. VI.

De inæqualitate & lassitudine.

I INter signa quæ putridam febrem denuntiant, non tantùm est rigor, sed etiam inæqualitas & lassitudo, inæqualitas vel febrem præcedit, vel eam perpetuò comitatur. Est autem tristis sensatio musculorum corporis, ex inæquali intemperie proveniens, ab humore pauco minimè acri, per corporis habitum ante febrem leviter moto, solet siquidem sicut rigor & horror ante febrem infestare, sed humor à quo fit non movetur ut in rigore & lassitudine, aut saltem quam minimùm. Ita ut à quibusdam ad facultatem animalem motricem referatur, quod moveri sic affecti commodè non possint, tamen ab aliis sensus potius esse videtur quam motus, quod tristis adsit sensatio, quippe inquit *Galenus* profundus quidam in totâ corporis mole ceu dispersæ per eam rei à naturâ nostra alienæ sensus oritur, quam tamen rectè exprimere & explicare non valemus. Est autem res hæc aliena excrementitia quidem, sed paucior, minusque mordax quam in rigore & horrore, ad cujus vacuationem facultas expultrix magnopere non concitatur, potestque interdum ex pravâ victus ratione citra febrem generari, ut diximus *de rigore*, sed ut plurimum fit ab interno corporis vitio. *Anomalia.*

II. Est autem humor hic excrementitius interdum calidus, interdum citra calorem mordax, interdum calidus & mordax, interdum citra calorem & mordacitatem tantum distendens, ut si spiritus flatulentus in musculos se insinuet, aut humor pituitosus. In his omnibus inæqualitatem se sentire ajunt ægrotantes, & pandiculantur, omnesque partes distendunt. Est enim pandiculatio musculorum totius corporis distensio tentante naturâ inæqualitatis hujus ma- *Pandiculatio.*

teriam depellere. Continetur in genere motus voluntarii depravati, expultrice facultate irritatâ ab ejusmodi excrementis. Maximè autem fieri solet à somno, quia vaporosa in carnibus excrementa plurima sunt, ex alimenti concoctione per somnum & quietem collecta, ideo etiam minimi pueri à natura edocti pandiculari solent. Hæc autem materia flatulenta est, non corpulenta, aliàs faceret lassitudinem, aut rigorem, aut horrorem potius quem pandiculationem, estque ut diximus ex *Galeno* hæc flatuosa materia vel calida, qualis ex vapore sanguineo suscitatur, vel calida & acris, ex halitu bilioso, vel mordax sine calore ex halitu vitreæ, aut acidæ pituitæ, aut distendens ex flatu ab humidâ materia. In febribus autem hæc inæqualitas est secundum tempus paroxysmi, cum incipit calor distribui in corpus, fit lucta inter calorem & frigus, hinc tristis sensus, & inæqualitas, tùm pandiculantur & oscitant, & hæc inæqualitas non tam febrem futuram indicat, quam eam fore intermittentem, & longiorem, nam ostendit frigidæ materiæ annexionem, sed eam fore salutarem.

Lassitudo 111. Altera tristis hujus sensus species est lassitudo, quæ duplex, una ex laboribus & motu corporis profecta, altera spontanea, quæ sine his præcedentibus fit, estque impotentia, sive debilitas artuum ad motum, ob facultatis læsionem. Utraque triplex est, una in quâ universi corporis moles tendi putatur, tensiva dicta, fitque potissimum à plenitudine, quæ partes adeo distendit, ut ab ipsis tolerari non possit, sed fieri etiam potest ex flatibus & vaporibus distendentibus, non tamen ut mordaces sunt, ut docet *Galenus capite quinto libri secundi de causis symptomatum*. Secunda est ulcerosa, in qua corpus cum movetur velut ulceribus consperssum esse putatur, atque tanquam spinis & aculeis pungi videtur, fitque à mordaci humore, hinc motis magis accidit quam quiescentibus, nisi magna sit lassitudo, nam quieti humores non pungunt, nec vellicant, nisi sint multi & copiosi, unde magna lassitudo quiescentibus etiam molesta esse solet. Afficitur autem & pungitur vel sola cutis, vel sola caro, vel utraque, pro causæ magnitudine aut parvitate. Mordacitatem autem materiæ habet, vel quia biliosa, vel putrida, vel nimium calefacta ex balneo, motu, insolatu, atque vel obstructâ cute retinetur, vel ob copiam ad cutem transmittitur. *Tertia* Lassitudo est phlegmonodes, in qua partes quasi contusas & phlegmone obsessas etiam usque ad ossa sentimus, unde

unde ὀκνώδη vocant Græci, ob triſtem ſenſum quem in penitioribus partibus excitat, hic adeſt ſenſus mordicationis, caloris & tenſionis, quaſi ſit extenſivâ & ulcerosâ compoſita. In hac ægri velut contuſi jacent, nec minimum quidem motum ſuſtinent, ita ut ne quidem pandiculari tentent, audeantve, cum omnis motus illis ſit formidabilis, cum in tenſivâ & ulcerosâ pandiculatio contingat, ubi à vaporoſis proveniunt excrementis: ſed ſi ulceroſa magna fuerit, tranſit in horrorem, & hic rurſus in rigorem, quia ab unâ & eadem causâ hæc ſymptomata proveniunt, mordacibus ſcilicet excrementis, ſed differunt tantum multitudine, acrimoniâ, motu, exquiſito ſenſu partis, nam quæ minus acria ſunt, aut pauciora, quæ quieſcunt & in corpore obtuſi ſenſus, faciunt inæqualitatem tantùm & laſſitudinem; contra quæ copioſa ſunt, acria, & moventur, ea horrorem, & rigorem excitant, ut plenius docet *Galenus 2. de ſympt. cauſis cap. 5.* Hæ autem laſſitudinis differentiæ componi inter ſe poſſunt, ulceroſa cum tenſiva, cum oſtocopo, ita ut ex variâ complicatione quindecim oriantur laſſitudinum differentiæ *3. de ſanit. tuendâ cap. 13.*

IV. Earum autem ſigna facile patent, nam ulceroſa ex punctione quaſi ſpinarum cognoſcitur, tenſiva ex tenſione muſculorum, ita ut ſi amplius eos extendere ſit animus, videantur diſrumpi. Ubi dolor ad oſſa pervenire ſentitur, dicitur oſtocopos. Cognitis ſimplicibus compoſitæ facile cognoſci poſſunt. Itaque ulceroſa ſignificat copiam bilis, tenſiva ſanguinis, & ſic deinceps. *Spontaneæ laßitudines* inquit Hippocrates *morbos denuntiant* aphoriſmo *5. libri ſecundi*, Ulceroſa quidem brevis & levis leviorem febrem, at diuturnior & gravior tertianam & ardentem, in quâ dicit *Hippoc. 4. acut. 2.* eſſe laſſitudinem ulceroſam. Tenſiva verò & phlegmonodes morbos à plenitudine, ut febrem ſynochon: Oſtocopos autem quartanam, & ſi laſſitudo univerſum occupet corpus, hæc erit morbi ſedes, ſi verò partem determinatam, ut caput, thoracem, ſcapulas, cæteraſve, certum eſt has eſſe, vel futuras morbi ſedes. Præterea laſſitudo indicat futuram abſceſſum ad articulos, vel poſt aures in febribus *4. aphor. 31.* quod tamen dubium eſt quomodo fieri poſſit; Reſpondeo id intelligendum eſſe de laſſitudine particulari, nam illa morbum illic futurum denuntiat, ut ſcribit Hippocrates, *32. & 33. ejuſdem libri: quibus convaleſcentibus ex morbo pars aliqua dolet, illic fiunt abſceſſus*, tum *ſi ante morbum pars aliqua doluerit, ibi morbus ſtatuitur*; nam articuli laborabant tempore febris *Signa.*

bris aut ante febrem debilis facti & incalescentes, facile suscipiunt fluxionem. Pariter 4. *aphorismor. 44. Quos febres longæ exercent, iis tubercula vel labores in articulis fiunt.* Fluunt enim humores ad articulos, quia imbecilli, motu incalescunt, humoresque ad se attrahunt, tum febribus eorum imbecillitas augetur, & alibi in iis qui reficiuntur ex morbis abscessus ait fieri in articulis. *Ab abscessu tamen liberat urina, crassa & multa, qualis in laboriosis febribus quibusdam quarto die incipit fieri, tùm si ex naribus sanguis fluxerit aphor. 74. lib. 4.* quia natura humores evacuat, qui abscessum facturi erant, unde prædicta de abscessu post lassitudinem futuro intelligenda sunt, si nulla evacuatio succedat. Sic 6. Epidem. sect. 4. textu 2. *urina crassa qualis puero Amphigenis in febribus cum lassitudine quarto die prodit, & ab abscessu liberat, quod si sanguis è naribus profluat, citius liberatur.*

Curatio. V. Propterea imitatione naturæ spontaneam lassitudinem purgatione & venæ sectione curabimus, ne abscessus contingant, aut febres, quas præsagire solent, & quidem in phlegmonode nisi quis sanguinem promptè detrahat, febris superveniet acerbissima, itaque eodem die bis detrahere consulit *Paulus*, fit enim à plethorâ, & posteriore detractione suadet ut extrahatur ad animi deliquium, sed opinor temerariè, bis enim detractus sanguis potest sufficienter omnem plenitudinem demere & refrigerare, ut periculoso animi deliquio non sit opus: at nisi quis sanguinem demat, bonâ inquit fortunâ ad salutem ægri indigent, quæ etiam Galeni sententia est 4. *de sanit. tuenda.* Et si post incisam venam in febrem incidant, tum omni arte curandi ut alibi dicetur; si non, cibis boni succi sunt alendi, & balneo tepido lavandi, sic enim curabuntur. Ulcerosa autem quæ ab acribus fit humoribus, quiete curatur, victu euchymo, refrigerante, ac tenui, & si humores crudi fuerint etiam vino uti poterit, & medicamentis attenuantibus & dissecantibus sine magno calore, qualia sunt *oxymel, ptisana, diaspoliticon, mulsâ, diatrionpipereon*, tum demum purgandum erit & evicta cruditate balneo utendum, aliàs tum balneum, tum omnis motus, & omne aperientium medicamentorum genus noxium est. Videri *Galenus potest 4. de sanit. tuendâ.*

Cap. VII.

De signis diagnosticis febrium putridarum.

I Signa febrium putridarum ex quinque fontibus depromit *Galenus primo de differ. febrium cap. 7.* primò ex calore præter naturam, *secundò*, ex pulsu, *tertiò* ex urinâ, *quartò* ex formâ febris, *quintò* ex causis. *Primò* igitur generaliter in febribus putridis calor est acer, mordax ita ut tactum offendat & erodat, qui quidem calor in principiis accessionum, dum adhuc est suffocatus, non statim dignoscitur, sed diutius impositâ manu de profundo emergit, forasque attollitur; & quamvis in omnibus calor mordax sit respectu ephemerarum, inter se tamen comparatæ quædam calorem habere dicuntur blandum & suavem. nam sanguinea habet calorem lenem respectu biliosæ. Sed acrimonia caloris in hecticis quoque adest, verum non tanta quàm in putridis, eaque non statim se prodit, sed primum mitis nullaque fermè apparet, post manus impositione, magna satis deprehenditur. Caliditas, *inquit Paulus*, primò occursu languida, paulò post acris & erodens erumpit, estque ille calor semper sibi similis, nisi à sibi ut diximus capite de hecticâ. *Primum.*

II. Secundum est pulsus inæqualitas, nam velocior est systole quam diastole quoniam major est necessitas expellendi fuligines putridas quam refrigerandi, sed hoc signum inutile est iis qui systolen deprehendere non possunt, cujus cognitionem difficillimam esse Galenus libris pulsuum demonstravit. In initiis quidem quando refrigerantur partes & suffocatur calor, facultas gravatur ex humorum ad interiora confluxu, pulsus sunt parvi, veloces, sed inæquales inæqualitate systematicâ; in vigore autem aucto calore magni fiunt & veloces. Durities autem pulsus etsi quandoque adsit, non tamen convenit febri qua febris, nisi aliquid aliud adjungatur, hæcticis siquidem familiaris est ob arteriæ siccitatem, sed non ephemeris nisi ex lassitune, nimio frigore, aliisque de causis pulsum indurantibus succedat. Nec etiam putridis, nisi aliqua inflammatio, durusve tumor subsit in visceribus unde tensio arteriarum fit, aut vacuatio magna spirituumque resolutio, unde exsiccantur, vel congelatio à refrigeratione ut potu aquæ frigidæ, fiunt enim pulsus duri *ex Gal. cap. 7. primi de diff. feb.* *Secundum*

feb. tribus de causis, aut ex congelatione, à frigidis, aut ex tensione ab inflammationibus & tumoribus duris, aut ex siccitate à causis evacuantibus & siccantibus. Sed obiter notandum in nulla febre exceptâ ephemerâ pulsum redire in naturalem statum in intervallo, cum semper remaneat saltem inæqualitas dicta febrilis, ex *primò ad Glauconem*, alibi tamen excipit tertianam.

Tertium. III. Tertium signum est urinæ cruditas, aut saltem obscura concoctio. Cruda autem vocatur, quæcunque à naturali statu recedit, quod fit bifariam. vel enim quæ minimam aut nullam passa est alterationem, qualis est alba tenuis, cruda vocatur, vel quæ ad intensum vergit colorem, cùm substantiæ tenuitate, aut crassitie, quales sunt flammeæ, igneæ, rubeæ, crassæ ab ebulliente sanguine generatæ.

Quartum IV. Quartum signum est à forma febris, Intermittens incipit cum rigore, horrore, & inæqualitate quâdam febrili, in quâ describenda *Avicennas* numerat quædam symptomata, lassitudinem, oscitationem, somnum, gravitatem capitis, sputum, vomitum, in appetentiam, difficultatem anhelitus, aliaque plurima.

Quintum V. Quintum signum putridarùm est, quod non incipiunt à causâ procatarcticâ, quod ipsarum proprium esse *Galenus* tradit, sed non est inseparabile, cum illarum quædam à causa procatarcticâ originem habeant, unde valet consequentiâ, incepit sine causâ procatarcticâ, ergo est putrida, sed non contra, putrida est, ergo incepit sine causâ procatarcticâ, non enim retro commeat consequentia. Et hæc sunt signa putridarum generalia, nunc distinguendæ sunt continuæ ab intermittentibus.

Continuarum & intermittentium signa. VI. Continuarum igitur signa sumuntur à quatuor fontibus. *Primum* signum erit si febris non incipiat cum rigore, horrore, sed cum lassitudine præcedente, erit continua, sed interdum quædam continuæ initium capiunt ab horrore & rigore, ob quandam humoris partem à majoribus venis in minores derivatam, quæ ex illis excidit in *Primum.* habitum corporis, unde rigor, sed solet evanescere, nec redit usque ad finem febris, quod si redeat, malum est signum. Fit etiam horror in principio continuæ à fluxione capitis, quæ malignitatis est particeps. Præterea in semitertianâ quæ de genere est continuarum, horror fieri solet, sed is pendet ab intermittente cum quâ continuâ com-*Secundum* ponitur. *Secundum* signum est à tempore durationis, nam si febris excesserit horarum viginti quatuor spatium, probabile est illam

lam fore continuam; Dixi *probabile*, quia signum hoc solum non concludit, nam sæpenumero tertianarum intermittentium paroxysmus ad quadraginta horas extenditur, quare semper signorum syndrome est spectanda, nam hoc signum aliis conjunctum aliquid demonstrat. *Tertium* signum est inæqualitas augmenti, cum non uno tempore & una ratione febris increscit, sed varias facit mutationes, adeo ut nunc crescere, nunc consistere, nunc augeri, nunc minui videatur, quod indicat naturam esse oppressam, ab humoribus multis in venis putrescentibus, ut docet *Galenus primo ad Glauconem capite octavo.* *Quartum* signum est ex pulsu, nam si varius fuerit, neque rythmum neque ordinem servaverit, signum est febrem esse continuam, tales enim pulsus indicant insignem naturæ oppressionem, quæ in febre intermittente contingere non potest. Intermittentium autem signa sunt his contraria & omnes incipiunt cum rigore & horrore, extremorum frigus accessionem eorundem calor declinationem denotat *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres solvuntur*, singulis enim accessionibus humores febrim facientes expurgantur.

CAP. VIII.

De prognosticis Febrium putridarum speciatim.

1 SUppositâ prædicendi methodo, quam in Pathologiâ generaliter explicavimus, nunc ad prognostica febrium putridarum accedamus, & primò de febribus continuis agendum. Continuæ febres ut plurimum acutæ esse solent, Acutorum autem morborum non sunt certæ prænotiones salutis & mortis *2. aphorismor. 19.* Acuti morbi 14. diebus solvuntur & omnes periculosi sunt. Primò igitur *in febre non intermittente, si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, si non videt, si non audit, ægro jam debili, quicquid horum acciderit in propinquo mors est. 4.* aphorismor. 49. hæc enim convulsionem significant ob inflammationem siccitatemque, quæ febri superveniens est lethalis, præcipuè ægro jam debili. His tamen solis signis non est fidendum, sed addendum robur naturæ, quod intelligit *Hippocrates*, cum ait, ægro jam debili, & tunc mors est in propinquo, interdum cum virtute validâ, ut in perturbatione criticâ, ut contigit *Metoni primo Epidemioon.*

11. Secundo *ubi in febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit lethale. aphor. 50. lib. 4.* dummodo respirandi difficultas non pendeat ex delirio, cum scilicet delirantes sui officii obliviscuntur. At cum difficultas spirandi sequitur affectum partium respirationi dicatarum, deliriumque adjungitur, lethale est, quod significat incendium & inflammationem alicujus partis internæ, è quâ delirium & difficilis respiratio ortum ducunt, quales sunt pleuritides, peripneumoniæ, diaphragmatis inflammationes. Tertio *quibus in febribus aut aliis ægritudinibus voluntariè oculi illachrimantur, nihil horribile accidit, quibus verò non spontè, horribilius. aphorismor. 52. lib. 4.* lacrimæ enim quæ sine causâ manifestâ, ullove affectu oculorum contingunt, tales sunt à debilitate retentricis, quæ malum est indicium. Quarto *quibus in febribus lentores fiunt circa dentes, iis fortes fiunt febres aphorismor. 53.* ejusdem libri, fiunt enim ex calore pituitam exsiccante, unde morbi longitudinem significant. Quinto *febricitanti sudor superveniens febre non deficiente malum, prorogatur enim morbus, & multam humiditatem significat. aphorismor. 56. lib. 4.* sive in principio appareat, nam critica ne statim appareant, sive in fine, nam critica non judicantia mala. Sexto *quibus in febribus aures obsurduerunt sanguis è naribus fluens, aut alvus turbata solvit morbum. aphor. 60. lib. 4.* modo hæc surditas fiat absque præcipua instrumenti auditus passione. Septimo *quibus in febribus Icterus ante diem septimum malum, aphorismor. 62. lib. 4.* Fit enim ab inflammatione, obstructione, aut scirrho, & talis Icterus etiam post septimum diem malus, perseverantibus scilicet ejus causis, nam criticè ante diem septimum non solet fieri: Sed multi dubitant de veritate aphòrismi, nam in Epidemiis Heraclides tertia die Ictericus factus liberatus est. Hippocrates 4. de rat. victus acutor. In febre biliosâ inquit Icterus ante diem septimum natus cum rigore morbum solvit, sine rigore verò pestiferum. Rigoris nomine complectitur sequentem vacuationem insignem. Hic autem agit Hippocrates de Ictero qui fit ratione febris, quum bilis venis contenta effunditur in habitum corporis, tùm potest esse salutaris, at si sit gravis obstructio, inflammatio, aliudve vitium, lethalis erit. Sic ait *aphorismor. 64. libri quarti.* Quibus in febribus Icterus septimo, vel nono, vel undecimo, vel decimoquarto supervenerit bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit; si vero, non bonum. sed de hoc plura cap. de Icte-

ro

ro dicemus. Octavò *in febribus circa ventriculum fortis æstus, aut cordis morsus malum. aphorismor. 65. libri quarti.* Fit enim à flauâ bile fortiter in ventriculi tunicis ebulliente. Nono *in febribus ex somnis timores aut convulsiones malum.* Somnus enim sedare debet omnes hos pravos affectus, quod si non faciat, sed potius phlethoricis causis caput impleat, malum, & quidem si humor ad atræ bilis naturam vergat, timores fiunt, sed si talis non fuerit, labores fiunt & convulsiones. Nec solùm ex cerebro repleto malis humoribus tales fiunt casus, sed etiam ab ipso ore ventriculi ut vult *Galenus in comment.* Decimo *in febribus spiritus offendens malum*, convulsionem enim significat, fit siquidem musculis jam ad convulsionem paratis *ex Galeno in comment. aphorismor. 68.* Undecimò *in febribus convulsiones & circa viscera fortes dolores, malum. 66. ejusdem libri* ob vehemens incendium, eresipelas, vel inflammationem visceribus conceptam. Duodecimò *quibus in febribus urinæ turbatæ velut Iumentorum iis capitis dolores, aut adsunt, aut aderunt.* Fiunt enim materiâ crassâ & densâ à calore agitatâ, unde spiritus flatuosus promptè fertur ad caput. Decimo tertiò. *Si in somnis palpebris subclusis aliquid albi sub appareat, nec alvi fluor, aut medicamentum in causa sit, aut ita dormire consueverit, exitiale.* Significatur enim facultatis palpebras moventis imbecillitas, aut convulsio musculorum illas claudentium quæ mala censetur. Decimo quartò. *In febribus non intermittentibus si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò urantur, & sitim habeant lethale*; Id autem solet tribus de causis contingere, quod est maximè distinguendum. Primò propter vehementem dolorem in internis ut in colico dolore, quò spiritus & humores accurrunt vbi dolor sævit; secundò in syncope aut cardiagmas quæ non sunt lethalia; tertiò ex inflammatione internâ ut in lipyriis ad se retrahente calorem nativum, & hic casus est lethalis, vnde sitis à concepto visceribus incendio excitatur, quibus si accedat corporis agitatio, vestium rejectio, pedum denudatio, peiore sunt loco res ægris. Iis cum ad extremum ventum est succedit tenuis sudor, primum per caput, dein per totum corpus, tandem mors. Ad eundem sensum scriptum est *aphorismo 26. libri septimi. In forti dolore ventris, extremorum frigus malum*, & aphorismo primo libri septimi. *In morbis acutis extremitatum frigus lethale.* Frigent extrema principio paroxysmi intermitttentium, vel in morbis lon-

gis ob materiæ frigiditatem, sed id citra perniciem, at in acutis malum, vel ob inflammationem aliquam ut diximus, vel ob extinctionem caloris nativi, sed majus periculum est, si sudor adsit & levior eorundem extremorum. Decimoquintò. *febricitantium non omninò leviter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum*, illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat, aphorism. 28, lib. 2. ut quoque diximus cap. de morborum temporibus. Decimosextò. *si rigor incidat in febre non intermittente, agro jam debili, lethale* aphor. 46. lib. 4. Decimo septimò. *si febrem habenti suffocatio repente advenerit, nullo tumore in faucibus existente, lethale*, aphor. 34 libri 4. & 35. ejusdem. *Si febrem habenti repente collum pervertatur, ac vix poßit devorare, non existente tumore, lethale est.* Decimo octavò. *frigidi sudores cum acutâ febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant*, aphor. 37. lib. 4. Decimo nonò. *febricitanti si decimo quarto die aphonia succedat, non solet citò liberari*, sed temporis longinquitatem denotat, libro de rat. victus acut. & videatur Galenus in comment.

III. De intermittentibus autem aliter pronunciandum, nam aphorismo 43. lib. 4. *febres quocunque modo intermiserint periculum abesse significant*, quod intelligendum est ex natura ipsius febris, non verò, si cum aliis symptomatibus conjungatur, aut alia producat, ut dum quartanæ succedit hydrops immedicabilis, si itaque viscus aliquod sit lœsum, si accedat syncope, virium infirmitas, error in victu, aliudve simile, tunc febris intermittens potest fieri lethalis.; Præterea *quibus acceßiones fiunt, quacunque horâ febris remiserit, si eadem cras occupaverit judicium habent difficile*, signum illud est naturæ nihil moventis, aut debiliter, quia materia paroxysmorum fixa est, immota, contumax, etiamsi natura fortiter moveat, nam quod celeriter solvatur morbus, fit tres ob causas, quia natura robusta est, materia cedit, viæ sunt liberæ. Citius igitur finitur cujus accessiones non eundem servant tenorem, brevior siquidem futura est, quæ habet accessiones anticipantes, maxime si anticipatio magna sit, sine ulla proportione, ut diximus cap. de tempor. morborum.

IV. Tandem generaliter sciendum, febres senibus non admodum fortes fieri, ex Hippocrate primo aphorismor. 14. ob frigiditatem corporis, & *Avicennas* vocat eorum febres, sepultas, quia intus latent, ob humoris crassitiem, calorisque debilitatem, qui expandi non potest.

test. Cognoscuntur quia lingua eorum nigressit cum debili febre, tunc febris est sepulta, inquit *Avicenna*.

Cap. IX.

Febrium curandarum methodus.

1 Veniamus ad indicationes quas febris ipsa suppeditat. In quâ primò consideramus morbum, scilicet intemperiem seu calorem præter naturam, secundò causam morbificam, ac putredinem. febris est affectus calidus siccus, propterea indicat refrigerantia & humectantia ex lege contrariorum. Causa verò indicat evacuationem & alterationem. Alterationem quâ putredo corrigatur manente substantiâ, & hæc alteratio vocatur concoctio. Evacuationem verò, quâ noxius humor vacuetur, sive per venæ sectionem, sive per catharsin, ut docet *Galenus cap. 89. artis Medicæ*. Putredinis causa solet esse obstructio, quapropter hæc quoque tollenda est. His addemus indicationem sumptam à viribus, in quotidianâ servabimus robur ventriculi, in tertianâ hepatis, in quartanâ lienis, quia in his harum febrium fomes continetur. Hic etiam concurrunt indicationes contrariæ, nam febris postulat refrigerantia, obstructio detergentia, quæ calida sunt, & causa sæpe quoque calefacientia postulat, ut pituita. Verum hæc calida per accidens refrigerant, propterea non tollunt indicationem depromptam ex natura febris. His indicationibus satisfieri potest diæta, pharmaciâ & Chirurgiâ, de quibus breviter agemus.

Diæta Febrium.

II. Victus febrium consistit in quantitate, qualitate & utendi modo. Qualitatem victus declarat Hippocrates aphor. 16. lib. primi. *Victus humidus febricitantibus omnibus confert maximè verò pueris, & aliis qui tali victu uti consueverunt.* Nam cum febris sit affectus calidus siccus, ex lege contrariorum refrigerantia postulat & humectantia, nam ut docet *Galenus in lib.* Methodi, refrigeratio febribus potissimum competit, in illis siquidem calor solet esset noxius, non semper siccitas fatigat, quod *Hippocrates* ipse libris de morbis variis in locis præcipit, ubi febrem quam citissimè refrigerare jubet. Hoc cum omnibus constet non refrigerantis, sed solius humidi victus meminit aphor. dicto, quod non adeo planum sit humectationem febribus convenire. *Qualitas* *

Per victum humidum intelligere possumus vel humectantem, vel liquidum & sorbilem; Humectans maximè febribus convenit, tum quia siccitatem emendat quam febrilis calor accelerat, tum quia calorem præternaturalem temperat, est enim siccitas lima caloris, humiditas autem eundem retundit. Liquidis & sorbilis ab eodem semper febribus præscribitur, æstipulante Galeno, tum quia facillimè in ventriculo concoquitur, tum quia facilius in reliquum corpus & penitiores venas subit, calor enim innatus ab extraneo labefactatus imbecillius concoquit, nec est fatigandus cibis solidioribus, ne si crudiores remanserint, corrumpantur, febremque deinceps augeant, unde cavendum à carnibus assis aut elixis, quæ etsi forsan humidæ potentiâ esse possint, earum tamen, substantia durior est, quam ut à febricitantium imbecillo calore concoqui commodè possit. Unde juscula carnium, carnibus ipsis præferri debent, assentiente etiam *Celso lib. 3. cap. 6.* Quamvis autem semper sorbilis cibus esse debeat, non tamen semper refrigerans esse debet & humectans, nam ratione causæ quæ febri conjuncta est, aut ratione alterius morbi, vel symptomatis adjuncti interdum calidus interdum siccus esse debet ut in pituitosis febribus, & quartanis piper conceditur, tum si febris cum hydrope, vel dolore colico, vel obstructione adsit, in hac non humectantibus & refrigerantibus, sed calidis aperientibus utendum erit, ut docet *Galenus in com. aphorismi prædicti.*

Quantitas. III. Formam victus quod attinet, nota est divisio victus in tenuem, crassum, & mediocrem. Tenuis vel simpliciter talis est, qui fit per ptisanæ cremorem, vel tenuior in quo melicratum exhibebatur, vel tenuissimus qui est omnimoda inedia, aut saltem solâ aquâ hordei continetur. Crassus victus pariter triplex est, vel simpliciter talis qui fit per ptisanam integram, vel crassior, in quo pisces, ova, aves montanæ exhibentur vel Plenissimus in quo cibi valentes conceduntur, & sanis non ægris convenit. Sed in nostris regionibus victus ille tenuissimus antiquorum qui omnimodâ constabat inediâ, est periculosus, unde *Galenus* sæpissime Medicos reprobat qui diatriton imperabant, etenim in omnibus morbis victus seruanda, quæ non magis quam à tenui victu labefactatur. Victus autem ille tenuissimus non aliquot horis mensurandus, multi enim etiam forsan per diem integrum sine cibo vivere possunt, idque utilissimum illis est ad humorum concoctionem, sed inedia intelligenda quæ est plurium dierum, qualis erat diatritos

vete-

veterum; nam in morbis acutiſſimis quorum terminatio & exitus quartâ die ſperatur, cum virtutis robore omnimodam inediam præſcribebant, à quâ tamen nos debemus abſtinere, aliàs in acutis morbis accedente ſtatu victus ratio attenuanda, & forſitan paulè ante criſin omninò cibo abſtinere utiliſſimum eſt. Febres ut diximus vel ſunt acutæ, vel acutiſſimæ, vel longiores. In acutiſſimis quæ quatuor diebus judicantur, tenuiſſimo victu utendum, quia habent breviſſimum principium & augmentum, & ſtatim ad ſtatum properant *ſtatum extremos habent labores*, inquit Hippoc. Sed quæ minus ſunt acuta, non adeo tenuem victum poſtulant, ſemper obſervando ut juxta ſtatum tenuior ſit quam in principio, quoniam natura tum humorum pepaſmo intenta non debet revocari ad alimenti pepſin. In victu enim exhibendo vel materiam morbi ſpectamus, vel vires. Materia cum concoqui & evacuari poſtulet, nullum cibum deſiderat, viribus autem inedia, tenuiſque victus nocet, eas enim atterit. Igitur ſemper ſpectanda virtus eſt, an ſine cibo ad ſtatum uſque perdurare poſſit, ut docet *Avic. Si ægritudo fuerit valde acuta, & virtus valida, tunc eam incitabis ſuper materiam, & eam non facies occupari in cibo, imò ſubtilia regimen ſtatim cum dimiſſione cibi omninò.* Quod ſi vires ſint debiles, humores pauci & corrupti parum & ſæpe cibandum, ſi vires debiles & humores temperati & abundantes parum & raro, ſi vires multæ, humores pauci, non corrupti multum & ſæpe, ſi vires validæ corpus plethoricum parum & raro cibo indulgendum. Ad virtutem autem referuntur tum ætas, tum corporis habitus, tum regio, tum anni tempus, tum conſuetudo, pueri enim inediam non ferunt, ſenibus verò minus nocet. Pariter qui corpore ſunt calido ſicco, præcipuè circa ventriculum ab inediâ facile reſolvuntur, & in maraſmum incidunt. Regionibus quoque frigidis, hyeme & conſuetis plus cibi dandum eſt quam in aliis. Imo in ipſo morbi vigore ſi quapiam de causâ vires diſſolvantur nutrire cogimur, ex *Galeno primo aphoriſm. 9.* quâ ratione in peſtilentibus morbis victum pleniorem decernimus, aliàs vires morbi malignitate ruerent & fatiſcerent. Tenuis præterea victus tripliciter dicitur, vel qualitate, ſunt enim quædam alimenta oligotropha, quæ parum nutriunt; vel quantitate ut ſi multum nutrientia exiguâ tantum quantitate præſcribantur, à quibus parum nutrimenti corpori ſuccreſcit, vel numero, ut ſi raro aſſumantur, ſic enim parum nutri-

re

re possunt. Igitur tenuis hæc ratio victus morbis acutis semper convenit, at nisi cautè & circumspectè præscribatur, periculosior est paulo crassiori *aph. 5. lib. primi.* Etsi enim utrinque periculum adsit, majus tamen est in tenuiori quam in pleno, Indicatione etenim sumpta à viribus, & magis ex tenui diætâ labefactantur quam ex crassiori, nec ità facile possunt reparari nisi alimento, quod non nisi per varias transmutationes in corporis substantiam facessit. Sed ex crassiori victu id tantum imminet periculi, ne morbus evadat longior, tum evacuatione noxa illa emendari potest, etsi suo non careat victus crassior periculo.

Tempus. IV. Utendi modum quod spectat. Tempus maximè spectandum. In intermittentibus quidem in paroxysmis cibum dare prohibet *Hippocrates primò aphorismorum undecimò & decimo nono*, ne scilicet à febrili calore cibus corrumpatur, febremque deinceps augeat, & hoc maximè verum est in febribus illis, quarum intervallum tam longum est, ut sufficere possit ad concoquendos cibos ante novi paroxysmi adventum. Curandum enim est ut paroxysmus accedat ventre vacuo, ex *Avicennà*. Sed in febribus illis quarum accessio tam longa est, ut ferme statim à declinatione novus instet paroxysmus, dubium maximum est, an in statu exhibere cibos conveniat, an in declinatione, ita ut cibo nondum concocto novus succedat paroxysmus, an vero in ipso paroxysmo sit alendum, sunt enim ubique angustiæ, variæque sunt hac in re opiniones; Quidam deterius esse putant, cibum offerre in principio paroxysmi, quam in statu, invadente enim febre suffocatur calor innatus, pulsus imminuitur, cor magis leditur, hinc virtus labefactata cibum commode non concoquit, cruditates augentur, putredo increscit, vapores plurimi ex alimento accenso suscitantur, sic periculosior fit paroxysmus, & mors interdum contingit ex suffocato calore, quod enim in principio commissum est erratum, aliis temporibus etiam communicatur, unde vetat Hippoc. ptisanam dare cum pedes frigidi sunt. Sed in statu tantum non est periculum, ob calorem vehementer accensum solum prorogatur accessio. Alii his omninò adversantur, quia virtus in statu plus laborat in universo corpore quam in principio, & *Galenus*, videtur huic sententiæ assentiri *xj. Methodi* ad finem, ubi nisi adsit inflammatio ventriculi, aut hepatis, in principio cibum dare non vetat. Attamen prior sententia ob rationes dictas verior videtur, falsum enim est, virtutem

plus

plus laborare in ſtatu quam in principio paroxyſmi, pejus enim eſt virtutem opprimi, quam à calore paululum alterari, *Galenus* autem loco citato in caſu propoſito id non negat, tantùm ait poſſe cibum in principio paroxyſmi exhiberi, quod nos non negamus. Eſt enim quando invadente paroxyſmo cibus eſt offerendus. Sunt enim corpora quædam bilioſa, ſenſus exquiſitiſſimi, quæ cum plurimis laboribus, copioſoque victu uti ſoleant, niſi cibus detur in paroxyſmi initio, incidunt in ſyncopen, convulſiones, & maraſmum, & propterea iis cibus dandus eſt. Non omnes tamen cholerici his periculis ſunt obnoxii, ſed ii tantum qui valde calidi ſunt & ſicci, rarioris texturæ, & qui exercitiis plurimis utuntur ex *Avicennâ*. In his enim invadente febre mittitur bilioſus humor ad ſtomachum, qui pungit & vellicat, unde cadunt in ſyncopen, is autem cibi ſuavitate miteſcit & temperatur. Attamen in caſu ſupra propoſito, niſi etiam caſus qui modo dicti ſunt, affuerint, ſatius eſt in fine ſtatus cibum præbere, qualis febricitantibus convenit, ſcilicet qui ſit eupeptos & oligotrophos, ſic enim citiſſimè concoquetur ante adventum novi rigoris, pauciores enim horæ ad ſorbiles cibos concoquendos ſufficiunt. Pariter in iis febribus quarum paroxyſmi ita ſunt connexi, ut declinationem unius ſtatim excipiat invaſio alterius, idem obſervandum, ut in ſtatu cibum demus, eumque quam leviſſimum. Potum quod ſpectat, ipſe *Avicenna* vetat dare aquam hordei, & Juleptoto paroxyſmi tempore, niſi coacti ſimus, ipſiſque conſentiunt ipſius interpretes, præter Jacobum de Partibus, qui verius concedit decoctum hordei, (quod nos ptiſanam male vocamus) quando calor in univerſum corpus expanditur, crudele enim eſt ægrum ſiti enecandum tradere. Potus enim interiora roborat, calorem ſitimque compeſcit, exſiccationem prohibet, ſudores promovet, & negat inde febrem prorogari, Rigente autem corpore valde nocet. In continuis autem quorum nulla exacerbatio eſt, eo tempore dandus eſt cibus, quo per ſanitatem ſumere conſueverant, ex *Galeno xj. Methodi cap.* 5. Nunc ad cibos febricitantium in ſpecie accedamus. *Potus.*

v. Ptiſana veteribus & recentioribus cibus eſt familiaris, in febribus præſertim acutis & bilioſis, nã refrigerat & humectat, idque magis aut minus pro varia præparatione hordei, decoctione, aut aquæ quantitate. Nam fit ex hordeo decorticato, vel integro, & hæc magis deterget, illa magis humectat, ſitim & aſperitatem ſedat, inflammationem extinguit, *Ptiſana.*

guit, pulmonem lenit, & hæc maxime competit febribus biliosis & sanguineis in quibus refrigerandum est & humectandum, sicut prior magis competit pituitosis & melancholicis, in quibus abstersio necessaria est & apertio, maximè si apium & fœniculum addantur. Quod si ventris lenitio desideratur; addi possunt manna, & Saccharum violatum, ad pectus liquiritia, sebesten, tragacanthum, aut hyssopus, aut calamenthum. Et si magis nutrire intentio sit, coquatur hordeum dum crepet, & quodammodo in pultes redigatur. Non omnia autem quæ ex hordeo fiunt habent eandem virtutem, nam panes hordeacei omnes exigui sunt alimenti, succum crassum & flatus generant; Præterea fiunt potenta & maza de quibus abundè *Plinius lib. 18. cap. 7. Galenus lib. j. de alim. facultatibus cap. xj. & xij.* fiunt quoque potiones zythum, curmi, cerevisia, sed apud nos in frequenti usu sunt aqua hordei & ptisana. Aquæ hordei usus antiquissimus est, nam ejus meminit *Hippoc. 3. de rat. victus 43.* & alibi ad sitim tollendam. Sed *Galenus* illius non meminit, imò fatetur se ignorare quænam sit illius præparatio. Arabibus ac deinceps nostro seculo facta est familiaris, ita ut omnes hodie illius confectionem norint. Hordeum autem ex *Galeno primo de alim. facultatibus* in eo differt à tritico, quod hoc insigniter calefaciat, hordeum verò refrigeret, sed præterea siccat lib. *de ptis. cap. 3.* decoctum vero in aqua siccitatem amittit, ejus enim siccitas temperatur aquæ humiditate, & sic fit potio frigida, humida, præterea sudorem provocat, unde febricitantibus evadit utilissima, aqua enim non imbibit hordei siccitatem, sed manet tum actu, tum facultate humida; siccitas enim cum sit qualitas minus efficax, sese aquæ communicare non potest. Coquitur autem hordeum ex aquâ simplici, idque diutius, ut flatum deponat, adduntur interdum passulæ, glycyrhisa, & in frigidis affectibus cinnamomum. Ptisana præterea ex hordeo conficitur, imo ipsum hordeum tritum, corticeque exutum ptisana dicitur, ut exponit *Suidas* hordeum scilicet tundendo cortice expurgatum. Ante omnia hordeum eligatur, candidum, densum, ponderosum, omni ex parte plenum, neque nimis recens neque nimis vetustum, *ex primo de alim. facult.* siquidem recens nimis flatuosum est ob largam humiditatem, vetustum autem effœtum est & sine viribus. Tale hordeum in optima aquâ infundendum est per quatuor horas ex *Averrhoe*, aut per duas tantùm secundum *Avenz.* deinde manibus conterere oportet, donec externa superficies excutiatur, nisi

pti-

ptiſanam magis abſtergentem facere ſit animus, tunc enim melius eſt hordeum integrum cum membrana coquere. Hordeum ita præparatum quod *mundum* vocatur, coquatur primum vehementi, dein minori igne dum totum in cremorem vertatur. Permiſcit Galenus parum olei, dein aceti, & demum ſal addit, dein porrum & anethum. Proportio autem aquæ ad hordeum varia eſt apud authores. Auerrhoes accipit duas partes aquæ, unam hordei, *Avenzoar* contrà duas hordei, unam aquæ. *Avicenna* viginti partes aquæ, unam hordei. Paulus quindecim aquæ, & jure cum hordeum longiorem coctionem poſtulet, copioſior aqua ſumenda eſt, tum etiam hordeum pro varietate ſoli aliud facilius, aliud difficilius coquitur, tum quoque in quibuſdam aquis cerealia omnia difficilius quam in aliis conficiuntur, quæ ratio eſt cur *Galenus* quantitatem aquæ nunquam expreſſerit. Erat autem ptiſana duplex, una quam ſimpliciter ptiſanam, vel ptiſanam integram vocant, non colatam, alteram quam ſuccum ptiſanæ, cremorem ptiſanæ, aut ptiſanam calatam nominant, quando ex hordeo tenuior & liquidior pars excolatur & elicitur. Poteſt autem hodie ex juſculo carnium parari, ſive integra, ſive colata paretur, addito pauco ſale & ſaccharo, mel enim addebat Galenus *5. de tuenda Valet. cap. 8.* cui ſaccharum ſubſtituemus, quia minus calet, indito autem aceto in calidis febribus prohibemus ſacchari in bilem converſionem, aut loco aceti ſuccum arantiorum, citri & limonum, modo ſucci aliquantulum cum reliquis ebulliant, ut acerbitatem deponant, nam ut monet *Septalius* nimius uſus acidorum niſi coctione aut ſaccharo temperentur, ob acerbitatem obſtructiones parit inemendabiles, & vidit *Duretus* ſtomachum nimio uſu ſucci limonum aphtoſum factum & ulceratum. Reprehendendi autem in præparatione ptiſanæ qui hordeum ſumunt torrefactum ad flatus exuendos ſic enim ptiſana minus humectans redditur, magiſque alvum cohibet, ut docet *Oribas. 4. Collect. cap. 7.* Sic *Trallianus* in dyſenteriâ & diarrhoea voluit hordeum torreri, nam frixa omnia ex Galeno flatum deponunt, ſed difficile concoquuntur, & alvum ſiſtunt. Male etiam alii præparant ex farinâ hordei, aquæ aut juſculo incocta, pultemque efformant, eſt enim flatulenta admodum docente *Galeno primo acutor. 18.* Præſtat igitur morè Galeni jam dicto præparare. Ptiſanæ autem uſum Manardus reprobat, ſatis levibus rationibus, cum tamen eam *Galenus* tum in aliis morbis, tum maximè in febribus, aliis ferculis anteponat, quia facilè coquitur, refrigerat, abſter-

ſterget, lenit alvum, non adſtringit, caret flatibus, ita ut *Galenus* peculiarem librum de hoc ferculo ſcripſerit. Tempus autem accomodatum ad ſumendam ptiſanam ex Hippoc. *primo de rat. vict. acut.* eſt, cum caliditas ad pedes deſcenderit, ſcilicet in declinatione, ut docet *Galenus* in commentario. Convenit autem morbis acutis, ſed non ante celebrata remedia univerſalia, aut antequam coctio & vacuatio per ſputa incipiat in morbis thoracis. Demum prohibet *Avicennas* dare ptiſanam cum oxymelite, quod eſt verum, quando exhibetur ratione alimenti, & jure, ſicut improbantur à *Galeno* primò de alimentis, quæcunque poſſunt ſtimulare naturam ad expulſionem, antequam alimenta percoquantur. Optimè autem permiſcetur tum oxymel, tum acetum, ut prohibeant ne aqua inflammetur, ipſiuſque penetrationem juvet, tum etiam ptiſana lenit, abſterget, oxymel incidit, attenuat, & ſtimulat ad expulſionem, ut plenius videre licet apud *Gorrhæum in definitionibus & Maſſariam.* Eſt etiam ptiſana quædam triticea quam χονδροπλακοῦντα, aut πλακοῦντα πυρινὸν vocant *ex Galeno primo de alimentis*, eſtque halica præparata cum vino dulci, aut mulſa, cum oleo & ſale, aut interdum cum aceto, vel præparata eodem modo quo ptiſana, ut ſit integra & colata, quam per χονδρὸν intelligere videtur, Hippocrat. libro de morbis. Sed rarus aut nullus eſt ejus uſus in febribus.

Panatela. VI. Panatelâ in febribus utimur diverſimodè. Quidam panem lavant aquâ ut vis fermenti ab eo eluatur; alii panem prius aſſant, dein bis vel ter aquâ abluunt, quod Oribaſius feciſſe videtur, ſed ſic ferculum evadit calidius & ſiccius, quam ut febricitantibus convenire queat, niſi alvi profluvio aut diuturniori febre tetentur. Ablutum panem quidam incoquunt, vel lacti amygdalino, emulſioni ſeminum frigidorum cum ſaccharo, vel ſucco granatorum, ptiſanâ, vel juſculo, vel lacti, prout aut nutriendi aut alterandi eſt animus. Quidam etiam panem lotum ex aqua ſimplici cum ovo integro prius agitato, & ſaccharo coquunt additus refrigerantibus herbis, interdumque butyro, fitque ferculum nutriens ſatis & refrigerans, præſertim addito ſucco limonum & arantiorum, & ejuſmodi panatelæ præparatio competit febribus acutis, in aliis autem parari poteſt ex pane non loto & juſculo aliquantum validiore.

Ova. VII. Fuit olim, hodiernoque die durat altercatio maxima inter Medicos, an ova febribus conveniant. Præſtat autem ovum alimen-

mentum corpori temperatiſſimum & optimum, eſt eupepton, euchymon, polytrophon, peneque nihil excrementi relinquit, vixque ullus cibus eſt qui melius alat, neque oneret, ſi ſit recens, vetuſto etenim nihil deterius, ſive ſit χαστὸν ſive οὐριόν. Ovum χαστὸν dicitur quod incubando corruptum, luteumque evaſit, aut à quo pullus excludi incipit, οὐριὸν vero quod longo ſitu ab aëre depravatum eſt, ut æſtate ſub cane, calidove tempore fieri ſolet. Coctum autem ſum debet, ſed ſorbile, aut tremulum, non coctione induratum fit enim dyſpepton; non frixum quod τηγανιστὸν Græci vocant, fit enim nidorulentum, pravumque & excrementitium ſuccum corpori ſubminiſtrat. Tremulum autem quod in aquâ exempto putamine eatenus coquitur ut non dureſcat, aut ſorbile quod ſimul cum putamine coquitur ſed minimum, optimè convenire poteſt, ob rationes dictas, nam vires roborat, facillimè concoquitur, plurimum nutrit, humoralibus ideo febribus coctâ materiâ, & minorante aliquantulum evacuatâ utiliter præſcribit. Sed ratione ipſius febris & ſymptomatum oua non competunt, quia non ſunt medicamentoſa, nec enim alterant, nec vacuant, ſed potius ipſa facillimè alterantur, in ſtomacho corrumpuntur, & inflammantur: ſunt enim unctuoſa & oleoſa. Præterea plus nutriunt quam quibuſdam febribus utile eſt, ut ſynochis & acutis ante ſtatum, in quibus tenuiori victu eſt utendum & oligotropho, niſi virtutis imbecillitas nos urgeat, & à legitima curandi ratione avocet, ſed in aliis febribus, ut pituitoſis & melancholicis, omni tempore utiliter dantur, & in acutis ut diximus concocta & evacuata materiâ, aliàs minimè.

VIII. Cum dixerimus ſorbitionibus alendos ægrotantes & potulentis ſecundum Hippocratis placita, ſequitur carnes non eſſe febricitantibus idoneas, maximè quæ inter illas ſunt craſſioris ſucci, coctioniſque difficilioris, ut bubula, vervecina, leporina, ſunt enim cibus ſanorum non ægrotantium, etſi in chronicis febribus iiſque intermittentibus minori forſan cum noxâ concedi poſſint, & ſic ſemper juſcula, conſummata, reſtaurantia dicta carnium ipſarum ſubſtantiæ præferri debeant. In acutis autem nocent, quibus tenuior victus competit, eoque tenuior, quo virtus validior eſt, aliàs in ejuſmodi febribus vel mors, vel morbi longitudo, vel ſymptomatum ſævities ſequitur. Nec confugiendum ad conſuetudinem, quod antiquo- *Carnes. Piſces.*

rum victum parcum ægri nostri sustinere non possint. Id enim falsum esse ostendit experientia, cum plurimi in carceribus per annos plures pane & aquâ victitantes, incolumes vixerint. Tum etiam veteres etsi non tam sæpe cibum sumerent, quoties tamen illum sumebant lautius epulabantur & copiosius, ut etiam arietem integrum quidam devorarent, ut de Ephæstione in vita Alexandri refert Plutarchus. Sub declinationem tamen morbi, ad carnes eupeptas quales sunt avium montanarum, sensim deduci possunt laborantes, in principio autem usque ad statum minimè, nisi virium imbecillitas pleniorem victum suadeat; sicut in iisdem acutis in principio ipsa juscula consummata, non adeo prosunt, etsi enim facillimè concoquantur, tamen in bilem facessunt, nisi alterantibus herbis, succisque refrigerantibus ut limonum, arantiorum cæterisque ejusmodi temperentur. Ita ut melius fuerit tum hordeatis seu ptisanâ, tum jusculis dilutioribus uti. Quod si solidior cibus concedi debet, pisces carnibus præferri debent. Eos etenim probat *Galenus primo ad Glaucon capite decimo*, quia facile concoquuntur si sint saxatiles, carnibusque præfert, saxatiles autem sunt, non ut quidam putant, fluviatiles qui in saxosis & glareâ refertis fluminibus degunt, ut Trutta dicta, sed omnes sunt maritini, ut ex *Galeno & Athenæo in Dipnosophistis* patet, qui nunquam inter saxatiles fluvialem ullum numerant, etsi fluviales etiam competant, ut Trutta dicta, Lucius, aliique eupeptoi, friabiles, quique facile non putrescunt, febrique ipsi qualitate suâ frigidâ resistunt. Arabum interpretes ita distingunt. Pisces ratione temperamenti frigidi & humidi maximè competunt, præcipuè febribus cholericis, sed quia facile corrumpuntur, & putrescunt minus convenire censent. Sanè carnes in sanis semper præferri debent, nam quod ex piscibus succrescit alimentum tenue est, humidum facileque resolubile. Est enim omnis piscis frigidus, humidus, pituitamque plurimam generat. At in ægris alia ratio est, etsi enim semper solido cibo præferri sorbitiones debeant, in iis tamen febribus quibis cibi concedi possunt pisces, quia refrigerant & humectant carnibus præferendi. Nec verum est eos facillime corrumpi; Optimi enim pisces quales febricitantibus concedit *Galenus* satis laudabilem succum præbent, nec adeo corruptione obnoxium. Vitandos tamen eos esse puto *primò* in continuis acutis febribus, sicut & carnes omnes, ne corrumpantur, & stomacho coquenti negotium facessant; *secundò* in pituitosis ne causam

ſam febrilem augeant. Sed intermittentibus ut tertianis, quartanis, intermiſſionis tempore concedi poſſunt, nam eos *Galenus* præſcripſit & carnes etiam eupeptas avicularum, idque ſumma cum ratione, nam in febre non tantum ſpectamus naturam morbi calidam ſiccam, ſed etiam conſumptionem humoris primigenii à febrili calore factam, cui utrique ſuccurrere debemus, non tantum refrigerantibus remediis, ſed etiam alimentis & carnibus quarum pars maxima in probum ſanguinem faceſſit. unde ſicut juſcula refrigerantibus herbis alterata in inclinatione paroxyſmi conveniunt, ita in ipſa quiete carnes pullorum ſimileſque eupeptas dando nihil peccabimus, maximè ſi intervallum ſit longum, ut concoqui cibus poſſit ante novi paroxyſmi adventum, quale ſolet eſſe in exquiſitâ tertianâ, corpora enim calida ſicca, raræ texturæ quæque humores habent tenues, quia facile reſolvuntur, craſſiorem cibum poſtulant, unde ſi utraque die tenui victu alantur facile in maraſmum præcipites ruunt. Quod ſi carnes in intervallo conceduntur quidni piſces ut diximus?

IX. Olera & herbæ febribus conveniunt ad alterandum, frigidæ ut lactuca, endivia, ſpinachia in bilioſis, calidæ ut thymus, hyſſopus, majorana in pituitoſis, ſed ſolis non eſt utendum, nulla enim iis nutriendi vis adeſt, aut exigua, potius ſunt medicamentoſæ, ideo juſculis incoctæ præſcribuntur ut ſit in alimento medicamentum. Igitur non eſt ægris concedendum ut herbis & radicibus veſcantur, ſolent enim earum plurimæ in bilem porraceam verti in ventriculo, & *Galenus* cum ferme omnes herbas in ratione victus vituperaſſet, ſolam lactucam tanquam minus noxiam conceſſiſſe viſus eſt. Igitur ſumantur decoctæ cum aliis alimentis ad alterandum. Sed & acetaria à quibuſdam non improbantur, *Galenus* enim *primò ad Glaucon. cap. 9. & 10.* non ſolum lactucos, ſed & attriplicem, malvam, lapatium concedit, quod ſi acetum addatur, appetendi vim excitabit, putredini reſiſtet, tenaces humores diſſecabit, obſtructiones aperiet. Parum tamen olei addendum, quia in febribus facile inflammatur. Sed & ſal tum acetariis tum reliquis cibis additum in paucâ quantitate exſiccare non poteſt plurimum, quin potius ex *Galeno* putredini reſiſtit, appetitum excitat, cibi tædium aufert, craſſa colliquat attenuatque, & ſic olera minus nocent, parum nutriunt, humida frigida ſunt, appetitum excitant, & decocta in juſculis aut acetariis cum ſale & aceto præparata conferre poſſunt. *Fructus & olera.*

X. Fru-

x. Fructus quod attinet generaliter pronuntiat *Avicenna*, omnes nocere febricitantibus, cui tamen repugnant Græci omnes, qui fructus libentissimè præscribunt. *Galenus primò ad Glauconem*, in curâ tertianæ fructus concedit, qui sint faciles coctu. *Trallianus* persica cocta & non cocta præscribit, melonem, & melopeponem: insurgitque adversus Medicos quosdam Romanos, qui à peponibus abstinebant, quod bilem procrearent. *ex Galen. 2.* De alimentis, cum tamen, *inquit*, Galenus eo loco dicat pepones parere choleram morbum, si copiosius assumantur. Ipse autem horâ una ante paroxysmum pepones præscribit, tum ut superbibat æger aquam temperatam copiosam, inde enim vacuatâ bilè plurimâ per alvum aut sudores febris cessavit. Itaque addit, in calidâ intemperie omni, renum, jecoris, stomachi, capitis; in tertiana, in ardente, nihil præstantius pepone, aut melopepone, quem quoque præfert peponi, quod omnino sit innoxius. Hippocrates ipse libro de affectionibus, pag. 90. sect. 5. Sic de peponibus scribit. * *Cucumis pepo alvum & urinam movet, ac levis est, alter autem pepon refrigerationem quandam inducit & sitim sedat; ab horum neutro nutritio non nisi tenuis quædam procedit, sed neque malum aliquod effatu dignum ab horum neutro.* Tum præterea suavitas melonum, gratissimusque odor ipsos commendant. At nos hoc tempore ignoramus quid sint pepones, melopepones, cucumeres antiquorum, & propterea ut ad nostros accedamus, Melones nostri, qui plurimis sunt in deliciis ob saporis & odoris admirabilem suavitatem, sunt tamen insalubres, in stomacho fervido facile putrescunt, sunt enim humidissimi, ut patet quod ex parva radice in amplam molem crescant, ab omni aëris qualitate statim corrumpantur, terræque perpetuo inhæreant, unde ex eorum esu putres & serosi humores sensim coacervantur in venis, unde febres increscunt & prorogantur, aut si non adsunt, accersuntur, ut inter horæos fructus insaluberrimi censeantur. Ergo quod de suavitate & gratissimo odore quidam afferunt, nihil facit, ad melonum bonitatem commendandam, nam hoc intelligi debet in eodem genere cibi, non in diversis, nam plurima gratissima ingratioribus sunt perniciosiora. Cucumeres verò nostri, qui immaturi solent edi, etsi salubres dici non possint, minus tamen noxii censeri debent, tum quia habent quandam acerbitatem, tum quia aceto & sale emendantur, & in copiâ tot remediorum satius est iis abstinere, quam sese periculo objicere. Ad reliquos fructus ut accedamus. Varii illi sunt calidi, frigidi,

gidi, humidi, facile corruptibiles, horæi, acidi, dulces, recentes sicci. Calidi indicatione à febre desumptâ omninò nocent, tamen ratione causæ febrilis aut alicujus symptomatis concedi possunt, ut caricæ ad abstergendum, & si colicus dolor febri adjungatur. Frigidi autem conveniunt ratione febris, & prosunt hecticis & ephemeris; Putridis verò etsi refrigerando prodesse possunt, tamen ratione putredinis nocent, quia in stomacho immundo & fervido facile inflammantur & ebulliunt, quod maximè intelligendum de horæis, ut sunt fraga, mora, pruna, persica, cerasa. Est autem ὥρα æstas, & fructus qui eo tempore colliguntur ob humiditatem plurimam servari non possunt, sed cito corrumpuntur, nisi siccentur aut condiantur, & omnes ejusmodi fructus quos fugaces vocant Latini, pravi sunt succi, flatulenti, & dum corrumpuntur venenis similes evadunt. Sed fructus qui possunt servari, ut uvæ, amygdalæ, pruna damascena sicca, poma, possunt concedi. Item omnes acidi, ut Limones, arantia, granata, temperant enim calorem febrilem; sitim arcent, appetitum excitant, vaporum ascensum prohibent. Sed tamen nimia acidorum copia vitanda, quoniam si plus assumantur, aut nisi coctione temperentur, ut in illorum syrupis fieri solet, obstructiones maximas procreant, aliàs plurimum prosunt, refrigerando, incidendo, putredini resistendo. Horæi quoque quidam possunt concedi, quia decoctione corriguntur, & sacchari admistione, à quo tamen si in febribus biliosis abstineamus, aut saltem parcissimè utamus, melius erit, quia calefacit, & in bilem, ut dulcia solent, se convertit. Sic in tertianâ exquisita commendat *Avicenna*, granata dulcia, pruna, melonem indum, quia solvit, urinam provocat, calorem frangit, sudores aliqualiter movet. Recentes quoque fructus minus in quibusdam conveniunt, quam vetusti, solent enim quidam cum tempore rancescere, ut amygdalæ, strobyli, sic fiunt oleosi, ideo minùs febribus acutis competunt, quoniam oleosa pars facilè inflammatur & in bilem vertitur, & propterea in lacte amygdalino dicto, maximè curandum ne amygdalæ, rancidæ sint, nam quo recentiores eo meliores. Quidam illud lac coquunt, sed crudum melius est cocto, nam refrigerat magis, ob permistionem aquositatis plurimæ, quæ coctione consumitur, & ideo minùs alterat, crassiusque redditur, febrilique calori temperando minus idoneum. Contra quidam fructus vetusti magis competunt, ut passulæ, pruna, omnesque qui recentes nimia humiditate scatent, possuntque repositione in salubriorem naturam deduci.

Quantitas. XI. Potus autem febricitantium quod ſpectat, primo ſtatim occurrit aqua, tum quæ ex aqua conficiuntur. Aquam pro potu ordinario valde improbat Hippocrates, ſicut eam commendat pro medicamento, ſcilicet affatim ſumptam. In potu autem ordinario eam nocere ait, quod craſſa ſit, hypochondria non permeet, & in bilioſis facile bileſcat, putreſcit enim facile evicta à calore febrili, aliàs quia frigida humida febri omnino adverſatur, illique ideo convenit. In aſſuetis ergo aquæ potui non video cur dari non poſſit, ſed melior erit ſi aliorum admiſtione corrigatur, decoqui autem illa poteſt ut tenuior evadat, alii illam diſtillari volunt, dein admiſtione refrigerantium ſyruporum & aperientium temperari, alii panem infundi jubent, ut vim fermenti aliquantulum imbibat, alii cinnamomum, coriandrum, aniſum, hordeum, paſſulas, liquiritiam, ſaccharumque incoquunt pro variâ cauſæ febrilis ratione, ſed maximè celebris eſt aqua hordei quam nos ptiſanam male vocamus, cum vere ptiſana ipſam habeat hordei ſubſtantiam, ſitque cibus, aqua autem hordei potus, de quibus diximus ſuperius, debet autem hordeum optimè decoqui ut flatulentiam amittat, ſicque fiet potus acutis & fervidis febribus valde conveniens. *Hydromel.* In pituitoſis febribus hydromel valde commendatur ex aquâ & melle confectum, quo etiam ſanitatis tempore quidam ſeptentrionales populi utuntur, & vocant meteglin. Sunt autem variæ illius differentiæ, quatenus fit ex melle crudo vel cocto, eſt etiam ſimplex, compoſitum, meracius aut dilutius. Quod fit ex melle crudo flatulentum eſt, alvum citius dejicit, fervet enim & intumeſcit à calore ſtomachi & hypochondriorum, ut facere ſolet dum ad ignem ebullit, ex cocto autem melle confectum magis nutrit, coquitur autem ad mellis deſpumationem, dein colatur. Utrumque dilutius fit vel meracius pro varia aquæ & mellis quantitate. Nam meraciſſimum vinoſum dictũ, è quo ſpiritus ardens elici poteſt, habet mellis partem unam, duas aquæ, ſicut dilutiſſimi habet octo parteis aquæ, ſed tamen nimis exigua quantitas eſt aquæ ad mellis proportionem, cum mel ſit acris & calidioris naturæ, valdeque ſpirituoſum, ideo rectius certa aquæ quantitas præſcribi non debet, cum pro bonitate mellis variari poſſit, nam bonum mel celerrimè coquitur, paucam ſpumam emittit, & propterea minus aquæ abſumitur, contrâ ſi mel minus fuerit laudabile. Præterea hydromeliti addi poterunt herbæ & ſimplicia inſtituto accommodata, ut magis euadat medicamentoſum

in

in morbis frigidis & chronicis. Solet autem esse megalosplanchnois & biliosis adversissimum, ut docet *Hippocrates libro de rat. victus acutorum*. Sed & loco mellis saccharum addi poterit, quod minus calidum est, ideoque biliosis febribus minus noxium evadet, præsertim si acidus aliquis succus addatur. Sicut ad refrænandam mellis acrimoniam acetum addi solet melicrato, sicque fit oxymel dictum.

XII. Idem ferme mihi de cerevisia dicendum videtur, quantumvis enim imbecilla sit, tamen semper habet aliquam calefaciendi & inebriandi vim, etsi minor ea sit & imbecillior quam in fortiori, unde febricitantibus acutè & capite dolentibus non adeo convenit, quia inflammat, & sitim generat, si copiosè assumatur, ut febricitantes solent, qui valde sitiunt, & propterea quod de vino diximus illi commodè attribui potest. Nec obstat quod quidam mihi objiciebat cerevisiam esse meram aquam hordei, nec ex lupuli additione ullam vim contrahere febri adversam, cum lupulus quotidie ad depurandum sanguinem à Medicis præscribatur. Magnam enim esse differentiam inter aquam hordei & cerevisiam experientia docet, cum aqua hordei refrigeret, nunquam copiosè pota corpus accendat, nec caput tentet, nec sitim excitet, quod de cerevisiâ quantumvis imbecilli nemo sibi polliceri ausit. Differentia autem ex eo pendet, quod cerevisia ex hordeo non simplici, sed torrefacto conficiatur, lupulus siccus addatur, qui satis calet, dein fermentetur, unde calidam qualitatem contrahit, quæ non est in aquâ hordei, nec in ptisanâ, ideo non adeo commoda esse mihi videtur, ejus tamen usus magis quam vini tolerandus est, quod minus caleat, & diuretica sit. *Cerevisia*

XIII. Quantitatem potus quod spectat, plurimi verentur ne multum æger bibat, consuluntque ut quam minimum æger hauriat, at sic sitis non sedatur in æstuosissimis febribus, cujus tamen gratia potus assumitur quin & ipsa potus à febrili calore transmutatur & corrumpitur, inde noxium humorem auget, potius ergo quando bibit æger, tantum hauriat quantum ad sitim sedandam & compescendam sufficit, sic temperatur calor febrilis, & mitescit, siccitasque temperatur. *Quantitas potus.*

De reliquis rebus non-naturalibus satis multa diximus in generali nostrâ medendi methodo, quæ huc referri possunt, ideoque plura non addemus.

XIV. Explicata victus ratione quæ febribus debetur, ad reliquam

Curatio febrium.

curationem veniamus, quæ fit per causæ febrilis aut alterationem, aut evacuationem, alteratio emendat & sistit putredinem, remanente substantiâ, ex *Galeno* in arte parvâ. Evacuatio fit per phlebotomiam, purgationem per alvum, urinam, sudorem, & vomitum, quibus interdum causa febris continens & propria, interdum antecedens & communis, vacuatur, nam in synocho phlebotomia sanguinem febris hujus causam propriam educit ita ut unicâ venæsectione sæpe cesset, ut *Galenus de seipso refert*, se febrem unicâ sanguinis missione *jugulasse*, sic in tertianâ, cum movetur humor biliosus ad stomachum in paroxysmi principio vomitu educitur, aut si ad alvum feratur enemate. Similiter interdum rarefactis poris corporis, evacuantur humores putridi, qui sunt causa conjuncta febris, ita iidem etiam evacuari possunt per urinam. Interdum verò non conjuncta sed antecedens & communis expurgatur, ut quando venæ sectionem Medicus imperat in febribus, in quibus sanguis non dominatur, sed tantum alii sunt humores sanguini permisti, aut ne sanguis ipse convertatur in naturam humoris peccantis, & ut natura oneris parte levetur, quâ de causa etiam in tertianâ intermittente sanguinem mittimus. Idem dicere possumus de reliquis evacuationibus, quibus sæpissime non ipsa febris causa, sed alius humor febres augens fovensque expurgatur, ut in quartanâ vomitum præscribimus ad vacuandum humorem pituitosum è stomacho, qui etsi quartanam non faciat, ipsam tamen fovet & auget. Est autem materia hæc communis triplex secundum *Gentilem*, aut sunt viscositates quædam stomachi & intestinorum, ex quibus crassi vapores & putres suscitantur, aut serositates aquosæ venarum, quæ inflammantur à calore febrili, aut excrementorum à secundâ & tertiâ concoctione proventus.

Quæstio an in omnibus febribus vena sit secunda.

xv. Primum itaque quod spectat *an conveniat venæ sectio*. Chrisippus Cnidius, Erasistratus, & Aristogenes Medicus referente Galeno in nullo morbo venam secabant. Alii contra tam audaces erant ut nullo demum in morbo ab ea abstinerent, quos *Galenus* summâ cum ratione rejicit, est enim venæ sectio tempestivè & cum ratione administrata multorum affectuum præsens remedium, eadem in multis aliis morbis summè nociva. Quæstio tamen maxima est apud Medicos, sitne sanguis mittendus in omnibus febribus putridis. Dubium oritur ex *Galeno* qui vult optimum esse sanguinem mittere in febribus non continuis

tinuis modo, sed & in omnibus quas putrescens humor parit, modo vires & ætas consentiant; sed premitur ista sententia maximis dubitationibus. *Primò* sive indicatio petatur à plethora, multæ dantur putridæ in quibus nulla est plenitudo, sive petatur à morbi magnitudine, multæ putridæ non sunt magnæ, non igitur in omnibus vena est secanda. *Secundò* idem Galenus nec tertianæ, nec quotidianæ phlebotomiam idoneam censet, nec quartanæ, nisi cum sanguis exit niger & fœculentus, si vero flavus tenuisque emanat, supprimendum jubet. *Tertiò* si febris ex frigido humore fiat cui bono vena secabitur. Quarto febrium intermittentium materia est mera cacochymia, eaque extra vasa consistens, unde vacuari venæ sectione commodè non potest, nec febri competit quatenus febris, sic enim omni conveniret, nec quatenus putrida, nam nec putredo nec obstructio venæ sectione proprie curantur, ex xj. method. Qui in Galeni verba jurarunt, multa excogitarunt, quibus sese ab istis difficultatibus expediunt. *Mercurialis* dupliciter respondet. Primò in omni putridâ vult adesse & plenitudinem & magnitudinem. Plenitudinem quidem, quia sanguis ad partem affectam in qua fomes est, confluit, unde si universalis ea non est plenitudo, est tamen particularis quæ sufficit ad indicandam sanguinis missionem: Magnitudinem verò si non præsentem saltem futuram, periculum enim est ne febris putrida neglecta evadat acuta & magna. Secundò advertit Galenum non dixisse necessariam esse phlebotomiam, sed tantum optimam, cum revera multæ febres sine hoc auxilio curari possint, etsi multo citius curentur si adhibeatur, quam si negligatur. Sed error hic est multiplex, etsi enim plenitudinem illam particularem, morbique magnitudinem aliquam concedere possumus, scimus tamen in multis febribus non utilem, sed noxiam esse phlebotomiam, ut in pituitosis & quartanis, si sanguis floridus exit & flavus; deinde nec verum est, putridam omnem esse magnam, cum tertiana ex *Galeno* mitissima sit & tutissima. Quod autem fieri possit, ut febris putrida fiat magna, id omnibus morbis convenit, si male curentur, qui tamen venæ sectionem non postulant, estque accidentarium, cum per se licet & morbi & causæ naturæ non conveniat his morbis magnos fieri, sed per accidens, ob errores causarum externarum, aeris, Medicorum, &c. Ars autem ea tantum considerat quæ per se adveniunt. Nec obstat

Prima ratio. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* * *Refutatio* *

quod alii dicunt refrigerandum esse in omnibus febribus, venæque sectionem omnium commodissimè refrigerare, nam si hoc verum est, cur idem non fit in diaria & hectica: deinde refrigeratio sequitur venæ sectionem per accidens tantum, at indicationes petuntur à naturâ rei, quod autem per accidens sequitur, à nullo propriè potest indicari. Quin etiam ejusmodi refrigeratio catharsi perfici potest, non minus quam phlebotomiâ. Deinde venæ sectio causæ debetur, at causa febris sæpe calefacientia postulat. Argenterius plane negandum censet omnibus putridis hujusmodi remedium convenire, cum rei naturæ reclamet, Galenumque ait temere & inconsiderate hæc & multa alia scripsisse. Dicere autem possumus Galenum intelligendum esse, non de omnibus febribus quæ in singulis individuis contingere possunt, sed de omnibus generibus putridarum, nam verbi gratia etsi quotidiana in Sempronio venæ sectionem non postulet, in Titio tamen ob alias causas eam admittet, sic de quartana sentiendum est, ut nullum sit genus febrium cui venæ sectio adversetur. Unde lib. ad Glaucon. in febribus continuis sanguinem mitti vult, si rubor tumorque major sit quam pro consuetudine, modo vires & ætas consentiant. Aliàs non video quomodo servari Galeni sententia queat, dicit Mart. Henr. quæst. xj. sanguinem mitti debere in omnibus, non ratione plenitudins, nec quia humores sanguini permisti sunt, sed quia obstructio illis remediis tolli debet, quibus ante venæ sectionem uti non est tutum, quia 8. Meth. t. 4. si obstructiones tollere ante venæ sectionem tentes, eas magis impinges.

Argenterii sententia.

Responsio propria.

XVI. Quantitas autem vix certo definiri potest, sed Medici judicio relinquitur, antiqui enim ad libras plures extrahebant, & ad animi defectum, nam *Galenus* interdum ad libras sex detrahebat, Refert *Avic.* septendecim sanguinis libras effundi posse unâ die absque interitu animalis. Spectandum autem solusve sanguis peccet, exuperetque quamplurimum, an cum eo reliqui humores: si solus peccet, copiosè detrahendus, solent enim vires esse robustæ; Monet tamen *Celsus* satius esse iterare venæsectionem bis terve, quam semel affatim detrahere, totiesque iterare jubet *Argenterius* donec urinæ crassities & rubedo abeant, dum enim crassa rubraque permanet urina indicat plus esse sanguinis quam natura vincere possit. Si reliqui humores peccent, distentque plurimum à natura sanguinis, sintque à sanguine secreti, tunc aut nullo modo aut parce detrahendus sanguis. Quod si sangui-

guini permisti fuerint in venis, vel sanguis cacochymiam foveat, tunc mitti copiosius debet habita semper ratione virium, non tantum præsentium sed etiam futurarum. Sic *Galenus* 8. Methodi in obstructionibus facientibus aut facturis febrem, sanguinem mittendum jubet etiam sine plenitudine.

XVII. Tempus quod spectat statim mittendus est sanguis, nisi vires prohibeant, ex *Galeno* & *Avicenna*. Ipse *Celsus* ultra quartam non vult esse mittendum, *Hippocrates* tamen Anaxioni pleuritico post diem octavam sanguinem, misit, quia prius non fuerat accersitus. Docet enim *Galenus* mitti posse sanguinem quoties principes adsunt scopi phlebotomiæ, etiamsi is vigesimus à principio dies foret. Ubi quatuor notanda sunt. *Primò* ut Stomachi intestinorumque impuritas vel blando cathartico, vel clystere prius educatur, ne crudi humores rapiantur in venas, obstructionesque faciant, humoresque sinceros labefactent. *Secundò* ne in inedia unquam, aut saltem parce detrahatur, adjectio enim tunc potius convenit, quam detractio. *Tertiò* ut eligatur hora diei frigidior quantum fieri potest. *Quartò* ut nunquam in ipso paroxysmo sanguis mittatur, nisi periculum adsit suffocationis, ut pluribus explicatum videre licet in nostra generali medendi methodo. *Tempus missionis.*

XVIII. Sequuntur medicamenta, quæ in quatuor, dividere possumus, lenientia, præparantia, purgantia, & roborantia: Lenientia ventrem tantum subducunt, eorumque virtus ultra primam regionem vix se extendit, suntque diversi generis, vel enim occulta tantum proprietate id faciunt, ut aloë, cassia, manna; vel tantum exiguâ quantitate, ut rhabarbarum, etsi valide satis purget, tamen ad ℥ß. exhibitum, redditur eccoprotticum tantùm medicamentum. Aut id manifestâ faciunt qualitate, vel detergendo, ut mel rosatum, vel abluendo, ut serum, aquæ thermales, vel molliendo, ut malua, vel comprimendo, ut myrobalani, tamarindi, sebesten, hæc medicamenta cruditates ventriculo contentas tantum subducunt, & quæ sunt in intestinis & primis viis, proptereaque utilis est illorum usus ante venæ sectionem, tum quia in febribus utimur attenuantibus, incidentibus, aperientibus, quæ aliàs crudos humores, quos in prima regione invenerint, rapient ad venas & secundam regionem, obstructionesque ingeminabunt, ideoque febris principio lenientibus uti commodissimum est. Quidam, quibus omnis purgatio ante coctionem suspecta est, solis clysteribus contenti *Medicamenta. Lenientia.*

ſunt, & quidem ſi prima regio ab excrementis, crudiſque ſuccis libera ſit, nec enematibus, nec lenientibus opus erit. Id autem cognoſcetur tum ex præcedente inediâ, tum alvo fluidâ. Quod ſi impuritas in craſſioribusfuerit inteſtinis, clyſteres ſufficere poſſunt, ſi vero ventriculum & ſuperiora occupaverit, lenientibus aſſumptis erit opus, eo enim clyſteres non perveniunt. Cognoſcitur autem eſſe in ventriculo, ſi præceſſerit lauta & opipara vivendi ratio, ſi appetitus langueat, gravitaſque in ventriculo perſentiatur, ſi adfuerit ſitis, oris amaror, dolorque ſit ſupra umbilicum, maximeque ſi alvus fuerit adſtricta tunc lenientia maximè ſunt ex uſu, quæ exhiberi poſſunt clyſteribus, bolo, potionibus & pilulis. *Avicennus* ipſe laudat vomitum.

Præparantia & coquentia

XIX. Poſt lenientia præparantia ſunt, hæc autem vel aperiunt, vel attenuant, vel incidunt, vel detergent, ſuntque plerumque calida & tenuium partium, ſed in febribus minus calidis utendum eſt *oxymelite*, *melle roſato*, *ſyrupo de betonica*, *de cichorio*, *de oxalide*. Simplicia ſunt, adjanthum, hyſſopus, pentaphillon, ſcolopendrium, cuſcuta, radix graminis, cichorii, petroſelini, apii. Plurimi coctionem confundunt cum præparatione, coctionem enim definiunt humorum præparationem ad expulſionem, quos non ſine ratione refellit *Argenterius*, quoniam confundunt duos aphoriſmos ſimul, nonum ſcilicet libri ſecundi *Corpora cum quis purgare voluerit fluida faciat oportet*, & 22. libri primi *Concocta medicari non cruda*, cum in illo de præparatione, in hoc de concoctione, tanquam de rebus diverſis agat; *Secundò* cum purgatio fiat trahente medicamento, attrahantur autem facilius quæ tenuia ſunt, coctioque omnis incraſſet, tantum abeſt ut coctione idonea fiant ad purgationem, quin potius magis repugnantia fiant. *Tertiò* cum coctio aſſimilet quantum poteſt, quò ſimiliores fiunt humores, tanto retinebuntur avidius, minuſque facile purgabuntur, natura enim coquendo non intendit purgationem, ſed potius contrarium, ſcilicet aſſimilationem, alius enim finis eſt alteratricis, alius expultricis, illa ſimilibus gaudet, hæc vero contrariis irritatur. *Quartò* morbi ſunt nonnulli qui per ſolam coctionem finiuntur, ſine ullâ evacuatione. *Quintò* ſi concoctio eſt præparatio, humores tenues non concoquuntur, ſunt enim paratiſſimi ad expulſionem. Rationes hæ *Argenterii* ſunt ſpecioſæ & aliquatenus veræ, niſi quod non obſervarit coctionem de quâ hic agimus eſſe præparationem ad evacuationem, humores enim crudi inepti ſunt ad purgationem, ideo eos purgare vetat *Hippocrates*,

An coctio ſit præparatio. Rationes [Argen]*terii.* *

res, sed non omnem præparationem esse coctionem, convenit enim præparatio etiam corpori, non tantum humoribus, ut præparatio latius pateat coctione. Itaque primum de præparatione agimus, deinde de coctione.

XX. Præparationem vult esse *Galenus*, quando viæ reserantur, humores crassi & glutinosi attenuantur, inciduntur, detergentur. Estque præparatio semper necessaria ante catharsin, præterquam in duobus casibus, Primus est si materia turget, secundus, si tenuis est qualis est biliosa & serosa, quæ facillime cedit cuilibet trahenti remedio, aliàs si sine præparatione humores purgentur multa contingunt symptomata, ventris tormina, vertigines, fastidia, anxietates, aliaque à Galeno recensita *comment. ad aphorism. 9. lib. 2*. Contingitque ex importuna illa vacuatione plus boni interdum quam mali evacuari, humorque noxius non ita facile potest deinceps coctionem subire, imò sæpissime malignior redditur & ferocior: jam vero tempus præparandi in morbis est quando prima regio fuerit à suis excrementis liberata, alias periculum est ne præparantium usu in venas impuritas illa rapiatur, ideo tum lenientibus pharmacis, tum clysteribus, tum sanguinis missione opus est ante usum præparantium, hæcque ratio est cur etiam vacuo stomacho sumi debeant, quo facilius penetrent, nec cibum incoctum deducant in venas. *Præparatio.*

XXI. Hic revocatur in dubium an tenues humores sint præparandi, id est incrassandi, humores enim vacuari non possunt nisi sint concocti, sed coctio in crassat ut docet *Aristot. 4. meteorum*. Coctio, inquit Avicennas, est adæquatio quædam & reductio ad mediocritatem, si igitur tenues sunt concoquendi, reducendi erunt ad mediocritatem, igitur incrassandi. Præterea humores tenues facile eludunt vim medicamenti, quod cum operetur vasa comprimendo, humores tenues facile elabuntur. Sed contrà tenuitas humorum requiritur ad vacuationem, sponte enim tenues humores exeunt, nec resistunt trahentibus pharmacis, ut docet *Galenus 3. prognost. 23*. & aliis in locis. Dicendum est ad purgationem idoneam tria requiri, medicamentum efficax, quod debitâ mensurâ, debito tempore & modo exhibeatur, secundo debent viæ esse apertæ, aliàs aut nulla aut molesta evadit purgatio. Tertiò humor debet esse dispositus, talis est si nullam faciat pharmaco resistentiam, ut si viscidus non sit, crassus, glutinosus, aut sanguini aliisve humoribus immistus, à quibus motus ejus impediatur. Itaque humores *Quæstio an tenues humores sint præparandi. Vide nostram generalem medendi methodum capite de præparantibus.*

mores tenues naturâ suâ facillime expurgantur, sed vel sanguini, vel aliis humoribus immisti sunt, vel viæ possunt esse clausæ & obstructæ. Itaque sunt aperiendæ, dein humores vacuandi à reliquis sunt separandi. Coctio duplex est unâ in quâ humores reducuntur ad benignum ut nutriant, altera in quâ redduntur apti ad expulsionem. Si de prima loquamur humores tenues concoquere oportet ut redeant ad mediocritatem, ideo incrassandi. Si de secundâ, crassi humores potius sunt attenuandi, quia resistunt motori, non autem tenues quia facile mobiles, ut docet *Galenus* loco citato. Sed si tenues humores fuerint sanguini permisti, prius præparari debent. Cognoscetur id primum misso sanguine, si multi ichores fuerint separati, secundò quando sunt secreti fiunt pruritus, ulcuscula, scabies, tertio si urina rubra sit & crassa, signum est humores tenues esse sanguini permistos, si verò sit copiosa tenuis & clara, signum est esse secretos & separatos.

Coctio.

XXII. Coctionem autem quod attinet Rectè docuit *Manardus* non posse unam definitionem omni concoctioni convenire, cum coquantur alimenta, humores putridi & alii, unde *Galenus* generalem coctionis definitionem non attulit, sed modo humorum putridorum, modo alimenti coctionem definit, hæc est conversio alimenti in substantiam nutriti, illa est alteratio quæ putredinem emendat manente substantiâ, sic pus coctum dicimus. Differt itaque utraque coctio variis modis, *Primò* ratione materiæ subjectæ, nam in priori coquuntur humores boni, in posteriori vero humores morbifici, qui naturæ gratiam amiserunt, *secundò* ratione finis, nam in priori humores coquuntur ut convertantur in naturam & substantiam partium nutriendarum, in posteriori vero humores morbifici à naturâ præparantur ut possint expelli. *Tertiò* differunt in formali ratione, nam in hâc posteriori coctione est tantum mera alteratio qualitatum in humore morbifico, in priori vero non alteratio est, sed etiam mutatio substantialis ut in chylosi, hæmatosi & assimilatione. *Quartò* differunt ratione efficientis, etsi enim à calore naturali utraque fieri potest, posterior tamen quæ est humoris morbifici etiam ab extraneo calore fit, teste *Galeno* in fine *primi prognost.* Unde patet nihil habere has coctiones præter nomen commune, nec posse utrisque definitionem unam assignari. Sed adversus hæc insurgit Argenterius. *Primò* quod si ex varietate materiæ naturæ actiones definiamus jam multiplicabuntur facul-

** Quomodo hæ coctiones differant.*

** Argenterii rationes & earum solutiones.*

cultates concoctrices & retentrices & expultrices. Respondeo concoctricem non multiplicari, sed eam aliter operari in materiâ alibili, aliter vero in excrementitiâ, quoniam etsi modus operandi forsan sit idem, humores tamen varii non possunt eodem modo immutari. *Secundò* ait, cum causa efficiens coctionis sit una & eadem idem semper & ob eundem finem facit, etsi ob materiæ varietatem finem non semper assequatur. Una est materia coctionis scilicet humor, una causa efficiens facultas concoctrix, unum instrumentum calor nativus, quare omnium una debet esse natura, unaque definitio. Diximus superius materiam utriusque coctionis non esse unam & eandem, humor etenim putridus ab alimentario & utili differt quamplurimum, si non in substantiâ (quatenus idem numero humor qui hodie bonus est & alimentarius cras fieri potest putris & naturæ adversus) saltem in qualitatibus suis & operationibus. Efficiens vero etsi sit unus & idem, est tamen causa universalis, quæ agit secundum dispositionem patientis, sic idem calor solis indurat lutum, emollit ceram, idem calor nativus alimenta convertit in naturam corporis nostri, & excrementa expellit & ab utilibus separat, sic in eodem hepate ab uno eodemque calore, non tantùm sanguis sed etiam excrementitii humores generantur, & propterea causa universalis etsi semper eodem modo operetur, non tamen semper agit idem, nec ob eundem finem, inservit enim calor nativus variis animæ operationibus, quarum diversi sunt fines. Vel possumus dicere coctionem communi quadam definitione fuisse ab *Aristotele* comprehensam, sub quâ tanquam sub proprio genere, tum alimentorum, tum noxiorum humorum, concoctio contineatur.

XXIII. Definit autem *Aristoteles* coctionem in genere, perfectionem quæ à naturali proprioque calore ex oppositis fit passivis, quam definitionem explicavimus in Physiologicis nostris disputationibus & ab omnibus difficultatibus vindicavimus, ubi docuimus definitionem hanc convenire quidem omni coctioni, sed analogicè, &, ut dicunt Philosophi, ab uno. Sed insurgit *Argenterius* definitionem hanc aut non convenire omni coctioni, aut falsam esse, non docet enim *Aristoteles* num perfectio sit alteratio aut generatio, cum quædam coctio sit alteratio tantùm, ut maturatio, assatio, elixatio, quædam generatio, ut chylosis, hæmatosis. Respondere possumus primo perfectionem neutrum esse sed utrisque communem, nam & quod generatur & quod alte-

Coctio Aristotelis.

Refutatio Argenterii.

alteratur interdum perficitur. *Secundò* dico quod concoquitur alterari tantum, quod si hæmatosis & chylosis sint generationes substantiales, id fit quia post alterationem à calore nativo factam, introducatur forma in materiam dispositam, aliàs calor nativus qui qualitas est alterare tantum potest, non generare, sic in productione puris, generatio conspicitur non minus quam in chylosi, & hæmatosi. Idem *Argenterius* coctionem definit alterationem ad assimilationem, quæ fit à re concoquente caloris beneficio, quæ descriptio non repugnat superioribus quas ex aliis retulimus, sed non facit ut coctio sit genus univocum ad omnes illius species. Natura inquit quando concoquit, semper id facit ut assimilet, ut voluit *Galenus 8. τῶν. τόπ. capite de hepate*, quamvis non semper id assequatur, sive ob facultatis concoquentis debilitatem, sive ob materiæ repugnantiam. Quæ tamen propositio non est universaliter vera, nam quod natura non intendit in bonis humoribus, multo minus præstabit in malis, sed non semper intendit assimilationem in bonis humoribus, nam bilis & melancholia quæ sunt secundum naturam in venis cum reliquo sanguine, nutritioni non destinantur, sed aliis usibus, quos ubi expleverunt expurgantur & amandantur per urinas aliasque vias naturæ consuetas, nec vestigium apparet ullius alterationis quæ possit esse rudimentum coctionis, nam quales in primâ generatione sunt, tales excernuntur. Quod si humores naturales non coquuntur ad assimilationem, multò minùs quando putredine præternaturales evaserunt; quamvis ut verum dicam quæstio hæc problematica censeri potest.

Definitio Argenterii.

** Refutatio Argenterii.*

Materia coctionis.

XXIV. Nunc videamus quid concoqui possit. Quidam ex prædictâ definitione putant id tantum concoqui quod nutrire potest, ideo nec flavam bilem, nec atram, nec serosos humores esse concoquendos, cum eam perfectionem non possint assequi, ideo *Galenus* in herpete bilem nunquam concoxisse visus est: Sed falso nituntur fundamento, finem scilicet coctionis esse nutritionem, nam natura quæ per calorem coquit, conatur sibi similem reddere materiam, quod ubi perfecit, quiescit, quando scilicet evicit qualitates repugnantes easque sibi similes fecit, tunc sequitur nutritio, si substantia sit alibilis, aut solum victoria adest qualitatum, si substantia est inutilis: Sic *Galenus* bilem acriorem jubet concoqui, & de constit. artis, scribit melancholiam difficile, bilem facilius coctionem admittere, sic lacrymas, sic catharros dicimus concoqui, nam natura in omnem materiam

quæ

quæ diſſimilis eſt agit, ita ut quilibet humor coctioni ſubjiciatur, modo crudus ſit & naturæ adverſus, talis autem eſt omnis humor putridus.

XXV. Cauſa efficiens eſt calor non ſolum temperatus & halituoſus, ſed etiam à medio recedens, ſic febrilis calor branchos & coryzas concoquere dicitur, ſic à ſole ferventiſſimo etiam fructus matureſcunt, ſic biliosi carnes bubulas melius conficiunt, quam pituitoſi aut temperati. Nec tamen reprehendendus *Ariſtoteles* quod coctionem fieri voluerit à moderato calore, nam calor fortis & validus reſpectu materiæ aut frigidioris, aut craſſæ, aut copioſæ vim habet temperati, ſicut imbecilliori materiæ concoquendæ quilibet calor ſufficit, ubi verò immodicè naturæ gradum exceſſit, ut in febribus ardentibus, putredo fit potius quam coctio. Sed non tantùm calor ſpectandus eſt, verum etiam Idioſyncraſia peculiariſque partis temperies, qua Strutiocamelus ferrum coquit vehementiori igne indomitum, ſic Ventriculus chylum, hepar gignit ſanguinem, in cæteris partibus etſi calor adſit hæc tamen non fiunt. Quæritur hic an ſyrupi juvent humorum coctionem. Negant *Manardus*, *Valleriola*, *Fuchſius*, quia coctio fit à calore temperato & nativo, pauci autem aut nulli tales ſunt ſyrupi, cum omnes vel refrigerent, vel calefaciant, extenuent, detergeant; At *Galenus* primo ad Glauconem, ad concoquendos humores pituitoſos præſcribit piper, & alibi origanum, ſerpillum, thymum, *Octavo methodi* laudat aquæ potum ad coctionem bilis. Cum enim non ſit una natura eorum quæ coquuntur, propterea varia quoque erit concoquentium, cum alia fortem, alia debilem calorem requirant, aut ſi organum ſit labefactatum ut coquere non poſſit, contrariis illi erit ſuccurrendum, ideo vinum in pituitoſis febribus, aqua in ardentibus coctionem promovet. Propriè autem loquendo ſolus calor innatus concoquit, quæ autem coctionem juvant varia ſunt, nam vel caloris ſubſtantiam augent, vel generant, ut vinum ex quo plurimus ſpirituoſus ſanguis gignitur, vel exhauſtum illius prohibent, vel ipſius qualitates excedentes temperant, vel imbecilliorem excitant, ut exercitium, vinum & cætera. Syrupi igitur propriè non concoquunt, ſed tantum coctioni opitulantur.

Efficiens coctionis.

Quæſtio an ſyrupi juvent coctionem.

XXVI. Species coctionis tres ſunt apud *Ariſtotelem*, maturatio, elixatio & aſſatio; Tres hæ concoctiones in nobis reperiuntur, elixatio in generatione humorum in ventriculo & hepate, maturatio in tubercu-

Species coctionis.

lorum & humorum noxiorum coctione, assatione in generatione ossium, humoris gypsei, & aliorum induratorum, ac etiam atræ bilis, quamvis Galenus omnem coctionem, quæ in nobis fit, voluerit esse elixationem, tamen verius cum *Aristotele*, quasdam dicemus esse maturationes, nam quæ maturantur coquuntur à calore proprio, fiuntque crassiora, sed quæ elixantur coquuntur etiam à calore igneo, nec necessario fiunt crassiora, sed quædam tenuiora, alia graviora, alia minora.

Digressio an quæ coquuntur fiant crassiora.

XXVII. Solet hoc in loco à multis interpretibus quæri, an cocta fiant crassiora etsi disputatio hæc alterius loci esse videatur. *Aristoteles 4. meteor.* generaliter pronuntiat cocta esse & calidiora, & dulciora, & crassiora, quam sententiam postea ad maturationem, solam reduxit, ideoque rerum crudarum succi tenuiores & frigidores sunt quam coctarum. *Galenus 4. acut. 4.* ait dejectiones liquidas ab *Hippocrate* dici non concoctas, coctio enim cogit & incrassat, sic mel & alii succi cum concoquuntur crassescunt, & ratio id suadet, est enim coctio perfectio rei à calido innato, cum enim fiat ex actione caloris innati resolutis partibus tenuioribus, patet res quæ concoquuntur, fieri crassiores, sic pus ulcerum, sordes oculorum, lacrymæ, cæteraque coctione crassiora redduntur. Contraria tamen sententia ratione & experientiæ consentanea videtur, multa enim concocta tenuiora sunt iis ex quibus generantur, in corpore fit chylus ex pane, ex chylo sanguis, ex sanguine spiritus tenuissimi generantur, fructus omnes in fine coctionis, evadunt tenuiores & molliores, quam antea fuerint. Urina quoque crassa dicitur cruda, quæ coquendo attenuatur. Quæ elixantur ut carnes, pisces, olera, primò sunt ficciora, & solidiora mox attenuantur, & humectantur. Arist. inquit aquam non maturari, quia non incrassatur, sed tantum elixari, quasi elixatio non incrasset. Præterea calor dum agit in humidum semper attenuat, sic aquam vertit in aerem, aerem in ignem, frigidi contra est condensare & incrassare.

Dubium.

Solutiones variæ. Prima.

Variæ sunt hac in re solutiones. Vulgaris solutio est duplicem esse coctionem unam alimentorum, quam vocant in juvativo, alteram excrementorum, quam vocant in nocitivo. Priorem fieri semper incrassando, quandoquidem membra quæ nutriuntur crassiora sunt ipso alimento. Posteriorem vero quandoque incrassare, quandoque attenuare, ut excrementorum natura postulat. Sed non solvuntur hæc dubia ista responsione. *Primò* quia Aristoteles generaliter affirmat omnia cocta

Eversio.

cocta esse crassiora, *secundo* coctio alimentorum etiam attenuat, nam chylus tenuior est carnibus & pane ex quo primum genitus est. *Tertio* Galenus *primo aphor. 12. & 2. prognost. 37.* docet coctionem reddere crassiorem urinam, ejectiones, sputa. *Quarto* hæc responsio non docet quid coctioni per se competat, sed tantum quid ex accidenti, imò tam facile fuisset absolutè propositionem hanc negare, quæ tot urgeatur difficultatibus. Ideo alii dixerunt Arist. esse tantùm intelligendum de ultima coctione scilicet alimenti conversione in substantiam corporis. Alii respondent eorum quæ concoquuntur quædam mutari in membra dura ut ossa, quædam in substantias tenues ut spiritus, ideo quædam attenuari. Crassescere ea in quibus humidum aqueum & aëreum perficitur exquisitâ mistione cum sicco terreo, ut in amygdalis, nucibus, aut in quibus coctione humidum aqueum separatur, ut cum sanguis convertitur in carnem & ossa. Attenuari vero ea in quibus siccum terreum perficitur admistione humidi aquei & aerei, ut in pyris, pomis, ficubus aliisque fructibus, qui primum crassi & terrei, postea humidiores fiunt & molliores. Quæ etsi invera sint, non tollunt tamen difficultates propositas, quoniam *Aristoteles* universaliter pronuntiat omnia coctione crassescere, ob actionem caloris innati, quasi sit universalis & necessaria propositio, illam autem reddunt tantùm parte veram. Deinde non docent attenuetne coctio an incrasset per se an per accidens. *Solutio secunda. Tertia. Eversio.*

Respondet itaque *Argenterius* coctionem per se semper incrassare, quod si quædam coctione tenuiora facta videntur id fieri per accidens, quatenus aut fit ab iis quædam separatio, aut alicujus humoris permistio, sic in fructibus humor quem è terra alliciunt, exquisitius permiscetur cum sicco, ideo maturi fructus tenuiores videntur. Alia tenuiora fiunt per separationem, sic mustum principio crassius, ebullitione, quæ est ipsius coctio, separatis fæcibus fit tenuius, non ratione concoctionis, sed separationis, vinum autem quando est defæcatum, tanto crassius evadit, quanto sit vetustius, sed si materiam coquas quæ nec concreta sit, nec humore egeat, semper ea fit crassior. Interdum quoque attenuatio & humectatio fit ab attenuantibus, & humectantibus, humores fundentibus, aut separantibus partes crassas, quæ interdum ab ipso calore fiunt, interdum à causis externis & medicamentis; sic docet *Galenus 4. de Sanit. Tuenda* vinum facere ad coctionem; Separatis igitur operibus quæ non fiunt à coctione, eo quod *Responsio Argenterii verior.*

non respiciant cruditatem; semper coctio incrassabit. *Massaria* quoque rectè respondet sententiam *Aristotelis* intelligendam esse de parte illâ materiæ quæ est concoquenda, cum enim alimentum variis constet partibus, quæ non sunt omnes æquè ad nutritionem necessariæ, sed facessunt in excrementa, pars illa quæ nutrire apta est, coctione semper crassescit, sic sanguis crassior est parte illa chyli ex quo generatur. Sic se habet in excrementis, nam urina cocta etsi videatur interdum tenuior crudâ, reverâ tamen crassior est, nam substantiæ liquoris qui concoquitur, sola apta est ad coctionem, non autem excrementa quæ in ea separantur & subsident, hæc autem substantia liquoris crassior semper evadit. Cum enim caloris opus sit heterogenea separare, videtur ex hac separatione aliquid fieri tenuius, cum tamen coctio potius attendenda sit ratione homogeneorum, cum unum & idem coctum, crassius sit quam crudum. Reverâ tamen magna est utrinque difficultas. Respondere etiam possumus suppositis quibusdam fundamentis. *Primò* distinguendam esse humectationem, depurationem, attenuationem, contemperationem à coctione, si siccum, si humectetur ut in tabe, ea humectatio non est coctio, sed contemperatio, pariter in vino dum fæx subsidet, coctio non est, sed expurgatio. *Secundo* distinguenda est coctio ab humorum præparatione, ut superius diximus. *Tertio* comparandum est humidum quod superest in re cocta, cum seipso crudo. *Quarto*, non est comparanda res una cum altera ex qua genita sit, aliud enim est loqui de generatione unius ab altero, & de coctione quæ est alteratio & perfectio. His suppositis facile est concludere omnem coctionem incrassare, & ad instantias prædictas respondere, in spiritibus, bile flavâ & similibus non habet locum vera coctio, sed depuratio, attenuatio, exsiccatio, & generatio, & in universum omnis humor alimentorum crassior est post, quam ante coctionem: fructus maturi etsi tenuiores videantur & molliores immaturis, humor tamen illorum redditur crassior coctione, ut patet in uvis maturis & immaturis. In elixatione fit varia separatio, coagulata liquescunt, solida solvuntur, viscida inciduntur, varia excrementa per spumã secernuntur, superstes tamen rei elixatæ humor crassior redditur quam erat ante coctionem, & sic patet solutio ad reliquas omnes instantias quæ adversus prædictam sententiam afferri possunt.

Massaria responsio vera.

Tertia responsio vera.

Purgatio.

XXVIII. Succedunt purgantia de quibus dubium est an in principio conveniunt, nam *Hippocrates* scribit concocta medicari, coctio tantum

fit

fit in statu cui succedit declinatio, in quâ tantum videtur purgandum, etsi enim morbus solutus esse videatur, reliquiæ tamen permanent quæ solent facere recidivas. Cocta autem sunt purganda quia materia sequax est, nec resistit medicamento purganti, dein naturæ motus sequendus, quæ primum coquit, separat, dein purgat. Ex his quidam negarunt esse unquam in principio purgandum. Quidam purgationem distingunt in eradicativam & minorativam, quæ partem tantùm materiæ morbificæ demit, dicuntque minorativam in principio convenire posse, eradicativam autem tantum perfectâ coctione, & absolutâ. Sed in harum vacuationum explicatione non satis consentiunt. Nam quidam omnino minorativam istam purgationem derident, aut si detur negant tamen eam ante coctionem convenire. Alii definiunt minorativam quæ partem materiæ morbificæ subtrahit, eradicativam vero quæ universum humorem; At si ita est, raro ea purgatione utemur, etsi enim interdum quando humor paucus est, unica dato catharctico totus vacuari potest, tamen id rarò contingit, cum sæpius cogamur catharsin iterare, nec satis tutum sit talem purgationem aggredi, quæ præterquam quod non semper succedit, corpus præterea in multa pericula conjicit & præcipitat. Sed quid dicent de Epicrasi, quæ paulatim tantum humores concoquit & expurgat. Præterea purgatio instituitur in morbis ad eorum curationem, unde purgare tantum in declinatione, curato scilicet morbo, aut inutile est, aut saltem id non fit ad curationem, sed tantum ad præcavendam recidivam, quæ à priori morbo distincta est. Demum per blanda & minorantia pharmaca, sed sæpius repetita universum humorem morbificum sæpe expurgamus, ut Apozematis nostris in quatuor vel quinque pluresve doses institutis, & violentis pharmacis aut semel tantum, aut minore dosi exhibitis partem tantum educimus, unde confundi possunt istæ duæ vacuationes, si *minorando*, ut loquuntur, eradicamus, totumque humorem vacuamus. Aliter igitur istas purgandi rationes explicandas censeo, ut *eradicativa* illa sit quæ humorem morbificum totum educere & expurgare apta est, sive id unica dosi sive pluribus exhibita præstat, ut rhabarbarum universam bilem quæ tertianam committit purgare aptum est, si sæpius, debitaque quantitate exhibeatur, *minorativa* vero illa sit quæ non ipsum humorem morbificum, sed quoslibet humores in primis viis latitantes educit, ita ut hujusmodi medicamentum natura suâ nunquam morbum ipsum curet,

An humor in principio purgandus ante coctionem

Purgatio eradicativa, & minorativa.

* *Refutatio*

* *Nova explicatio utriusque istius evacuationis.*

ret, cum naturâ suâ nullam morbi partem demat, subtrahatve. Dixi *naturâ suâ*, quia etsi *minorativum* (quod idem cum leniente esse puto) promiscuè quoslibet humores, non hunc illumve seorsim, vacuet, fieri tamen potest ut humoris morbifici portio quædam iisdem in viis latitet, quæ una cum reliquis à catharctico expurgetur, & sic tum Apozemata nostra in plures doses præscripta, tum Galeni epicrasin, ad eradicativam purgationem reducemus, in id enim sunt instituta, ut humores morbificos seorsim funditus educamus, sicque morbum ipsiusque à corpore radices evellamus. Id confirmatur ex purgatione materiæ turgentis quam omnes fatentur in principio eradicativè purgandam, id autem rarò imo fermè nunquam fit semel tantum exhibito catharctico, sed sepius reperito, unde concludere licet, etsi primo exhibito purgante universus humor vacuatus non fuerit, eradicativam tamen purgationem fuisse institutam. His sic explicatis ad quæstionem veniendum.

Prima Conclusio. Sitque prima conclusio leniens medicamentum sive minorans utiliter in morbi principio administratur, cum quia primam regionem expurgat, cujus impuritas morbum fovere potest, cum quia aliàs nec venæ sectione, nec aperientibus pharmacis tutò uti licet, & hujusmodi catharsin non *Arabes* tantum, qui falsò illius inventores perhibentur, sed & *Hippocrates & Galenus* & veterum quamplurimi laudarunt & probarunt, ut superius diximus.

Secunda Conclusio. Secunda conclusio: Medicus interdum regulariter operatur, interdum coactè. Regulariter non debet in principio purgare, quia humores crudi etsi possint esse tenues & parati ad expulsionem, tamen non sunt à reliquis separati, viæque non solent esse apertæ. Coactè autem potest purgare in principio, primò quando materia turget, secundò quando humor pestilens est & venenatus, nam quod putridum est *inquit Galenus* statim è corpore pellendum, ne reliqua inquinet, *4. de tuenda valet.*

Tertia Conclusio. Tertia conclusio: non licet ante coctionem perfectam & completam purgationes repetitas, quales fiunt per Apozemata, instituere, cum enim natura coctionem intendat, istis purgantibus interturbatur, nec præterea purgatio succedit, sed ea succedunt incommoda, quæ *Galenus aphorism. xxij. libri primi* recenset, & de hujusmodi purgatione intelligendus est *Hippocrates*, quando dicit concocta medicari non cruda.

Quar-

Quarta conclusio: non est semper expectanda perfecta concoctio ad purgationem, sed sufficit qualiscunque, ideo licet in principio & augmento quando coctio incipit apparere, catharsin instituere; Id docent *Fernelius*, *Fuschius* & plurimi recentiores, ut enim humor coquitur per partes, ita & per partes evacuatur. Id maximè apparet in chronicis febribus & longis, ubi alternis purgare solent Medici, & præparantibus uti, sicque sensuisse visus est *Galenus*, quando per epicrasin purgare jubet, ut diximus in nostra generali medendi methodo. Idque tutius facere nunc possumus, quando nobis suppetunt benigna medicamenta, quibus veteres carebant, quæ neque febres accendunt, neque humores nimium exagitant, neque naturam debilitant. *Quarta Conclusio.*

XXIX. Rectè igitur Hippocrates præscripsit cautè & cum præmeditatione utendum esse purgantibus, nam cavendum jubet *Avicennas*, ne catharsi maturus accersamus paroxysmum. Id quod fieri potest quinque modis, *primò* si medicamentum sit violentum & inflammans, ut scammonium in febribus ardentibus, eadem ratione pilulæ non adeo prosunt febribus, nimis enim calefaciunt, ideo in potu potius quam solidâ formâ propinanda sunt cathartica. *Secundo* si medicamentum in majori detur quantitate quam sit necesse, sic enim humores nimium agitando eos inflammat. *Tertiò* si minor sit quantitas quam oporteat, humores enim tantum movet, non educit. *Quartò* si non purgentur qualia oportet purgari, ut si in febre biliosâ pituita evacuaretur. *Quintò* si purgatio ante coctionem detur, quod quomodo verum esse possit jam supra diximus. *Plura videri possunt in generali medendi methodo. Cautiones observandæ in purgantibus.*

XXX. Vomitu quoque utimur in febribus idque fœlicissimè, non quidem semper, sæpius enim & tutius per alvum purgamus & intestina, quæ ignobiliores sunt partes, minusque ab humoribus transeuntibus offenduntur, sed eo utimur quoties natura vacuationem hanc affectare videtur, id quod maximè contingere solet in principiis paroxysmorum febrium intermittentium, tum etiam interdum in continuis si æger nauseat, os habeat amarulentum, cæteraque humoris in stomacho stabulantis signa adsint. Ideo Medicus naturam mitari debet, eamque adjuvare levioribus præsidiis. Nihil enim æque citò intermittentium febrium saburram & fomitē evacuat & emendat quam Vomitus. Solebant autem veteres uti Helleboro albo, quo tamen tanquam periculosissimo remedio, cujus formidabilis operatio est, sole- *Vomitus.*

mus abſtinere, tum quia ignota nobis eſt illius præparatio quâ veteres tam fœliciter illo utebantur. Leviora quæ tantùm aut copiosâ quantitate aut oleaginosâ qualitate ventriculum ſubvertendo, aut acri irritando vomitum concitant, ut *aqua tepida*, *oleum*, *juſcula pinguia*, *flores anethi*, *atriplex*, *&c.* ea ventriculum tantùm vacuant, nec longius ſeſe illorum vis in corpus traducit, propterea etſi aliquantulum proſint ventriculum exonerando, non tamen adeo magna eſt illorum utilitas, nec morborum cauſas adimunt. At vehementiora ut aſarum, Antimonium, Nicotiana, vitriolum album non ventriculum tantùm, ſed jecur & viſcera exonerant, unde ſæpe eos humores educunt quos nulla unquam catharſis per alvum forſitan evacuaſſet, ſicque febres intermittentes ſi quid aliud citiſſimè ſolvunt. * Nec moveat nos graviſſimorum Medicorum authoritas qui Antimonii uſum reformidant, cum interea azaro non minus gravi & violento utantur. Quiſquis enim aſaro utitur ad vomitum concitandum, is Antimonio uti poteſt, cum & gratius ſit remedium, & minore cum periculo, faciliuſque multò ventriculum ſubvertat, & à penitioribus partibus attrahat, præſertim ſi infuſio ſumatur, potius quam ſubſtantia, vis enim illius tunc altius ſubit, nec tantam ventriculo moleſtiam faceſſit, & in quibuſdam imò ſæpiſſimè alvum moveat. Obſervatis igitur iis quæ in omni vomitu obſervanda diximus in *noſtrâ generali medendi methodo* Antimonio ritè & debite præparato quilibet uti poteſt tutius & minori cum periculo quam aſaro, quicquid multi reclament, qui omnia tuta timent. Vacat autem præcipuè humores bilioſos, rarò pituitoſos, rarius melancholicos, niſi ſint in ventriculo, tunc enim eos ſicut & omne emeticum promiſcuè evacuat. Antimonio validius eſt vitriolum album, utroque validior Nicotiana quæ impensè ac ſupra modum corpus exagitat, Multos tamen novi qui eâ infusâ, tum in ſubſtantiâ ſatis commodè purgantur, vixque ullo alio remedio utuntur. Vitrioli albi præparationem ad vomitum rectè deſcribit *Crollius in Baſilica Chymicâ*, & poteſt commodiſſimè reduci in uſum, etſi Antimonia gravius & violentius ſit remedium. In univerſum omnis vomitus naturæ gravis eſt ob motum ventriculi naturali contrarium, nam qui ex ſola aquâ tepidâ vomunt, quæ aliàs innoxia eſt, ii gravius multò afficiuntur quam ſi purgarentur per inferiora, ut apparet quoque in ipſis ſpontaneis vomitibus, qui violentiores ſunt & moleſtiores fermè qualibet artificiali purgatione factâ per alvum.

* *Antimonium.*

*

alvum. Eſt enim os ſtomachi pars nobilis quæ noxiorum humorum occurſum non niſi graviter ferre poteſt, unde ſæpe ex maximo cum corde conſenſu ſyncope ſuccedit; plethoricis, Aſthmaticis, tabidis, debilibus nocet.

XXXI. Nec tantum per alvum & vomitum, ſed per urinas & ſudores corpus in febribus evacuamus, de quibus aliquid dicendum. Vacuamus per urinas naturæ imitatione, quæ ſæpiſſimè per perirhiam criticam humores expurgat. Commodè autem hâc viâ expurgantur non tantum humores tenues & ſeroſi, ſed etiam craſſi pituitoſi & melancholici, quoties remediis extenuantur, & aquoſo humore diluuntur, unde quartanis & quotidianis febribus hæc quoque evacuatio convenit. Obſtare autem poſſunt tum magna humoris quantitas, tum locus, humor enim copioſus & craſſus non facile poteſt per anguſtos renum meatus expurgari, unde *Galenus* ſatius eſſe ducit humorem copioſum trahere ad alvum, quam ad renes & veſicam, eoque magis ſi partes illæ vel ulcere, vel calculo, vel alio affectu laborarint. Præterea commodè hac viâ vacuari non poſſunt humores qui vel ſunt in primis viis, vel in habitu corporis, ſed ii tantùm qui in venis & arteriis continentur, nec ſemper illac ducendi ſunt, niſi natura per eas partes ſeſe exonerare cupiat. Sunt autem diuretica ut plurimum extenuantia & calefacientia quæ ſeroſam humorum partem à reliquâ ſepararant, quæ craſſos humores incidunt & fundunt: Quædam aquoſitate multa abundant, unde diluunt reliquos humores, & ad vias urinæ præcipitant, & hæc ut plurimum ſunt frigida. Quædam evacuant proprietate occultâ, ut adiantum, halicacabum, & alia multa, quæ nec calore, cùm eorum quædam ſint frigida aut temperata, nec aquoſitate, cùm quædam ſicca eſſe poſſint & terrenæ ſubſtantiæ, nec acrimonia cum eâ careat halicacabum, ſed inexplicabili quadam proprietate, urinas ducunt, ſic rhabarbarum & Caſſia humores per urinas trahunt. Sed dubium eſt qua vi ſemina frigida majora urinas proliciant, difficileque eſt hoc determinare, nec valde neceſſarium; Putant quidam id facere ob humiditatem plurimam quam habent, at ſic non pertingerent ad vias urinæ, niſi quando in maximâ copia ſumerentur, non ſolent autem dari niſi in exiguâ quantitate multo liquori admiſta, unde dubium eſt num vis diuretica à liquore ſit an à ſeminibus. Alii putant caliditatem aliquam ipſis ineſſe. Alii denique credunt id habere à proprietate occultâ, & forſan omnes

Diuretica

verum aliquâtenus dixerunt. Cum itaque varia sint diuretica, non est promiscuè quibuslibet utendum, nam si febris sit vehemens, humorque copiosus, benignioribus utendum, minusque calefacientibus, ne vehementioribus agitatus humor, & ad angustos meatus deductus obstructiones plurimas pariat, ideo necesse est prius catharticis corpus vacuare. Leviora quoque sufficiunt si Natura jam eò inclinet. Quod si febris sit remissior, humor crassior, corpusque prius aliquomodo repurgatum, validioribus uti commodius poterimus, sic *Galenus primò ad Glauconem* valentioribus utitur in quotidiana. Iis autem uti non debemus nisi in morbi declinatione, humore scilicet concocto, & à bonis separato, nam si in purgatione per alvum concoctio expectatur, multo magis in ea quæ fit per urinam.

Sudorifica. XXXII. Per sudorem autem evacuari solet humor qui tenuis est serosus & biliosus, & in habitu corporis exiguisque venis continetur, qui autem in prima secundaque corporis regione stabulatur, non nisi violenter eo impellente natura per illam regionem vacuatur, sic quotidianis febribus non admodum familiaris est sudor, in tertianis autem exquisitis uberrimus esse solet, ob humoris tenuitatem. Sed ut ut sit, nunquam arte provocetur ante totius corporis vacuationem per phlebotomiam & catharsin. Sunt autem sudorem moventia omnia acria, & tenuium partium, quæ non peculiari facultate, sed summa humores extenuandi vi sudores concitant. Sed non solum acria, verum quædam modicè calida, sudores cient: ut aqua hordei, decoctum chamæmeli, syrupus Sancti Ambrosii, præterea quædam proprietate quadam sudorifica sunt ut Gajacum, radix chinæ, quæ minore acrimonia prædita est quam alia multa, quæ tamen inefficacius sudores eliciunt. Sed his in febribus non solemus uti nisi rarissimè, & in pituitosis, ut dicemus capite de quotidianâ. At cum non solum requiratur materiæ, sed etiam viæ aptitudo, extrinsecus utemur rarefacientibus ut frictionibus, fomentis, unctionibus ex oleo chamæmelino liliaceo, & aliis ejusmodi, tum etiam balneis.

Balnea. XXXIII. Sed balneorum curiosus apparatus apud nos desiit, vixque unquam nisi in hecticis eo utimur. Laudatur tamen plurimum à veteribus tum Græcis tum Arabibus, non tantum calidum, sed etiam frigidum, quod præscribit *Avicennas* si temperies sit calida sicca, si febris valida fuerit, si evacuationes universales præcesserint, si morbus

bus ſit in declinatione, ſic enim contemperatur calor, reſolvuntur humorum relliquiæ tenuiores, ſicque febris ſolvitur, ſuperfluaque ſiccitas prohibetur, maximè ex temperato balneo, ſed frigidum pericula ſecum habet, ne calor naturalis extinguatur, partes nervoſæ convellantur, humores recrudeſcant; ideo non convenit febribus pituitoſis aut melancholicis. Ante coctionem quoque in febribus acutis non petit, ſed poſt concoctionem ſi temperies ſit calida, habitus corporis carnoſus, aut ſaltem non macilentus, ætas juvenilis, nullaque adſit internorum viſcerum imbecillitas, competere poteſt ex *undecimo methodi*. Tepidum autem balneum poros aperit, humectat, humorum relliquias reſolvit, ſed calidum nimis inflammat, humoreſque colliquat, partiumque debilitatem cæteroſque affectus fovet & auget, ideo non competit febribus acutis, ſicut nec tepidum iis febribus, quæ pendent ab humore craſſo, viſcido & tenaci, quique non in habitu corporis ſed in intimis viſceribus deliteſcit, ſed competit febribus, quæ fiunt ab humore tenui pauco, in habitu corporis ſtabulante, modo nulla viſcerum adſit imbecillitas, ne humores balneo concitati facilius eo confluant: ſed quia rarò aut fermè nunquam balneo utimur in febribus putridis, plura de eo addemus, Legatur *Fuſchius* in Paradoxis, qui dolet ejus uſum veteribus familiarem exoleviſſe, quamvis non ſit valdè neceſſarius.

XXXIV. Ultimò de corroborantibus medicamentis agendum, nam viſcera debilitatem contrahunt tum à febre tum à medicamentis, unde laxitas partium conſequitur, aut intemperies tum calida, tum frigida, ſed potiſſimum calida. Laxitas poſtulat adſtringentia & roborantia. Intemperies calida emendatur *Sacchare roſato*, *conſerva nymphea*, *cichorii*, *diarhodon*, tum balneis, epithematis, unguentis. In frigidâ conveniet diatrionpipereoon, aromaticum roſatum, cæteraque calefacientia interna & externa. Obſtructiones quoque viſcerum contumaces in febribus diuturnis contingere ſolent, quæ aperientibus ſunt curandæ, ut trochiſcis de abſynthio, de eupatorio, de rhabarbaro, ſed maximè & potentiſſime limaturâ chalibis variè præparatâ, ut alibi dicemus. Rhazes nono ad Almanzorem deſcribit electuarium de ſcoria ferri. Croco Martis utuntur chymici, qui tamen non ab illis, ſed à Galenicis aut Arabum Sectatoribus multis jam retroactis ſeculis fuit deſcriptus. Sed de viribus chalibis maxi-

Corroborantia.

Chalibs.

maxima est inter Medicos altercatio, quam componere non est adeo facile, nam veteres eo utebantur ad adstringendum & aperiendum, quæ operationes omninò contrariæ sunt in una eademque re, sic miratur *Galenus* in vitriolo cum tanta acrimoniâ tantam adesse austeritatem & adstringendi vim. *Dioscorides* cœliacis, stomacho dissolutis, mulierumque profluviis, dysentericis vinum præscribit chalybeatum, cui consentiunt *Galenus*, *Paulus*, *Aetius*, *Avicenna*, & cum iis omnes fermè recentiores. Sed alii contra volunt esse summum aperiens, obstructiones viscerum omnes, præsertim splenis reserare, alvum & vomitum ciere, ut docent *Oribasius*, *Aetius*, *Cornelius Celsus*, plurimique recentiores, unde *Crato* illius usum improbat in dysenteriâ & fluxibus, * imo ipse *Avicennas* inter venena refert scoriam ferri & limaturam chalybis. Certum itaque est authoritate & experientia chalybi utrasque inesse vires aperiendi & obstruendi, sicut multis aliis medicamentis ex variis partibus constantibus & heterogeneis, variæ quoque adsunt vires & plane contrariæ. Sed id dubium est in quibusnam partibus hæreat vis adstringendi, in quibusnam vero vis aperiendi, ne dum chalybem ad aperiendum solvendasque obstructiones præscribimus, contrarium potius præstemus, easque augeamus. Alii non sine probabilitate dubitant duplexne sit illa virtus in chalybe aperiendi & adstringendi, scribit enim Celsus aquam fabrorum lienem absumere, quâ tamen ad adstringendum quoque fœlici cum successu utimur, sic aquæ ferreæ minerales potentissimè solvunt obstructiones, eædem desiccant ulcera. Eadem experientia ostendit limaturam crudam cum melle sumptam chlorosin curare, estque familiare & vulgare remedium, attamen scoria ferri laudatur ad ulcera, quæ tamen ab aliis laudatur ad splenem obstructum, ex his qui chalybem præparant, eâdem præparatione utuntur ad utrumque præstandum, unde quamvis Chymici quidam duplicem crocum Martis constituant, unum adstringentem per fortes & repetitas calcinationes factum, alium aperientem per aquas acutas præparatum, inter Chymicos tamen non infimæ notæ quidam ut *Crollius & Libavius* eundem crocum aperiendo & adstringendo destinant. Concedendum igitur utramque operationem inesse chalybi, constat enim partibus frigidis quia terreum, tum quibusdam calidis, quia omnia metalla ex Galeno plurimam habent igneam substantiam, idque ob sulphur quo constant. *Iulius Cæsar Claudinus* in appendice libri

bri de ingressu ad infirmos, ita hanc difficultatem solvit, aperire chalibem ratione adstringentis facultatis quâ pollet, & adstrictionem non parum facere ad obstructiones reserandas, quod partes roboratæ facilius deinceps materiam morbificam vincunr. At hallucinari mihi videtur, quia sic cætera adstringentia naturam roborando omnia fierent aperientia, quod tamen non fit, cum contrariæ omnino sint operationes adstringere, & aperire. *Secundò* omnia metallica vim quandam habent naturæ nostræ adversam, ob sulphuris & hydrargyri admistionem, maximè quæ sunt impuriora, ut ferrum, tantùm abest ut naturam nostram roborare possit, unde etsi præparetur vomitum tamen longo usu concitat, & alvum movet. *Tertiò* non quæcunque adstringunt naturam roborant, nec omnis imbecillitas adstringentia postulat, sed quæ ex laxitate contracta est. *Quartò* non opus esset ullo modo chalibem præparare, nam quò magis adstringeret, eo magis roboraret & per consequens aperiret, cum tamen omnes præparationem putent esse necessariam, & præparatum potentius aperit, ut experientia docet. *Quintò* non propriâ vi sed per accidens tantum obstructa solveret, quod tamen falsum esse ostendit *Celsus*, qui aqua chalibeata absumi vult lienem, quod nunquam natura quantumvis robusta facit, imo quanto robustior sit, eo partes omnes melius & potentius tuetur, tantum abest ut eas absumat. *Sextò* non satis est ad obstructa expedienda naturam roborare, sed humores obstruentes oportet attenuare, incidere, expurgare, quod natura nunquam, aut saltem rarò præstare solet. Unde concludendum chalybi inesse vim peculiarem obstructa reserandi, ob maximam sulphuris & mercurii copiam quibus omnia metalla, maximè quæ rudiora sunt & impuriora, constant, adde quoque vitriolicam naturam, cum vitriolum aliis sit proxima metallorum materia, unde ex omnibus ars Medica vitriolum extrahere novit, etiam ex chalybe quocunque modo calcinato, habere autem vitriolum vim adstringendi, aperiendi, purgandi, vomitum excitandi, omnibus constat ex *Galeno, 9. simplic.* *Claudini Solutio.* *Refutatio*

Ludovicus Mercatus capite de scyrrho uteri, rectè putat chalybi vim esse abstergendi obstructos meatus ex copiâ sulphuris & mercurii quo constat, idque probat exemplo Chymicorum qui in croco Martis adstringendis fluxibus destinato, valido igne & sæpius adhibito, sulphuris & Mercurii recrementa omnino absumunt. Ferrum autem habet sulphur & mercurium valde crudum, crassum & pernitiosum, ex *Mercati opinio.*

cujus usu varia oriuntur symptomata, unde chalybem prius præparare necesse est, ut separetur ab ipso quod crudum & alienum est. Unde concludit debere variè præparari ut fluxiones sistat, & ut obstructa liberet, nam ut alvum sistat sulphur & mercurius validâ & multiplici ignitione auferri debent, sicut in croco Martis, quo præsidio quilibet fluxus validè sistitur, ut vero aperiat, hæc sunt servanda, ideo primas extinctiones rejicit, cum est adstringendum. At hinc sequitur præparationem non esse necessariam, nam in integro major adest copia
Objectio. sulphuris & mercurii quam in præparato, & proinde major vis aperiendi, & demonstrat experientia solam infusionem chalybis & ferri etiam rubiginosi sine ullo calore chlorosin curare. Tum etiam præparatio suspecta est, tam quæ fit cum aceto, ob illius frigiditatem quâ etiam chlorosin inferre aptum est, quam quæ fit cum igne, quia calore vis spirituosa absumitur. Tum demum quia ferrum exquisite limatum convertitur in argentum vivum. Certum tamen est præparationem esse necessariam, ut excrementitiæ partes ferri tollantur, ex quibus plus damni subsequitur, quam ex majori purgatione beneficium, tum ut substantia crassa attenuetur, facilius penetret, humores crassi magis incidantur, tum demum quia maligna est omnis metallorum
Solutiones materia ex sulphure & Mercurio promanans. Respondemus itaque etsi in integro major adsit aperiendi vis, tutum tamen non esse illius usum ob rationes dictas, quod si interdum fœliciter successit, id factum aut ob levius malum, aut ob naturam robustiorem, quæ malignam illius naturam superavit, utilis autem est præparatio, tam quæ igne quam quæ aceto perficitur, nam etsi acetum chlorosin obstructionesve intempestivè & copiosè sumptum inferre possit, in præparatione tamen limaturæ additur tantùm ad penetrationem & humorum crassorum attenuationem. Igne autem etsi vis spirituosa auferri videatur, non omnis tamen tollitur, modo sit moderata, nam sæpius adhibito igne tandem omnis aufertur aperiendi vis, ob omnimodam consumptionem partis illius Mercurialis, & sulphureæ, & hæc de chalybe secundum Mercati sententiam.

Aliorum opinio. Alii tamen contrarium omnino sentiunt, vim aperientem chalybis non esse superficialem, sed intus reconditam, quæ non nisi multis ignitionibus, & longâ præparatione, quæ solvat arctam illam ferri compagem, elici possit, unde statuunt primas illius infusiones adstringere, validas & sæpius repetitas aperire, sic lac & vinum chaly-

bea-

beatum adstringunt, modo extinctio sit moderata, nam copiosiori alvus turbatur ob majorem chalybis substantiam admistam, vim siquidem illius aperiendi, in vitriolica substantia consistere, quæ non ita facile educi potest, ideoque ferrum vetustissimum sæpius ignitum præfertur, quod facilius præparari potest & dissolvi. Aceto quoque præparari solere & vino, acutissimisque liquoribus, ut educatur & extrahatur vis illa aperiens quæ intus recondita latet. Aqua autem & lac, aliique liquores blandi nihil educere ex ferro possunt, & propterea adstringunt, nisi multiplici ignitione vis ejus ab igne eliciatur, sic minerales aquæ ferreæ & vitriolatæ potentissimè aperiunt, quæ non ipsam ferri substantiam, sed puriorem tantum illius partem & spirituosam ab igne subterraneo admistam habent. Huic opinioni fermè consentit Doctissimus *Daniel Sennertus, libro de dysenteriâ.* Vult autem spiritum quendam coagulantem inesse chalybi, à quo liquores quibus extinguitur adstringendi vim habent, viresque has in vitriolicâ substantiâ consistere. Unde concludit lac & vinum chalybeata adstringere, ob spiritum illum coagulantem, modo extinctio sit moderata, nam copiosiori alvum turbari ob majorem chalybis substantiam admistam, cum metalla si copiosius sumantur noxia sint, statuit tamen minus adstringere quam aperire, tum recentes extinctiones sumendas, ne frequentioribus alvum potius moveat quam adstringat; Monet quoque crocum Martis potius usurpandum, qui solo igne paratur, quam qui per aquas fortes, acetum, spiritumque vitrioli præparatur, habet enim hic vim magis vitriolatam, fortiusque aperit.

Convenit itaque chalybs in contumacibus viscerum obstructionibus, in febribus tertianis nothis, & quartanis, non ratione febris, sed ratione obstructionum & lienis intumescentis, in cujus curatione *Aetius, Paulus, Dioscorides, Avicennas* mirificè ferrum & chalibem commendant. Non convenit autem emaciatis & tabescentibus, nec in summo virium languore, nec in febribus, præterquam tertianis nothis & quartanis, nec præsente plethorâ & cacochymiâ antequam phlebotomiâ & catharsi solvantur. Non debet autem ut volunt quidam, admisceri cum nutrimento, ne vi aperiente incoctum alimentum deducat in venas, obstructionesque augeat, tum quia omne metallum Naturæ contrarium est, nutritionique adversatur. Solet autem chalybs dari vel infusus in vino & aquis idoneis, vel in propriâ substantiâ,

postquam fuerit exquisitè præparatus, igne vel aquis fortibus, vel aceto. In cujus usu observare debet Medicus, an per alvum excernatur, an non, quod cognoscet ex fœcibus nigricantibus, atque si viderit eum non excerni, naturam eccoprotico, blando medicamento, vel clysteribus adjuvabit, quod si alvus adstringi soleat imperabit Medicus ut deinceps ab illo abstineat, ne obstructiones potius augeantur quam solvantur. Varias autem præparandi formas in vino, in syrupi formâ, electuarii, pulveris, extracti, croci, videre licet apud *Ludovicum Mercatum & Claudinum*, qui videri possunt, & nos in sequentibus etiam quasdam afferemus in descriptione effectuum lienis. Et hæc de chalybe.

Capite de tertianâ nothâ.

DE FEBRIBVS

Putridis in specie.

LIBER TERTIUS.

CAPUT. I.

De Sanguineis Febribus.

1 SYnochus putris est febris continens conclusa, ex putrido sanguine ortum habens, quando scilicet in magnis vasis putrescit, quæ inter alas & inguina excurrunt. Quibus distinguitur ab imputri synocho, à qualibet continuâ, & à periodicâ. Diximus, *ex putrido sanguine*, universam humorum massam & congeriem intelligentes, tum ipsos sanguinis ichores, à quibus putrescentibus excitari posse febres docuit *Hippocrates in Epidem.* Sanguis ille, ut diximus, in magnis vasis putrescit, quamvis enim continua ex humoribus in vasis hepatis, pulmonum, cæterarumque partium corruptis accendi queat, ut sæpius docuit *Galenus*, tamen febris ea aut symptomatica tantum est, aut simul majorum venarum sanguis inficitur, nec amplius parte determinatâ coërcetur putredo.

II. De

II. De generatione hujus febris magnæ exiſtunt controverſiæ, an ex ſolo ſanguine generetur, tum ad quas febris ſpecies ſit referenda. *Avicennas* validis rationibus *Galenum* refellit, quod negarit ex putredine ſanguinis fieri febrem ſanguineam, ſed bilioſam, quia ſanguis cum putreſcit degenerat in bilem. Non negat *Galenus* ſanguinem poſſe putreſcere, id enim omnibus miſtis eſt familiare; ſed ſanguis corruptione faceſſit in bilem. Ergo febris fiet bilioſa non ſanguinea. Quæſtio hæc cum curandi rationem non mutet, inutilis, otioſa & logica cenſenda eſt, & tamen inter nobiliſſimas recenſetur. Quidam omnino *Galeno* repugnant: Alii, cum Galeno febrem hanc dari negant: Alii Galenum eam admiſiſſe tuentur: demum Alii Galenum cum Avicennâ conciliant. Sed ut rectè advertit *Averrhoes 4. Collig.* Galenus hac in re ſatis ſibi non conſtat. Itaque rem hanc breviter explicemus. Repetendaque ex Phyſiologia ſanguinis diſtinctio, quâ vel univerſa humorum maſſa, vel quartus humor à cæteris diſtinctus intelligitur. Inde duplex emergit quæſtio, quam Interpretes ſub unâ complexi non mirum ſi in varios errores lapſi ſint. Sit itaque. *An febris ex ſanguine fit bilioſa.*

III. Prima concluſio. Certum eſt tum quartum humorem quem κατ' ἐξοχὴν ſanguinem vocamus, tum humorum maſſam poſſe putreſcere; Cum enim putredo fiat ab extraneo calore, ſanguis putreſcet, cum alieno calore corripitur. Sic illum videmus extra venas effuſum putreſcere, pariter dubitandum non eſt quin in venis putreſcere queat, quoties ab extraneo nativus calor ſuperatur. Talis putridus ſanguis venâ emiſſus ſe prodit, cum interdum fibris omnibus putredine abſumptis, concreſcere amplius non poteſt: ſic in inflammatione hepatis non ſolum putris, ſed & purulentus etiam apparet.

IV. Secunda concluſio. Si univerſa humorum maſſa putreſcat febris fit ſynochus dicta. *Primò* hæc febris fit à plenitudine; At in plenitudine omnes humores augentur. *Secundò* fit inquit *Galenus 9. Methodi 3.* Synochos, quando in omnibus vaſis aut maximis æqualiter humores putreſcunt. *Tertiò*, ex eodem loco, ſynochos neque in frigidâ ætate, ut ſenectute, neque in pituitoſis, melancholicis, gracilibus ſeu bilioſis, ſed tantùm in carnoſis & plethoricis fit. Ergo erit à ſanguine. *Quartò* in ſynocho pulſus eſt maximus & plenus, qualis ſanguineis tantùm competit. *Quintò* Galenus *9. methodi* ſcribit plenitudinem ad vires ſynochon non parere, quia nec obſtruit, nec di-

ſtendit venarum tunicas, nec tumorem, nec ruborem inducit. Ergò ſola plenitudo quæ eſt ad vaſa faciet ſynochon. At plenitudo eſt æquabile omnium humorum incrementum. Fit igitur ſynochos quando humorum maſſa putreſcit. Et hæc putredo ſimilis eſt ſecundum *Galenum* generationi puris, *primò de diff. feb. cap. 7.* ut ex venæ ſectione apparet, in quâ ſanguis in ſubſtantiam puri ſimilem converſus cernitur, ut docet *Hippoc.* dum pus fit febres fieri intenſiores.

v. Tertia concluſio, ſecundum recentiores. Si quartus humor putreſcat, febris hæc ſanguinea eſt, & tamen ad bilioſas referenda, & ſic omnem difficultatem ſe ſuperaſſe putant *Maſſaria* & *Capivaccius*; ſed peſſimè. Nam cum *Galenus* ut ſuperius diximus, ſynochon ex omnibus humoribus ſimul putrefactis fieri probarit, eandem tamen ſynochon ad bilioſas refert, duobus in locis in quibus hanc quæſtionem ex profeſſo tractat. Primus eſt *ſecundo de diff. feb. cap. 9.* ubi concludit febrem ex putreſcente ſanguine, tertianum circuitum obſervare, exemplo pleuriticorum qui rubra expuunt, in quibus ſanguis putridus, ſyſtrophicâ inflammatione contentus tertiano circuitu movetur. Quod ſi quis objiciat diverſam rationem eſſe putredinis quæ fit in venis, & loco inflammato, reſpondet idem *Galenus* eandem prorſus eſſe rationem putredinis, quæ fit in venis & in abſceſſibus, ita ut idem de utraque ſit ſtatuendum. Secundus locus eſt *2. de criſib. cap. xj.* ubi manifeſtè ait febrem ſanguinis ad bilioſas eſſe referendam, quia ſanguis dum putreſcit fit bilioſus. Et alibi tria tantùm febrium genera conſtituit. Præterea vix veriſimile videtur poſſe ſanguinem qui omnium maximè naturæ familiaris eſt, nativoque calore & Spiritu abundat, putreſcere cæteris humoribus intactis, ita ut neceſſum ſit quoties humor ille quartus putreſcit, cæteros ipſi admiſtos eodem incendio corripi. Nec tamen ſi concedatur ea putredo ſolius ſanguinis, probari poterit febrem inde excitatam eſſe bilioſam. Id enim *Avicennæ* rationes manifeſtè demonſtrant. Nam dubium non eſt quin ſanguis ſub propriâ formâ putreſcat, neque opus eſt fieri bilioſum, ſi in phlegmone in pus vertitur, non in bilem, cur idem in venis non fiet? Si pars tenuior & pinguior calore extraneo in bilem, craſſior pariter eodem calore in atram faceſſit, & tamen putredo ipſius ſanguinis præcedit. Id docet *Galenus 2. de diff. feb. 9. Vbi*, inquit, *ſanguis ſupra modum aſſatur, mutatur penitus, pars enim tenuis & pinguis in pallidam*

dam bilem, crassior autem in atram vertitur, ut in carbunculis. Et post, *febres igitur consistent pro specie humoris in quem sanguis mutatur.* Et *nono methodi* aliisque in locis synochon esse dicit in quâ nullus est paroxysmus de tertio in tertium diem. Ex quibus duo concludimus. *Primò* Galenum sibi non constare, ut animadvertit Averrhoes. *Secundò* malè dixisse putredinem vasorum & abscessuum, cum in pus vertuntur, esse similem, cum in abscessibus putridus humor moveatur tertiano circuitu, non autem in venis, pusque fiat à victoriâ caloris naturalis, putredo autem venarum à præternaturali, nec cum naturalis vincit extraneum, ut in crisibus, sanguis in pus mutatus cernitur, sed ruber floridusque, ut paulò antè crisin misso sanguine observavi, cum antea putris sanguis apparuisset. Instante crisi venâ, me repugnante, apertâ, purus, ruber, cito concrescens, tanquam à victima emanavit, ut appareat vincente naturâ non mutari in pus, ut in inflammationibus. Idem de reliquis humoribus dici potest, nam nunquam bilis aut melancholia quantumvis probe concocta in pus mutata cernitur, sed flava aut nigra, neque materia febrilis concoctione speciem mutat, sed tantum qualitatem: febris synochos, inflammationes, hepatis, lienis, fluxu sanguinis finiuntur, sic febris ardens bilis vacuatione, non puris. Non videtur autem *Galenus* cognovisse rationem cur in phlegmone tertianus adsit circuitus. Id enim *primò* non est perpetuum, & quoties contingit non in principio, sed tantùm in incremento & statu apparet, quando coctiones fiunt, non quod sanguis mutetur in bilem, ut malè *Galenus* autumat, potius enim pus evadit, sed quod bilis quæ tunc est sanguini immista motus suos observet, interea dum reliquis sanguis quiescit, nullumque circuitum habet. *Galenus notatur.* * *

VI. Quidam ut *Augenius, Altimarus, Massaria, aliique* negant secundum Galenum sanguinem fieri bilem, sed tantum fieri quodammodo biliosum, quod putredine acrimoniam bilis acquirat, febremque ex eo genitam non simpliciter & absolutè, sed quodammodo esse biliosam, non autem ardentem & tertianam. Quæ mera sunt subterfugia, nam cur potius erit biliosa quam melancholica, ut docet idem *Galenus* loco citato, aut quomodo tertianum obtinebit circuitum, cum sanguis periodicum motum non habeat, aliàs cur in venis eodem circuitu non movetur, si secundum illos tertianus circuitus tantùm bili competit. Hæc etsi sufficiant ad Galenicæ sententiæ refutationem, addendæ tamen sunt Avicennæ rationes. Sententia *Galeni*, sanguis dum putrescit. *Rationes Avicennæ.*

Prima trescit. Non priori modo; Primò sanguis ubi putruit non degenerat in solam bilem, sed etiam in atram, ergo febris non erit magis biliosa quam melancholica. Respondet *Augenius* post *Gentilem*, majori alteratione egere sanguinem ut in melancholiam, quam ut in bilem vertatur, & propterea febrem ex sanguine biliosam potius esse quam melancholicam. Quæ responsio nullius est momenti. Est enim Avicennæ argumentum de sanguine non putrescente, sed putrido. At tunc ipso *Galeno* confitente *loco citato*, pars ejus crassior in atram bilem degeneravit, non minus quam tenuior in flavam, febrisque inde genita pro specie humoris denominari debet. *Secundò* quæstio est de sanguine dum putrescit. At tunc febrem non facit biliosam, quia nondum est putrefactus, ergò sanguineam. *Tertiò* quod ex putrefactione emergit non semper est putridum, ut vermes ostendunt. Bilis igitur genita ex sanguine putrescente non necessariò erit putrida, ideo non faciet necessariò febrem biliosam.

** Augenius refutatur*

Secunda.

Tertia.

VII. Posteriori quoque sensu intellecta sententia *Galeni* falsa est, scilicet sanguinem dum putrescit fieri bilem. *Primò* putrefactio est via ad corruptionem, ergò sanguis dum putrescit minimè mutatus est sed mutatur. Ergo febris ex eo genita erit sanguinea. *Secundò* bilis ex sanguine non potest generari in instanti: egro sanguis putrescet sub suâ formâ antequam bilis evadat. *Tertiò* putredo accidit sanguini sicut cæteris humoribus: Si ergò illi servatâ propriâ formâ putrent, Cur idem de sanguine non dicemus, sicq; febrẽ faciet sanguineam, non biliosam.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

IIX. *Gentilis* ut utrumque authorem conciliet, respondet rationes Avicennæ concludere pusillo tempore dari febrem sanguinis, quod *Galenus* nunquam negasset, sed id tempus adeo breve esse, ut Medicæ non sit considerationis. Errat tamen quia synochus toto morbi decursu dici & censeri debet sanguinea. Objicies curari synochon per alterantia & extinguentia bilis acrimoniam, tum per evacuantia bilem. Docet enim *Galenus* in hac febre post missionem sanguinis ad animi deliquium, succedere aut sudores, aut vomitus, aut spontaneas dejectiones. Quod spectat alterantia, ea non bili quâ bilis est, sed quâ fervida, conveniunt, unde non mirum si temperando quoque sanguini fervido inserviant. Evacuantia verò sanguinem ab humoribus excrementitiis depurant, & defœcatiorem reddunt. Itaque statuendum est febrem ex sanguine non biliosam, sed verè sanguineam & esse & vocari debere.

Gentilis refellitur.

** Objectio. **

*Solutio. **

IX. His

IX. Ex his solvi potest altera quæstio à Neotericis agitata, an ex bile fieri synochus possit. Si enim secundum *Galenum*, synochus inter biliosas sit referenda, cum sanguis in bilem vertatur, cur biliosa inter synochos non refertur. Synochi eæ dicuntur quæ à principio ad finem eodem tenore sine paroxysmis perseverant, ob humorum intra majora vasa incendium, in quibus si bilis putrescat ardentem febrem parit, quæ non immeritò synochus vocari potest. Hinc *2. de differ. febr. cap. 2. Galenus* synochon speciem facit continuarum ex bile. Aliis tamen in locis idem *Galenus*, negat synochon fieri in biliosis, sed tantùm in sanguineis, & plethoricis, unde quamvis ardens etiam synochus dici possit, quando bilis sincera in majoribus venis putrescit, tamen ne febrium genera confundamus, synochon à sanguine, non à bile, causon à bile non à sanguine fieri dicamus. *An synochus ex bile.*

X. Differentiæ eædem sunt quæ synochi imputris, scilicet alia omotona est, alia epacmastica, alia paracmastica. *Differentia.*

XI. Causas habet easdem quas synochus imputris, sed validiores, scilicet quæ sanguinem cumulant, eundemque accendunt, & nonnunquam similium putridorum occursu accenditur, ut fructuum, ὡραίων esu, ex quibus in Ventriculo putrescentibus aquosus putridusque generatur sanguis, sanguineos occupat, carnosos, juvenes, tum quibus retenti menses, suppressæve fuerunt hæmorrhoides. Ver, regio septentrionalis, victus polytrophus, otium, vini generosi potus, somnus immodicus, quia sanguinem cumulant, occasionem præbent: Cujus febris generationem optimè descripsit *Hippoc. lib. de locis in homine. Cum corpore supercalefacto carnes intumuerint, pituita bilisque conclusæ quieverint, neque refrigeretur quippiam neque exeat, neque moveatur, neque aliud quippiam subeat.* Ostendit enim plenitudinem ex obstructione pororum cutis genitam, in quâ post quartum diem purgandum esse docet, nisi febris cessarit, quia in putridam degeneravit. *Causa.*

XII. Hic quæritur à quibusdam quid febrem continuam faciat esse synochon. Quidam ad obstructionem pororum cutis referunt, sed id simpliciter non est verum, nam cum obstrui cutis in quibusvis corporibus possit, in illis quoque fieri synochus posset. Attamen non fit in frigidis, nec in gracilibus, sed tantum in corpulentis, & sanguineis. Obstructio quidem continuum febrem, sed non necessariò synochon facit. Alii referunt ad locum in quo humores putrescunt, scilicet si *Quæstio.*

vasis majoribns concludantur, unde synochon ex bile etiam fieri vult Galenus, At id quoque non sufficit, quoniam reliqui quoque humores vasis majoribus contineri possunt, qui febres pariunt quidem continuas, sed quæ remissiones habent & exacerbationes. Quod vero dixit *Galenus* synochon esse ex bile, quibusdam apertè falsum esse videtur, ut *Argenterio:* Aliis vitiosa lectio esse dicitur, aliis id tantum de progressu febris intelligendum videtur. Demum *Argenterius* causam refert ad humorem putridū qui non nisi synochon facere potest
* eam enim in solis sanguineis corporibus *Galenus* statuit. Sed ut superius diximus nihil absurdum ab aliis humoribus quam à sanguine fieri synochon, etsi quam sæpissimè ab illo fiat. Igitur omnes hæ causæ conjungendæ, si fiat à sanguine, in venis majoribus putrescente & obstructâ cute, synochus erit.

Signa. XIII. Signa eadem sunt quæ in simplici, sed insigniora, nisi quod calor acrior est, pulsus non tantum magnus, vehemens, frequens, sed etiam inæqualis, urina turbida, crassa, rubra, sedimentoque nullo, adsunt redundantis sanguinis signa, ut rubedo oculorum, inflatio venarum, temporum, constrictio anhelitus, somnolentia, de quibus *cap. de synocho imputri diximus.*

Prognostica. XIV. Prognostica quod spectat. Periculosissima est quæ continuò augetur, deinde quæ eundem servat tenorem, mitissima quæ semper decrescit. *Secundò* synochi sæpe intra diem quartum solvuntur *3. de crisib.* In solis synochis quarto die fœliciter crisis succedit, sicut & die sexto, quod aliis febribus non contingit, ut docet *Galenus*, & post eum *Amatus:* sæpius tamen ait *Avicennas* ad septimum crisis extenditur, &
* ad decimum quartum. Sed si quarto die *Galeno* confitente crisis fit in synocho, quomodo ab eodem biliosa vocatur. *Tertiò* gravitas symptomatum attendenda ut sunt gutturis inflammationes, sermonis difficultas, lacrymarum involuntaria profusio, somnus profundior, aut vigiliæ immodicæ, anhelitus difficultas, phrenitis, signum sunt mortis. *Quartò* variolæ, pustulæque lividæ, nigræ, virides, malæ secundum Arabes, quibus febres nostras purpureas cognitas fuisse colligitur. *Quintò* jactatio de loco in locum, ventris borbarygmi, præsertim si alvi profluvio inflatio non quiescat, malum. *Sextò* Urina alba ut in ardente, ita & in synocho mortem prædicit. Dolor gravans in collo & cervice vel mortem, vel delirium portendit, inquit *Rhazes* ex proprio experimento. *Septimò* si diutius duret in ardentem degenerat, quod

quod tamen non est necessarium. Longitudo autem ejus cognoscitur ut in aliis morbis ex coctionis signis, tum ex faciei & corporis constitutione in mole & charactere, tum ex aliis dictis *capite de signis tempor. morborum.*

XV. Curatur refrigerantibus, putredinemque emendantibus, quod fiet primò victus ratione, quæ similis omnino esse debet victui febris ardentis, nisi quod minus nutriens esse debet quam in causo, unde *Avicennas* lentes, jujubasque commendat, quæ sanguinem minuunt & incrassant. *Secundò* statim tenuis instituatur, quoniam status in propinquo est. *Tertiò* cum continuò affligat, hora exhibendi cibum eadem servetur, quæ sanitatis tempore. *Quartò* à dulcibus abstineat, quæ facilè incalescunt, ideo melicrati usum improbat *Galenus*, nec valde probandi qui dulcissimis syrupis utuntur, nisi valde dilutis, cum acida potius conveniant, nam ut rectè docet *Avicennas hoc capite, Iujubæ dulces in aquæ* ℔ v. *coquendæ sunt tantum ad tertias, & quo minus sacchari decocto addetur eo melius erit.* Aër itaque frigidus sit naturâ vel arte, quia inspiratus plurimùm juvat. Tamen cavendum ne corpus denudatum aëri exponatur, (quod ægri inquieti & ferventes faciunt,) ne pororum cutis obstructio augeatur, sudoresque si qui tunc instent, aut saltem perspiratio prohibeatur. Radii solis, hominumque frequentia ab ægri cubiculo arceantur, fenestræque ad septentrionem aperiantur. Cibi sint refrigerantes, & oligotrophi, ideoque abstineat à vitellis ovorum, carnibus, omnibusque polytrophis. Sufficiunt juscula alterata *endiviâ, lactuca, oxal. portul. cucurbitâ, scariola, cichor, hordeo, succo arantior. limon. granat.* Lac amygdalinum cibus est & potus. Poma, pruna cocta, arantia, fraga, berberis, concedantur ad ægri lasciviam. In potu à vino abstinendum, tum ob febrem, tum ob capitis dolorem, tum quia plurimum nutrit, præterquam in virium imbecillitate & morbi declinatione. Ejus loco detur aqua hordei, aqua cocta. Sequens potus secundum *Gordonium* vini albi oligophori saporem & calorem imitatur. ℞ *aquæ fontis* ℔ v. *aceti vini* ℔ ß. *sacchari* ℥ iij. simul coquantur. Ad cujus similitudinem alios componere possumus, ex succis acidis. limon. granat. cum aquis stillatitiis & saccharo.

Curatio. victus ratio. *Aër.* *Cibi.*

XVI. Victu instituto remedia instituantur. Inter quæ duo præcipuè commendantur, venæsectio & frigidæ potus. Et sanè venæsectio materiam peccantem statim vacuat è venis majoribus, ideoque nunquam

Curatio. Venæsectio.

 diffe-

differenda, impendet enim periculum ne ſuffocentur ægri, ſyncope præhendantur, niſi vel plurimo ſudore, vel ſanguinis profluvio liberentur ex *Galeno 9. meth. cap. 4.* Sed id ſemper memoriâ retinendum ut ante venæſectionem, inteſtinorum excrementa clyſtere molli & refrigerante, cruditas vero ventriculi, primarumque viarum blando catharctico repurgetur, ne id majorem perniciem in venas transferatur; Aut ſaltem ſtatim à venæſectione clyſter infundatur. ℞ *folior. malvæ, altheæ, violariœ, cucurb. melon. lactucæ ana M. j. hordei, furfuris ana P. j. Prunor. Par. v. ſeminis aniſi* ʒ ß. *In colat.* ℔ j. *diſſ. caſſ. vel diapr. vel cathol.* ℥ j. *mellis viol. butyri recentis ana* ℥ jß. *olei violati* ℥ ij. *M. F. clyſter.* & hoc ſemel dixiſſe ſufficiat, ne inutiliter in poſterum repetantur.

An ad animi deliquium ſanguis mittendus.

XVII. Sed quantitas ſanguinis mittendi valdè dubia eſt. Vult enim *Galenus* in utraque ſynocho ſanguinem ad animi deliquium educendum, quod remedium tùm ratione, tùm experientiâ inniti aſſerit 9. *meth.* 4. namque corpus in contrarium ſtatum deducitur, ab animi deliquio refrigeratum, cui ſuccedunt alvi dejectio, vomitus, ſudoreſque, quoniam nutura humoris noxii vacuatione recreata, faciliùs reliquum expellit. Aliis remedium hoc ſuſpectum eſt, voluntque *Galenum* animi deliquium non includere, ſed excludere, cum tamen ſcribat manifeſtè *loco citato*, ſe de induſtriâ ſanguinem mittere, quoad æger animo deliquerit, includens non excludens lipothymiam. Quidam diſtinguunt lipothymiam à ſyncope, quæ eſt præceps virium lapſus, ajuntque ſanguinem ex *Galeni* præceptis educi debere non ad ſyncopen, ſed tantùm ad lipothymiam, quæ levis eſt affectio, levibuſque ex cauſis gaudio, timore, irâ, ſolet provenire, facileque ſanatur. *Libro de phlebot.* Duos ægros recenſet *Galenus* quos liberali hâc vacuatione perfectè ſanavit liberavitque, triaque illius commoda recenſet. Primum totius corporis refrigerationem; ſecundum, alvi purgationem, biliſque vomitum. Tertium, ſudorem mollem toto corpore manantem. *Eodem* tamen *libro* tres ægros narrat qui nimiâ ſanguinis miſſione mortui ſunt. *& 9. meth.* tria incommoda recenſet tantæ vacuationis, *primum* ne repente effuſo ſanguine moriantur: *ſecundum*, ne poſt breve tempus, nondum finito morbo & proſtratis viribus id accidat: *tertium*, ne ægritudo diuturna permaneat, aut cachexia, aliave pernitioſa diſpoſitio introducatur. Præterea non videtur animi deliquium menſura idonea venæſectionis, tum quoniam quidam ſunt adeo animoſi

ut

ut plures ſanguinis libras conſtanter ſine deliquio ferre poſſint, alii ſtatim ante ſufficientem ſanguinis vacuationem animo linquuntur. Tum quia etiamſi ex largâ vacuatione ſuccedat animi deliquium, nihilominus tamen repeti etiam venæſectio poteſt, ut ſæpiùs experientiâ comprobatum eſt. Habebam nuperrimè ægrum ſynocho laborantem, cui quinquies ſanguis miſſus fuit ſatis abundè, tandemque ex vacuatione animo deliquit, nec ſuccederunt vomitus, dejectiones, ſudores, ut vult *Galenus*, hæc enim perpetuò non contingunt, illi tamen cum urina rubra & craſſa permaneret ſanguis ſequenti die miſſus fuit iterum, ad uncias ad minimum decem, meliuſque habuit, ex quo conjiciendum lipopſychiam non eſſe terminum quo educendi ſanguinis quantitas debet æſtimari. Abſurdum eſt inquit *Thriverus in aphor.* ægrum ad eum ſtatum deducere quem Medici reformidant, contra quem perpetuò pugnant. *Hippoc.* terminum bonæ vacuationis ægri εὐφορίαν conſtituit, at animo delinquere & facilè ferre contraria ſunt. Sed præ cæteris *Averrhoes* hoc remedium improbat 7. *Collig.* variis rationibus. *Primò* Medicus eſt imitator naturæ, ſed natura nunquam vacuat ſanguinem ad animi deliquium, niſi forſan in criſibus malis, quando expellens irritata, aut retentrix imbecilla, plus effluere ſinit, quam corpus poſtulet. Reſpondet *Augenius* Medicum imitari quidem naturam, ſed tamen plurima facere quæ natura ipſa non poſſit, ut luxata reponere. Ars vacuat humores turgentes, in morborum principiis, natura nunquam. *Et 4. aphor.* dejectiones verſicolores malæ ſi ſint à naturâ, bonæ verò ſi ſint à medicamento. Quin imo ſæpè natura in criſibus ſalutaribus & bonis, ſanguinem evacuat per uterum, hæmorrhoides, nares ad animi deliquium, hinc *Avic. fen. 17. doct. 3. cap. 2.* fluente ſanguine per hæmorrhoidas, non vult illum eſſe compeſcendum, donec æger cadat in ἔκλυσιν. *Secundò* vacuatio tantum ſuperfluum debet evacuare, ſed hæc venæſectio unà cum inutili, etiam utilem humorem educit. reſpondeo laudari vacuationem tam largam tantùm in plethoricis qui eam ferre poſſunt, nec tantum laudari propter ſanguinis vacuationem; ſed propter refrigerationem, ut naturâ recreata; poſſit per alvum, vomitum, ſudores reliquum humoris morbifici expellere; Nec enim noxius humor totus vacuatur, cum natura vacuatoribus prædictis, etiam poſt venæſectionem aliquid expellendum habeat. *Tertiò* remanent in corpore humoris putridi, qui immodicâ hâc inanitione debilitato calore nativo, non poterunt concoqui magiſque corrumpentur.

Hiſtoria. *Rationes Averrhoes. Prima* *Secunda.* *Tertia.*

Fallitur tamen *Averrh.* Non enim debet tanta esse vacuatio, ut vires prosternat, quin potius ut eas recreet, alacrioresque fiant ad morbum profligandum, cum enim ventilatio, transpiratioque ægris restituatur, putredo faciliùs curatur, & quæ futura est prohibetur. *Quartò* vacuatio ad deliquium refrigerationis causâ imperatur. Sed hoc remedium operatur tantum per accidens, refrigeratio enim sequitur penuriam sanguinis & spirituum, quæ est nociva. Respondeo idem dici posse de purgantibus quæ febrem tollunt, & refrigerant per accidens. Quod si omnia quæ hoc modo operantur remedia tollamus, universam pariter artem evertere necesse erit. Præterea etsi refrigeret per accidens, causam tamen febris per se adimit, quæ non posset refrigerantibus & alterantibus temperari. *Quintò* his addere possumus argumentum *Celsi lib. 2. cap. 10.* scribit *Hippocrat. 6. aphorism. 27.* *Qui suppurati, aut hydropici, utuntur aut secantur, si pus & aqua confertim fluxerit omnino moriuntur.* Ergò si non licet inutiles humores confertim & semel evacuare, pariter non licebit sanguinem naturæ familiarissimum tam abundè profundere. Respondeo diversam esse rationem hydropicorum & synochæ febris, in illis vires sunt attritæ, & debiles quæ facile concidunt qualibet vacuatione. In hac sunt constantes, nec nisi plenitudine humorum gravantur, quâ demptâ statim natura erigit sese & alacrior evadit. Animi deliquium non adeo adversatur ægri tolerantiæ, quia statim abit sine gravi ullâ virium jacturâ, ut experientiâ quotidianâ patet.

Quarta. *Quinta.*

XIIX. Hæc omnia addidimus, ne terreatur Medicus si quando largæ sanguinis profusioni succedat leve deliquium, non ut quempiam hortari velim ad tam largam sanguinis missionem. Satius enim est sequi recentiorum consilium, sanguinisque missionem iterare etiam sæpius, donec indicationi satisfactum sit, quam simul & semel tam abundè evacuare, quia periculosa est subita mutatio, nec vires eorum satis perspectæ esse possunt, cum quibus antea non sumus versati, ut quoque diximus *cap. de synocho simplici.* Secanda autem est basilica dextra, propter hepar qui fons est & origo sanguinis & plethoræ, nisi ob hæmorrhoidum, menstruorumque retentionem febris hæc generetur, tunc enim aliarum venarum sectio prodest, ut in illis affectibus dicetur. Loco venæsectionis si eam vires non ferant, hirudines, scarificationes, cucurbitulæ laudantur, rarò tamen solent vires abesse, in ejusmodi affectu.

XIX. Ve-

XIX. Venâ secta humores sunt alterandi & præparandi, ut naturâ vel arte possint postea evacuari, id præstant syrupi refrigerantes putredinemque coërcentes, cum aquis accommodatis, qui eligendi sunt secundum ægrotantis dispositionem, nam alii leniunt, alii incidunt, alii incrassant, siquidem si alvus fluit, *syr. granat. oxysacch. de limon. de acetosit. citri*, *Iulep alexand. tinctura rosar. conserva rosar.* conveniunt, quia simul putredinem arcent, & adstringunt. Si alvus sit adstricta, *syr. violar. de cucurb.* quia leniunt, *de fumar. de cichor. de endivia* quia abstergunt. Sanguis crassior attenuabitur leviter incidentibus, & acidis, tenuior incrassabitur decocto lentium & jujubar. *ex Avicen.* Si vigiliæ adsint adde papaver; si tussis, cavendum ab acidis, *ut granatis, limon.* sed addantur *passulæ, sebesten, jujubæ*, in cardiacâ adde rosas, santal. spodium, cornu cerui, rasur. eboris; in alvi constipatione *pruna dulcia, tamarindos.* Aqua distillata ex *Anguria* secretum quibusdam est in his febribus remedium. ℞ *succi anguriæ* ℔ j. *sacch.* ℔ ß. *coque in syrupum.* *Alterantia.*

XX. Apparente coctione nullum remedium aquâ frigidâ præstantius, refrigerat, humectat, calorem extinguit, & demum vacuationi humoris febrilis opitulatur, servatis tamen quibusdam conditionibus. Prohibent enim ejus potum *Primo* humor crudus & crassus, quia illius concoctionem impedit. *Secundo* si viscera fuerint imbecilla. *Tertio* si in iis fuerit inflammatio, aut dolor, adsitque mala nervorum affectio. *Quarto* si calor innatus fuerit imbecillior, corporisque constitutio frigida. *Quinto* si æger non fuerit assuetus potioni aquæ frigidæ, quibus addit *Avicenna* corporis extenuationem. In his casibus si detur, sequuntur incommoda quæ *Galenus* recitat, scilicet lentorum, crassorumque humorum digestionem prohibet, imbecillas corporis partes concutit, nonnullis spirandi difficultatem, tremorem, & convulsionem conciliat. Contra si humor fuerit calidus, ut bilis & sanguis, aut saltem concoctus, si corpus fuerit carnosum, si calor innatus plurimùm abundet, si virtus sit robusta, si viscera omnia sint sana, si naturalis constitutio non fuerit frigida, si demum æger illi assuetus fuerit, nullum præstantius ad febres extinguendas remedium poterit excogitari. Quas omnes conditiones ad tres reduxerunt Galenus xj. meth. 9. & Paulus lib. 2. 18. *Ergo si vires cunctæ valentes sint, & febris ardentissima, coctionis notæ evidentes, frigida detur audacter.* Sed capite 28. cæteras condictiones exprimit. Verumtamen *Hippocrates* 3. acut. 40. nul-

Formulas horum remediorum varias seq. cap. lector habebit; semel dixisse satis est.

Aqua exhibendæ conditiones.

Objectio. nullam se potuisse frigidæ utilitatem in acutis morbis percipere testatur, quin potius multa ejus narrat incommoda, ut quod longo tempore moretur in ventriculo, difficulter concoquatur, fluctuationes pariat, *Solutio.* neque urinas, neque sudores moveat. *Respondeo* aquam frigidam exhiberi vel ratione potus, vel ratione medicamenti, *Hippocrates* & *Galenus* aquam damnarunt in potu, quod prædicta contineat pericula, non sunt autem intelligendi de aquâ ratione medicamenti, adeo ut videatur minus probare ψυχροποσίαν non quatenus pertinet ad facultates refrigerandi & humectandi, quæ oriuntur ex primis qualitatibus, sed ratione secundarum & tertiarum, cum aqua neque incidat, neque abstergat, neque urinas, aut sudores moveat. Itaque licet paulatim assumpta noceat, copiosius tamen epota refrigerando & humectando, & per varias partes vacuando insignem operam præstat. Rhazes sui temporis Medicos ridet, qui ab ejus potu crisin retardari ajebant, eamque maximè commendat, duabus de causis, scilicet quia contraria est febri, & ejus symptomata sedat, dolorem capitis, æstum, sitim, vigilias. contra- *Objectio.* rius tamen videtur *Hippoc. lib. de locis in hom. In potu*, inquit, *exhibenda* * *calida, & mulsa, & acetum cum aquâ, eaque sæpius propinanda, potus enim minimè frigidus assumptus, cum calidus sit, & maneat, ex ægro corpore detrahit, sive per urinas, sive per sudorem; undique enim apertum corpus & respirans, ac* *Solutio.* *motum faciet.* Unde non frigidam, sed tepentem aquam ad diaphoresin commendat. Respondeo hoc intelligi debere post purgationem, & in declinatione morbi, ad reliquias putridorum humorum vacuandas, non in augmento aut statu, quando vacuare non est consilium, tuncque frigida ad extinguendum febrilem ardorem prodest.

XXI. Nunc paulò plenius explicandæ sunt aquæ exhibendæ conditiones considerandæque sunt res naturales, non naturales, & præter *Res præter naturam.* naturam, à quibus incipiemus. Convenit itaque tantum in calidâ & siccâ intemperie quoniam frigida & humida est; Est autem intemperies vel totius corporis, vel alicujus partis, vel cum materiâ, vel sine materiâ, quibus omnibus frigida prodest, ut in calidâ & siccâ ventrinculi intemperie, in febribus sanguineis, tertianis, ardentibus, pestilentibus, hæcticis, ephemeris, in ipso eresypelate, quod affirmat *Galenus 9. meth.* aliter non posse sanari. Attamen *eodem libro* scripsit. *Quibuscunque in principe parte aliquis tumor consistit de genere inflammationis, œdematis, aut scyrrhi, his frigidam dare non convenit.* Respondeo id verum esse in aliis tumoribus, sed non in eresypelate exquisito. Ubi tamen metus

tus est ne ex phlegmone hectica febris contingat, phlegmonem augere non veremur *14. meth. cap. 6.* Quod causam morbi & symptomata attinet, si fuerint humores frigidi, crassi, crudi, symptomata sint ejusdem naturæ, certum est frigidam esse valde noxiam, contra si tenues fuerint calidi, & concocti, usus illius maximè est opportunus. Inter res non naturales unus occurrit aër, sub quo anni tempus, regioque continentur. Potissimum itaque convenit frigidæ potio, in aëre calido, minus in frigido, sicque opportunissima est ætate, cœli constitutione, regioneque calidis. Attamen si aut febris ardens, aut synochus hyeme urgeat, nihilque repugnat, tutò & audacter poterit propinari. *Res non naturales*

XXII. Ad res naturales pertinent temperies, habitus corporis, ætas, sexus, consuetudo & similia. Si enim æger temperiem habuerit frigidam aut totius corporis, aut principum partium, ventriculi, jecoris, cordis, pulmonis, huic frigida non convenit, sed tantùm temperaturis calidioribus, maximè si sanguine & spiritu æger abundarit. Hinc intempestivo illius usu plurimi in aquam intercutem, spirandi difficultatem, tremorem, convulsionem, soporem, lethargum inciderunt, in summâ gulam, ventriculum, intestina, omne nervosum genus, & caput offendit. Ætatem quod spectat, non convenit senibus, quia vires habent debiliores, caloremque imminutum, nec pueris propter naturalem infirmitatem, & nervosi generis mollitiem, sed tantùm robustis, & ætate florentibus. Si habitum corporis spectemus, non convenit gracilibus, neque extenuatis, hujusmodi enim corpora, ut ait *Galen. 2. aph. 28.* debilia sunt, parumque habent sanguinis, unde eorum viscera vehementer & statim ab aquâ offenduntur. Si objicias *Galenum 10. method. 5.* ægro cuidam extenuato, ne caderet in hecticam aquam plane gelidam dedisse. Respondeo dedisse quidem, sed neque copiose, neque semel, verum pluribus vicibus, idque potius pro potu, quam pro medicamento, sic scribit *9. meth. 5. febres hecticæ aquam neque multam, neque planè gelidam desiderant.* Sunt tamen quidam graciles qui venas habent amplas, plurimumque sanguinis, quibus si febribus ardentibus laborent, quæ sunt illis familiares, tutò & utiliter frigida debet & potest propinari. Sexum quod attinet, quamvis certum sit magis convenire viris, ut pote robustioribus & calidioribus, utrique tamen sexui competit, dummodo adsint requisitæ conditiones. De prægnante major est dubitatio, nisi enim detur, ægra de vitâ periclitatur.

Res naturales. Temperies.

Ætas.

Habitus.

Sexus. An conveniat prægnantibus.

tatur. Si detur extinguet calorem fœtus, qui minus refrigeranti causæ resistere potest, quam mater. *Herculanus* qui solus hanc difficultatem movit, putat anceps hoc remedium omittendum, cum alia suppetant, ut *aqua hordei saccharata*, *syrupus acetosus*, aliàs infamia Medico continget, si infans pereat. Sed non minus periculum est in prædictis, quam in aquâ, si frigida, eademque quantitate præscribantur, non enim aqua lædit quâ aqua, sed quâ frigida, affatimque & copiosè sumpta. Non minus ergo noxia erit aqua hordei si frigida, copioseque assumatur, eodem siquidem res redit. Sed non adeo lædi potest fœtus, datur enim tantùm in summo ardore, à quo fœtus magis periclitatur. * Deinde temperat tantùm sanguinem matris, si non extinguit calorem matris quam tangit immediatè, multò minus calorem pueri, qui non nisi mediante sanguine materno afficitur. De consuetudine dubium est an sit necessaria conditio. Respondeo non esse, adeo ut si cæteræ affuerint conditiones, etiamsi hæc desit, licet tamen frigidam exhibere, quod si simul cum cæteris accedat, tunc certi sumus viscera illius occursum familiariter innoxiè tolerare, audacius ergò & promptius potest administrari.

Consuetudo.

XXIII. His finem imponam, si prius explicavero qua quantitate, quo tempore, & quænam aqua sit propinanda. *Avicennas* eam exhibet, donec æger fiat viridis, & rigore corripiatur, sed periculum est ne calor nativus extinguatur, & obruatur. *Galenus* vero 8. methodi tantum propinat quantum ægro bibere libet, sic flammâ extinctâ natura roboratur, quod tutius certiusque est consilium. Tempus quod spectat, Galenus illam prohibet ante coctionem, quamvis enim febris ut febris est proprium remedium sit frigida, cum illius calori & siccitati utraque qualitate repugnet. Attamen eadem frigida non est remedium humorum putrescentium, nisi quatenus per alvum, sudorem, aliasve vias, à naturâ frigidæ potu recreatâ, dejiciuntur; cumque utiliter hæc vacuatio ante coctionem fieri nequeat, ideo ante coctionem non licet frigidam administrare, nisi in imputri synocho, in quâ sanguis temperari tantùm debet, non evacuari, quia nulla putredo, cruditasve fatigat. In febribus quoque pestilentibus, & syntecticis, frigida statim, & in magnâ copiâ exhibenda est, quoniam urgentiori semper est occurrendum. Sed quæritur an in die criticâ liceat illam præscribere, quod omnes firmè asserunt, quia natura quæ excretionem molitur, roborata, facilius crisin perficit; Quod tamen non placet

Quantitas aqua.

Tempus.

An in die criticâ.

placet *Massaria*, ne critica evacuatio aut retardetur, aut contrarius naturæ motus succedat, nam *ex aphorism. 20. lib. 1.* die criticâ nihil movendum, innovandumque est. At aqua non movet, sed tantùm naturam roborat, ideo non sicut catharcticum, aut venæsectio, crisin impedit, quin potius naturæ in motibus suis perficiendis opitulatur. In morbis qui per paroxysmos affligunt, in statu ipsius accessionis convenit *9. meth. cap. 5.* Tunc enim incendium visceribus conceptum, partes principes, nervosumque genus propugnat, quominus insigni & repentinâ aquæ frigitate lædantur. Hic addenda videtur præclara *Avicennæ* sententia cap. de synocho. *Cavendum ne infrigidantia dentur ante phlebotomiam & purgationem, nam obstructiones augent & putredinem.* quamvis enim *Galenus* videatur haustum hunc aquæ, *agonosticum* à quibusdam vocatum, præscripsisse, quando omissa fuit venæ secandæ occasio, tutius tamen datur, si venæsectio præcesserit, citius enim coctio succedit, antequam frigida non est danda, citiusque illius frigiditas per venas in universum corpus penetrat. Aquam ipsam quod spectat *Galenus* simplicem è puro fonte haustam tantùm commendat. Sed in iis qui illius usum reformidant, nullam rationem video cur aut decocta, aut saccharata, aceto addito, syrupisque refrigerantibus, aut aqua hordei non possit pari cum utilitate propinari. Quænam autem aqua eligenda sit fusè explicat *Aetius, & Gal. 3. de rat. victus 40.* optimamque eam esse dicit quæ est purissima, omnia alienâ qualitate destituta, si nullum habeat, saporem, aut odorem, si pellucida sit, & sincera, de qua alibi diximus.

An in paroxysmo.

Qua aqua propinanda.

XXXIV. Si frigidam exhibere non liceat, purgantia erunt ex usu, tum quia sanguinis quædam partes in utramque bilem facessunt, tum quia sanguis à reliquis humoribus expurgatus, depuratur. Levioribus tamen utendum, ut cassiâ, sero lactis, rhabarbaro, manna, myrobalanis, tamarindis, sennâ. ℞ *rad. oxalid.* ℥ ß. *cichor. totius, endiv. scariol. capilli vener. ana* M. ß. *semin. cucum. cucurb. ana* ʒ j. *sennæ* ℥ ß. *sem anisi* ʒ ß. *flor. viol. samb. ana* P. ß. *santali citrini* ℈ j. *f. decoct. ad* ℥ iij. *infunde rhab.* ʒ j. *dissolve syr. ros. solut* ℥ j. M. *f. potio.*

In diata favorum.

Purgantia.

XXXV. Post hæc roborantibus utendum tùm internis, tùm externis, quæ principes partes cor & hepar refrigerent, quæ sequenti capite explicabuntur. Saccharum rosatum maximè prodest, quia non facile in bilem vertitur. ℞ *conservæ rosar.* ℥ j. *conservæ nymph.* ℥ ß. *pulveris diamarg. triasant. ana* ʒ ß. *sacch. ros. tabulati q. s. f. conditum.*

Roborantia.

vel ℞ *conservæ viol. borrag. buglos. ana* ℥ ß. *pulveris margarit.* ʒ j. *coralli, crystalli ana* ʒ ß. *oßis de corde cervi, vel bovis* ℈ j. *sacch. q. s. f. conditum auro coopertum.* Plura & magis composita à Medico præscribi possunt, sequenti capite materiam horum indicabimus. Extrinsecus epithemata applicantur & inunctiones, hepati & cordi, quorum paradigmata in affectuum cordis & hepatis curatione describentur, & in remediorum formulis, ne remedia hæc quæ quilibet tyro præscribere commodè & facile potest, sæpius inutiliter in libris nostris repetantur. Propterea deinceps rarò *clysterum, purgationum, juleporum, apozematum* descriptiones hic lector inveniet, sufficiet methodum medendi, materiamque Medicam indicasse.

XXXVI. Solet etiam in his febribus relinqui incendium in dorso & renibus, quia per illas partes perreptant venæ magnæ & arteriæ, in quibus cum maximè ferveat sanguis, etiam post febrem relinquitur intemperies quæ molestiam parit, quapropter renes sunt refrigerandi, *oleis rosato, violato, &c. unguento rosaceo Mesue cum camphora.* Sed *Galenus* inter refrigerantia externa principem locum attribuit suo cerato, quo adversus eresipelata, & inflammationes uti consuevit. Fit ex *ceræ albæ lotæ* ℥ j. *olei rosati omphacini* sine sale præparati ℥ iij. liquentur in duplici vase, addatur tantùm aquæ frigidissimæ, quantum molliendo poterit accipere, cui si parùm *aceti albi* tenuis & clari admisceatur, efficacius fiet medicamentum. Cum magis refrigerandum est, *succum psyllii, sempervivi, solani, portulacæ* & similium addere non erit inutile. Modum autem abluendi ceram describit *Galenus 2. simpl. 15.* Monet autem mutandum assiduè medicamentum, priusquam incalescat, ne calorem ingeminet, ac demum tantummodo parti calidiori admoveatur, *ut thoraci, cordi, renibus, hepati.* Unguentum verò rosatum *Mesue* minus isto refrigerat, & præterea rancescit, ideo *Galeni* unguentum præferendum, quia ex tempore parari potest.

Ceratum refrigerans Galeni. Vide Gal. 10. meth. cap. 9. 7. simplic. cap. 6. & 6. de tuenda sanit. cap. 14.

XXXVII. Ultimò laudant veteres Balneum aquæ tepidæ, quidam etiam frigidæ, sed suspectus esse debet illius occursus, ne calorem febrilem, putridosque vapores intus coërceat. Tepida autem corpus refrigerat, & relliquias materiæ resolvit. Sed nostro tempore sine balneo hæ febres curantur.

CAP.

CAP. II.

De Febribus biliosis, & primo de tertianâ exquisitâ.

I FEbris biliosa est quæ ex putrescente bile generatur; Hæc ferme causa est omnium febrium, aut saltem sese cæteris humoribus immiscet, ut docuimus ex *Hippocrate*. Est autem vel continua, vel intermittens. Continua ex humoribus fit in vasis putrescentibus, *vel minoribus*, tuncque tertio quoque die exacerbatur, *vel majoribus* & cordi proximis, tuncque febris ardens dicitur. Si quæras cur materia interdum propellitur extra venas, interdum in iis remanet, facilis erit ex supradictis responsio, humorem expelli, quando facultas expultrix robusta est, viæ patentes, & expeditæ, sine obstructionibus, humor non ità multus, aut crassus. Contra retineri, ubi multus est aut crassus, viæ impeditæ, obstructiones adsunt, neque facultas ità valet. Intermittens autem vel habet accessionem quæ intra duodecim horas terminatur, & vocatur tertiana exquisita, vel longiorem habet paroxysmum, ita tamen ut ἀπυρεξία sit longior ipsâ accessione, quæ simpliciter tertiana vocatur. Quæ autem productam habet accessionem, & breve intervallum, tertiana extensa nominatur, ex *Galeno 2. de differ. febr. cap. 8*. Avicennas aliam profert divisionem, *Galeni* tamen placitis consentaneam, ex parte materiæ putrescentis. Quæ enim fit ex sinceræ bilis putredine exquisita est, quæ verò alios humores admistos habet, notha, sive spuria nuncupatur. In quâ mistione necesse est humores simul uniri, ut ex utrisque una forma resultet, nam si humores seorsim putrescant, duæ erunt febres, ut in hæmitritæo, & duabus tertianis; de quibus omnibus dicemus.

II. Exquisita igitur tertiana ex putrescente flavâ bile accenditur, extra venas motâ, & tertia quoque die redit, eam *Galenus* optimè describit 2. de diff. feb. cap. 5. Tertiana exquisita est, *quæ fit à bile per sentientes corporis partès delatâ, cum rigore invadens, & ardentis febris similitudinem gerens, & bilis vomitibus, aut dejectionibus, aut sudoribus, vel horum quibusdam, vel omnibus solvitur, cujus accessio duodecim ad summum horarum æquinoctialium spatio finitur*. ex bile humore calido siccissimoque generatur, & sero *bilis 4. acut. 2*. proinde eos invadit qui habitu gracili, naturâ calidi, siccique sunt, quique maximum bilis fecerunt pro- *Tertiana exquisita.*

ventum, ex causis ipsam generantibus, quales vel materiam suppeditant, ut alimenta pinguia, dulcia, calidæ siccæque naturæ, ac tenuis substantiæ, vel efficiunt ut corporis, viscerumque constitutio calida, sicca, ætas juvenilis, æstas, vigiliæ, ira, corporis nimii motus, quæ causæ quò vehementiores sunt, eò bilem magis adurunt, & nunc hanc, nunc illam, illius speciem producunt. Aliæ causæ bilem in corpore detinent, ut suppressa & impedita illius à jecore, & vesiculâ fellis in intestina evacuatio. Hæc si putrescat in vasis cordi proximis febrem facit ardentem, si extra vasa, exquisitam intermittentem. Scribit *Averrhoes 4. Collig. 28.* non esse necessarium omnes febres quæ tertio quoque die repetunt esse à bile, & *Galenus* ac *Avic.* eos reprehendunt Medicos qui ex tertiano circuitu febrem biliosam esse judicant.

* *Quæstio.* Nostro tamen tempore omnis tertiana periodus bili refertur accepta, ita ut etiam *Galenus* voluerit *1. aph. 12.* pleuritides quæ fiunt à sanguine bilioso, tertia quâque die exacerbari. Verùm ut diximus in *quæstione de periodis*, quæ prohibet bilem multam & tenuem quotidie, aut paucam & crassam quarto tantùm die moveri, sicut melancholia potest facere periodum quintanam, & sextanam, quidni faciet quoque tertianam. Utplurimùm tamen non tantum tertiana, sed & quælibet febris fit à bile.

III. Fernelius vult bilem putrescere in propriâ cysti, & circa viscera, quam sententiam *libro secundo* explicavimus, fieri nequit intermittens ex bile in proprio folliculo putrescente, potius erit continua, ut eo loco diximus, sed putrefit in habitu corporis, aut circum viscera, ut ostendunt rigor, lassitudo ulcerosa, quæ in principio paroxysmi fatigant, sudor paroxysmum finiens, quia eo sudore causa febris vacuatur. Quæret quispiam quomodo bilis putrescat, cum obstructionem parere non possit, quæ causa est putredinis? Fit enim obstructio ex humore multo, crasso & lento. At bilis nec crassa est nec lenta. Respondeo bilem vitellinam crassam esse & obstructionem parere, vel quotiescunque aliâ quâvis ex causâ obstructio fit in corpore, bilis putrefieri potest & febris accendi. Ideo *Galenus* etiam in febribus à bile utitur *origano, hyssopo* ad obstructiones solvendas quas crassus humor parit, non ipsa bilis.

An ab aliis bilis speciebus fieri possit.

IV. Nec tantùm à bile simplici, sed ab æruginosâ, vitellinâ, porraceâ fieri potest secundum quosdam, ut ostendit experientia purgatis per alvum & vomitum hujusmodi humoribus febres tertianas finiri;

scri-

scribit *Galenus 5. aph. 1.* se vidisse juvenem qui expurgatâ per vomitum bile æruginosâ, à febre & convulsionibus liber evasit. Vidimus nos mulierem quæ in singulis paroxysmis bilem vomebat æruginosam & vitellinam interdum. De his febribus doctè tractat *Averr. 7. Colliget. cap. xj.* ubi docet eas potissimum quæ fiunt ex bile æruginosâ, habere accessiones longas, periculosa symptomata, & esse admodum exitiales. Eas quoque admittit *Avenzoar capite 6. lib 3. Theizir*, quas vocat fraudulentas & perniciosas. At *Conciliator* negat dari febres ab ejusmodi bile generatas, ob malignam & venenatam humoris naturam. *Massaria* eas reponit inter spurias, sed sine ratione, & authoritate, cum potius inter exquisitissimas debeant numerari. *Ludovicus Mercatus* perniciosas quasdam tertianas describit, inter quas eas recenset quæ ab ejusmodi humoribus procreantur. Rationes *Consiliatoris* potissimum duæ sunt. *Prima* quæ sunt valde ignita non putrescunt, quia calida sicca, ut prædicti humores: Ergò nec febrem generabunt. *Secunda* oportet adesse tempus idoneum ad febrem generandam, sed hic non adest, quia humor propter malignitatem & venenositatem statim à naturâ expellitur. Sed Respondeo dubium non esse humores hos posse putrescere, cum omnia putrescant, imo nihil sunt quam bilis intensè putrefacta, si igitur retineantur facient febres, sed valdè malignas. Retineri autem contingit & in venis, & extra venas ob rationes à nobis alibi relatus. Dicit *Galenus* in febribus salutaribus nunquam rejici bilem æruginosam *3, de alim. cap. de melle.* Ideo *5. de loc. aff. cap. 3.* ait ejusmodi humores esse signa inflammationis jecoris, quibus verbis non negat, ut malè infert *Saxonia*, ex ejusmodi bile fieri febrem, sed negat eam esse salutarem, dicemus cap. de causo.

v. Ex his patent febris tertianæ differentiæ, quæ à variis petuntur. *A quantitate*, nam quædam horas 12. durat, alia minus, quia ex pauciori materiâ, aut saltem bilis ichore generatur, quæ febris benignissima est. *A qualitate*, aliæ sunt valde mites, aliæ violentæ, prout materia putrescens acris fuerit, nam bilis simplex generat febres benignissimas, acrior autem malignissimas, ut æruginosa & quæ ad hanc accedunt. *Differentia.*

vi. Causa est ut diximus bilis putrefacta: Pendet autem hæc ex causis superius à nobis enarratis. Potissimum ex jecore retorrido, unde scribit *Galenus*, tertianas semper fieri, jecore laborante. *Causa.*

Signa. VII. Signa ex quinque prædictis fontibus repetantur. *Primò ex calore.* Est enim calor valde acris, sed qui longo manus contactu facilè superatur, quia humor tenuis & calidus facile exhalat, ac citò discutitur, quod intellexit *Hippocrates* cum febres quasdam esse dicit valdè acutas, sed à manu victas. *Secundò ex pulsu*, qui in principio contractus est & parvus, postea vehemens, celer, quod magna sit refrigerationis necessitas. Nullam habet inæqualitatem, aut certè minimam præterquam febrilem, quia bilis tenuior est, nec ita gravat naturam ut melancholia & pituita, tùm quia non minor est refrigerationis ex diastole, quam expellendarum ex systole fuliginum necessitas, ut docet *Galenus j. ad Glaucon. cap. 5. Tertiò ex urinâ* quæ solet esse flava, aut flammeâ, substantia mediocris, & odore gravis in exquisita, nam ut docet *Avicennas* in nothâ potest urina esse cruda & crassa. *Quartò ex formâ febris*, nam tertio quoque die invadit, principium non est diuturnum, in augmento & statu symptomata increscunt; æger somnolentus non est, sed vigil, nisi in nothâ cum humores sunt crassiores, in quibus interdum sopor contingit, dolor adest capitis, vigilia, delirium, sitis, nausea, oris amaror, inappetentia, cardiogmos & similia, declinatio est cum sudoribus, & remissione omnium symptomatum. *Vltimò ex causis prægreßis* de quibus suprà diximus, ut ætate, regione, anni tempore, victus ratione, consuetudine, corporis habitu: Quibus addere possumus conjecturam Archigenis, de quâ *Galenus* loco citato, si biliosæ febres eo tempore sint epidemicæ. Et hæc sunt generalia signa febris biliosæ.

Signa intermittentis. VIII. Intermittens autem esse dignoscitur ex propriâ formâ. Incipit enim cum rigore valido & pungente instar acus, qua differt à quotidianâ in quâ sola adest refrigeratio, in quartanâ verò vehemens adest perfrictio, ossa ipsa quasi afficiens. Præterea tertianæ rigor primo statim die vehemens est, quia biliosus humor in morbi progressu à naturâ superatur, in quartanâ verò humor in dies magis ac magis putrescit, nec punctiones, sed vehementis refrigerationis sensum inducit. In tertianâ verò pauca est refrigeratio, tantùm ob caloris ad interiora recursum contingens, sed in quartanâ & quotidianâ frigus ad est ex ipsâ humoris qualitate, ut ait *Gentilis*. Quatuor igitur observat *Avicennas* in rigore tertianarum; *Primo* incipere cum horrore, deinde rigorem fieri majorem, ac deinde in dies minui, contra quam in quartanâ. *Secundo* rigorem esse pungentem instar acus. *Tertio* non esse

valde

valde frigidum. *Quartò* citius sedari quam reliqui rigores à materiâ frigidâ pendentes soleant. Præterea pulsus in principio sunt parvi ac debiles, mox in statu magni fiunt & veloces, nullam aut exiguam habentes inæqualitatem, præterquam febrilem: calor per universum corpus expanditur, sitis urget, homo uritur, ut se denudet, magnumque spiritum ducat, sed ex facili, tandem declinatio cum sudore fit ob materiæ subtilitatem, quam excipit omnium symptomatum remissio & ἀπυρεξία.

IX. Sed exquisita tertiana à notha differt in plurimis. *Primò* quod ejus accessio duodecim horas non excedit. *Secundò* in septem circuitibus judicatur longissima. *Tertiò* incipit cum rigore intenso & brevi, & terminatur sudore magno. *Quartò* quia in primâ, secundâ, aut septimâ die, urinæ cernitur concoctio, in spuria nequaquam. *Quintò* quia calor exquisitæ mordacior est & acrior, quam nothæ. *Sextò* quia paroxysmi ordine quodam antecedunt, aut postponunt, ob materiæ uniformitatem, & subtilitatem. Sed in spuriâ non servatur proportio, propter materiæ & crassitiem, & difformitatem. Quod si paroxysmi eâdem horâ invadunt, notha est ob materia crassitiem, *nam aphorismo 3. lib. 4.* Si paroxysmi eâdem horâ repetunt, morbus longus significatur, tertiana autem exquisita non solet esse longa. *Signa exquisita.*

X. Si à bile æruginosâ & prasinâ fiat, longos habet paroxysmos *inquit Averrhoes*, & pessima symptomata, quæ ita describit *Avenzoar*, Cum invadit paroxysmus, *angustiantur multum patientes, & habent inquietudinem magnam cum siti validâ, & alienationes varias, atque magnas, jactant se per lectum huc & illuc, cum instantiâ vigiliarum, & pulsus eorum est durus, parvus, & diversus, & pro majori parte finis hujus febris est malus. Et accidentia quæ supervenient sunt pessima & fraudulenta, & deceptoria, urina ad viriditatem, vel nigredinem tendit, & hypostasis ejus etiam est talis*; & hæc omnia ex malignitate humoris dependent, unde febres hæ sunt valdè periculosæ, vixque infirmi evadunt, ut *idem* docet, *si hypostasis nigra sit in medio, moritur patiens in brevi, si sit in fundo, adhuc citius. Quod si in die criticâ incipiat apparere urina nigra sine hypostasi est signum salutis, nam hypostasis nigra est semper mala, quia ostendit debilitatem virtutis in digerendo, nam natura quando est fortis, convertit hypostasin ad albedinem.* Sed *Averrhoes* impossibile esse putat, quenquam ab hoc morbo evadere. Ipse *Galenus* in febribus salutaribus nunquam vult rejici æruginosam bilem. *Signa bilis prasinæ æruginosæ.* *

lem. Juvenis tamen de quo *5. aphorism. 5.* vomitu æruginoso à febre & convulsionibus liber evasit, & experientia ostendit etiam post humorum acrium istorum rejectionem plurimos ægros fuisse sanitati restitutos.

Prognostica. XI. Simplex autem tertiana salubris est, nec ulla ratione sui lethalis, *5. Epidem.* unde *aphor. 59. sect. 4. In septem periodis longissima judicatur.* Dixit tamen *in Coacis* terminari novem circuitibus, sed & sæpe ante septimum paroxysmum, scilicet quinto, imo & tertio solutas videre licet. Quod sunt in continuis dies, id sunt in intermittentibus paroxysmi, unde secundum eandem numerationem, earum fiunt crises. Solvitur ergò tertiana hoc tempore si nullus error ab ægro aut Medico committatur, nam ut docet *Trallianus* si malè curetur redditur insanabilis, aliàs ulterius prorogari non solet ob humoris tenuitatem & fervorem, qui eo temporis spatio absumpto fomite, ipse quoque consumitur. Sed si bilis sit crassiuscula, ait *Forolivienſis,* accessiones poterit producere, & crisin ultra septimum circuitum prorogare; sed hæc febris non potest esse pura, sed potius notha. Scribit *Galenus 2. de crisib. cap. 3.* Si urina subflava fuerit, & mediocriter crassa, & paulò post vel nebulam albam, vel enæorema bonum habuerit, quartum non excedit circuitum, nebula alba est certissimum criseos futuræ indicium *aph. 71. lib. 4. Quibus septimo die fit crisis, iis nubecula rubra quarto die in urinâ apparet, & alia adsunt secundum rationem,* est enim quarta index septimæ, quod si rubicunda nebula bona est quarta die, inquit *Galenus,* multo magis si alba fuerit, si laudabile enæorema adsit, in morbo autem acutissimo sola caloris & substantiæ mutatio sufficit. Meminit autem solius nebulæ rubræ; quoniam hæc rariùs accidit, ruber enim calor indicat coctionem inchoatam, albus vero progressam, partes enim solidæ quæ in humorum coctione operantur, sunt albæ unde materiam morbificam sibi similem reddunt. Nubecula autem rubra rarior est, & quidem hunc colorem salutarem esse ait *Hippoc.* sed diuturnioris morbi signum, *in prognost.* Et *in Coacis* sic scribit, *aphor. 7. lib. 4. Nebulæ in urinis albæ quidem & fundum versus utiles, rubræ autem lucidæ, nigræ difficiles,* unde rectè ait *Galenus,* signum hoc non esse perpetuò verum, & tantum in morbis qui citissimè moventur, nam si undecimo appareret, tres dies non sufficerent ad plenam morbi coctionem absolvendam, ut crisis decimo quarto contingat, quoniam nebula rubra levem tantum coctionem indicat, quæ si citò non appareat, non potest

citò

citò perfici, unde profitetur ſe rarò quam in quarto die ejuſmodi nubeculam vidiſſe, cum vero eam ſeptimo obſervavit, criſis ad 14. prorogata fuit. Addit deinde *Galenus 2. de criſ.* ſi urinæ ſint flaviores, nec enæorema, aut nebula in primo circuitu apparuerit, ad ſeptimum uſque extendetur, quia nulla adſunt certa coctionis in primo circuitu indicia, Deinde ſubdit. *Omnium febrium ſimpliciſſima eſt, quæ habet exquiſitæ tertianæ indicia, & hypoſtaſin albam, levem, & æqualem, hæc enim tertium circuitum non tranſcendet.* Sed etiamſi ex ſe ſit ſalutaris, interdum tamen, ut obſervat *Saxon.* movetur humor ad os ventriculi, unde qui illud habent valdè ſenſile, ex cardialgiâ incidunt in ſyncopen, & moriuntur, quod tamen non eſt perpetuò verum, nam ſæpe & ordinariè movetur humor in principio paroxyſmi ad os ventriculi, qui vomitu utiliter excluditur, & vidimus convulſiones & cardialgias ſingulis paroxyſmis ex bile æruginosâ enatas, quæ ejuſmodi bilis vomitu ſedabantur, morbuſque ſeptimo paroxyſmo ſolutus fuit. Circa hæc coctionis ſigna, quæ celeritatem ſolutionis oſtendunt, monet *Amatus*, ſi duplex ſit tertiana, ea non eſſe certa, niſi de unâ tantùm, quæ alterâ remanente ceſſare poteſt. Præterea quando tertiana ſolvitur, ea aut vomitibus, aut ſudoribus, aut dejectionibus terminatur, rarò per urinam. Labiorum & narium exulcerationes febris finem ſignificant *6. Epid. ſect. 8. aphor. 41.* Sic igitur iſtius febris longitudinem & brevitatem cognoſcemus, ex accidentibus, & paroxyſmis, ſi enim ſecundâ acceſſione omnia fuerint fortiora, & in tertio incipiant remitti, quarto finietur. Sed ſi ſeptimo terminari debet, in quarto morbus erit in ſtatu, & quinto ſymptomata incipient remitti. Unde jubent Arabum interpretes, ut prædicant Medici quartum paroxyſmum fore maximum, ne ſi phlebotomia, fuerit prius adminiſtrata, aliudve remedii genus uſurpatum, dicant adſtantes ægrum à Medico fuiſſe interfectum. *Altimarus* febrem tertianam ſtatuit eſſe acutam, quod repugnat iis quæ à nobis ex *Hippocrate & Galeno* allata ſunt. Eſt enim morbus acutus, non tantum qui brevis eſt, & celeriter ſua tempora percurrit, ſed qui periculoſus ſimul eſt, quod tertianæ non competit, quæ eſt ſecuriſſima, & mitiſſima. præterquam quod omnis intermittens periculo caret, intermittentium minimè periculoſa eſt tertiana exquiſita, *j. ad Glaucon. cap.* 8. Reſpondet *Altimarus* acutos morbos eſſe duplices; vel enim fiunt ex humoribus, citra ullum determinatum locum affectum, vel fiunt aliquâ parte inflammata & patiente, & hi ſunt periculoſi, priores

An ſit morbus acutus.

non item, unde negat esse de naturâ cujuslibet morbi acuti habere periculum annexum, sufficit si sit velocis motus & magnitudinem habeat, quod *Galeno* manifestè repugnat, cum periculum non possit à morbis acutis separari. febris ardens est acuta & periculosa, & tamen fit ex humoribus parte aliquâ non patiente. Acutorum morborum non sunt certæ prænotiones salutis, & mortis. Sed certum est tertianam esse omnium febrium mitissimam, non igitur acuta est. Acutis quoque victus tenuis competit. Sed in tertianâ *Gal. j. ad Glaucon. 10.* alimenta præbet crassiora, ut ova sorbilia, fructus, suum pedes & similia. Ergo nō est morbus acutus. Celeriter judicatur, inquit *Altimar.* Ergo est morbus acutus. Præterea est magnus morbus, tum ratione partis affectæ scilicet cordis, tum ratione suæ essentiæ si ad diarias comparetur. Sed fallitur, nam nec est morbus magnus ratione cordis, sic enim ephemera magnus quoque foret morbus, nec ratione suæ essentiæ, cum sit *Galeno* simplicissima, sed tantùm respectu diariarum, quæ vix morbi vocari debent. Quod si decimoquarto die aut citiùs finitur, id tantùm ejus ostendit brevitatem, non autem acutiem. Objicit præterea, semitertiana est morbus acutus, sed non habet acutiem à quotidianâ, quæ est morbus chronicus, nec ex utrisque simul junctis, quia si quotidiana acuta non est, acutiem non dabit. Ergo habet à tertiana. Erit igitur morbus acutus, cui argumento nunquam potuit *Augenius* satisfacere.

* Sed Respondeo hæmitritæum ab utrisque habere acutiem, simul junctis, à bile habet velocitatem, à quotidianâ continuitatem & periculū, unde quamvis seorsim morbos acutos non faciant, simul tamen conspirant in animalis perniciem, quibus adde difficultatem curationis, ob contrarias intemperies bilis & pituitæ, quæ inducunt periculum.

Curatio.

XII. Nunc itaque ad curationem veniamus, & primò quod in paroxysmo agendum sit videamus. Cavendum itaque imprimis est à somno ante accessionis declinationem in quâ si dormierit, sudaveritque erit bonum, nam ex somno in accessionibus symptomata fiunt deteriora, augentur viscerum incendia, & inflammationes, paroxysmusque longior evadit, ut docet *Galenus com. ad aphor. j. lib. 2.* Ubi horrent rigentque ægrotantes, si sint nauseabundi, vel aquâ tepidâ, vel hydreleo vomant, aut si tenacior materia est, oxymel addatur scylliticum, aut etiam vehementioribus utendum erit, si opus fuerit. Alvus tamen sollicitari non debet in ipsâ accessione, sed longè ante insultum, ut in declinatione, aut intervallo, glande scilicet, aut clystere molli, *ex sero, caßiâ,*

Quid faciendum in paroxysmo.

caßiâ, catbolico, & similibus. Accedat enim paroxyſmus ventre vacuo, inquit *Avicennas.* Ideoque unicè obſervandum ut ante paroxyſmi adventum cibus in ventre concoctus ſit, nihilque comedat bibatque in acceſſione ante declinationem; ſed ſitis ſi valde urgeat, ad ejus tædia devitanda, aquâ frigidâ ſæpe os colluat, vel mulſa aquosâ *2. de morb.* aut ſuccum limonum aquâ diluat, vel Julepo Alexandrino utatur. Quod ſi ſitim ferre nequeat in ſtatu paroxyſmi bibere poterit ex *Aetio cap. 79. lib. 5.* & *Galeno 2. de criſib. 3.* In fine ſtatus, cum ſudare incipit, leviter operiatur, ſudores abſtergeantur, ubi multum ſudaverit. Vinum album mediocriter lymphatum quidam præſcribunt ad ſudores copioſius eliciendos, aut ſyrupum *S. Ambroſii* dictum, quem *Guainerius & VVeckerus* deſcribunt. *Quercetanus* in Pharmacopœa ſub nomine decocti ad febres intermittentes, eundem deſcripſit. ℞ *milii decorticati quantum voles, coque ad crepaturam, decocti accipe* ℥ v. *vini albi* ℥ ij. *& calidum præbeatur,* nam & ſudorem provocat, & ſitim ardoreſque febriles extinguit; *Cum febris remiſerit,* inquit Hippoc. *priſanæ ſuccum, aut milium liquidum ſorbendum dato, aut vinum album generoſum,* unde obſervo ſyrupum prædictum Ambroſii, cognitum fuiſſe *Hippoc. 2. de morb.* refrigerat enim, deſiccat, & aliquantulum aperit *ex Galeno,* & ſecundum Dioſcoridem alvum ſiſtit, & urinas movet, plurimaſque habet egregias virtutes, quæ non ſunt hic recenſendæ, dyſenteriam, aluique fluxus ex *Hippoc.* certò ſanat pluresque ejus vires Solenander in conſiliis recenſet, & propterea deberet ad uſum revocari. Quod ſi ſudor naturæ beneficio non erumpat, non eſt vi & remediis eliciendus ante quartum acceſſionem. Solet tamen ſudor paroxyſmum finire, aliàs periculum eſt ne in continuam degeneret. Vidi tamen ſæpe non ſudoribus ſed bilioſi alvi profluvio ſingulas acceſſiones ſolutas, quod me in Fernelii ſententiâ confirmavit, intermittentium febrium materiam ſæpe latitare in præcordiis, non autem in corporis habitu.

Syrupus S. Ambroſii.

XIII. Ad curationem hujus febris ex præcepto *Galeni* refrigerandum eſt & humectandum, quia contrariorum contraria ſunt remedia, & quò febris calor acrior erit, eo magis refrigerandum, unde etſi continuæ & intermittentis eadem ſit curatio, in continuâ tamen efficaciora, ſæpiuſque repetita eſſe debent alterantia, victuſq; tenuior. Aër igitur frigidus ſit & humidus quantùm fieri poterit, ſomnus prodeſt, vigiliæ nocent, præterquam in acceſſione. Et uno verbo ex rebus ſex non naturalibus vitet eas quæ calefacere poſſunt, ut motus, iram, venerem, ſimiliaque, quamvis *Trallianus* iram imperet, ad vacuandam facilius bilem, ve-

Victus ratio.

rum malè nam irâ fervet bilis, & ad os ventriculi ſæpe fertur, ubi peſſima excitat ſymptomata. Cibi ſint eupeptoi & refrigerantes, quorum quantitas ea ſumi debet, quæ facilè concoqui poſſit. Piſces ſaxatiles, ſuum pedes, teſticulos gallorum, aviculas concedit Galenus *j. ad Glaucon.* Sed à pinguibus, dulcibus, acribus, ſalſis abſtinendum, & etiam, ſi fieri poteſt, ab omni cibo, quia facilius humor concoquitur, ſi ſorbitionibus ſolis ægri victitent. Has conditiones obſervat *Avicennas* ut primùm alvus libera ſit, prior cibus concoquatur, ante adventum paroxyſmi, nullus detur, niſi tempore quietis, aut ſaltem in declinatione; & quò magis ad ſtatum morbus accedit, tantò tenuior præſcribatur. Fructuſque concedit, ut granata, pruna, cucumeres, melonem Indum, à quibus ipſe *Galenus* non abſtinet, cum tamen facilè corrumpantur, & putredine ſuâ febrilem cauſam augeant. *Trallianus* peponem præſcribit ante paroxyſmum, & aquam temperatam ſuperbibere jubet, vel potius vinum temperatum, (ἄκρατον enim ſic vertendum puto,) hinc inquit quibuſdam ſudor, aut bilis copioſè per alvum exiit. Negatque Galenum dixiſſe unquam pepones bilem generare, ſed tantùm choleram morbum; idem quoque probat lactucas, cucurbitas, cucumeres, perſica cocta, ceraſa. A vino autem ante coctionem abſtinendum *ex j. ad Glaucon.* at ubi morbus concoqui cœperit, id autem fit in augmento, tenue, aquoſum & paucum dare non veretur, ſed ſatius eſt & tutius uti *aquâ hordei*, aut aliis ſtillatitiis, ut ſuperiori capite diximus.

XIV. Victu inſtituto ad humoris alterationem & vacuationem veniendum. Alteratur humor, univerſumque corpus refrigeratur, aut venæſectione, aut refrigerantibus medicamentis. De venæſectione maximè dubium eſt an conveniat. Quidam convenire volunt, alii negant, alii demum poſt tres paroxyſmos eam concedunt. *Galenus* venæſectionis non meminit in curâ tertianæ, *primo ad Glauconem* in tertianâ vero nothâ, & quartanâ eam admittit. *Paulus*, *Aetius*, qui à Galeno ſua tranſcripſerunt, eam pariter omittunt. Solus inter Græcos *Actuarius* illius meminit, *lib 3. cap. 19. In omnibus*, inquit, *febribus ſanguinem mittere convenit, nam cum is poſt ſpiritum primum fervorem concipiat, & totum corpus afficiat, ſi aliquid ejus effluxerit, multum caloris unà detrahitur. & quamvis à flavâ bile fiat, tamen ſanguis qui promptè ſuccenditur ei materiam ſubminiſtrat, & cum univerſum corpus permeet, illud calefacit, quare ſi quid ejus evacuatur, multa quoque febris difflatur portio: Quare ſi ab inſenſili tranſpi-*

Venæſectio.

transpiratione febrientes opem sentiunt, febremque densata cute magis accendi constat, an non melius ægris fuerit, si humores qui eam in corpus distribuit, sensibilis fiat evacuatio? Sanguis igitur mittendus bis vel ter, & interdum ad animi deliquium. Et si Galeni consilium sequamur *libris methodi*, Saluberrimum est in omnibus putridis sanguinem mittere. Cur notha requirit venæsectionem potius quam exquisita? Id non fit ratione pituitæ, hæc enim venæsectionem non postulat, nec ratione sanguinis inflammati. Accenditur enim sanguis in exquisitâ, non minùs quam in nothâ. Verentur alii ne venæsectione tertiana intermittens evadat continua, aut duplex. Non enim, ait *Fernelius*, evacuatur morbi causa quæ est in præcordiis, sed per venæsectionem attrahitur in venas, unde febres fiunt ardentes, idque experientiâ se didisse profitetur. Præterea corpus est omnino cacochymum, & generatur in regione, ætate, cœli statu calidissimo, in quibus venam secare prohibet *Galenus*, tum quia humores in exquisitâ tertianâ non sunt in venis, fomes est extra venas. Ita ut neque ratione causæ conjunctæ, neque ratione fomitis vena secanda sit, Respondet *Gentilis* venæsectionem administrari, non ad causam conjunctam, sed antecedentem, ne sanguinem vitiet, & in bilem convertat, Materia enim bilis sanguis esse solet, qui febrilem calorem in universum corpus defert. Quidam addunt febrem tertianam non esse morbum magnum, cum sit omnium febrium simplicissima post diarias, ideoque venæsectionem ipsi non competere quæ tantùm magno morbo debetur. Sed non observant febrem hanc etsi naturâ suâ mitissima sit; facilè tamen degenerare in acutam, & ardentem, incendiumque suum facilè venis communicare. Arabes venam secant si tertiana non sit adeo exquisita, hujusque humor in jecore generetur, aut si sit in corpore plethorico sanguini immistus, scilicet si sanguis unâ cum bile accendatur, quod ex urinâ rubrâ dignoscunt. Et quidem certum est tunc tutius venam secari, hæc tamen conjectura non semper respondet, ut observat *Hollerius*, nam urina rubra potest fieri jecore infirmo, aut renibus plus æquo attrahentibus, aut aliis de causis, non ex naturâ febris. Præterea urina rubra & flammea tantùm in ipso paroxysmo apparet, in intervallo autem quando vena secanda est, naturali similis redditur, & tamen sæpe observavimus venarum sanguinem venæsectione emissum, alteratum fuisse, & etiam corruptum, nec tantùm in tertianâ, sed & in ipsâ quartanâ quæ longiora & dilucidiora habet intervalla, nec explicant Arabes quando urinam hanc

hanc rubram velint esse venæsecandæ signum, nam in paroxysmo semper rubra est & valdè crocea, in intervallo rarò, & sic aut semper vena secanda est, quia urina semper in insultu rutilans est & rubra, aut nunquam vena secanda, quia in tertianæ exquisitæ ἀπυρεξίᾳ urina semper naturali similis est, quod si non sit, tertiana non est exquisita, nec ad perfectam devenit infebricitationem. Non est igitur adeo curiosè spectanda urinæ rubedo, sed vena in omni tertianâ si vires & cætera consentiunt, injecto prius clystere secari debet. Nec metuenda est bilis effervescentia, ut volunt *Arabes*, non minùs enim bilis educitur, quam sanguinis, quia tenuior est, deinde universum corpus, tum hepar, qui tertianæ fomes est, temperantur, quò fit ut deinceps pro fervidiori succo temperatiorem procreet, tùm etiam natura reliquum materiæ morbificæ concoquit, expellitque facilius, crisisque acceleratur, febrisque in ardentem mutatio præcavetur. Observandum tamen febrem hanc fieri æstuoso cælo, quo tempore Venæsectio, cautè est administranda. Quod vero ajunt *Galenum*, ejus non meminisse, soluit *Altimarus*, id à Galeno omissum inquiens, tanquam notum & explicatum in universali methodo, eam verò commendasse in nothâ, quia dubitare quispiam potuisset, an in nothâ conveniat ob mistionem humoris pituitosi, omisisse verò tanquam clarum & manifestum in tertianâ exquisitâ. Et sane judicent omnes quam valeat illorum ratio. *Galenus* omisit venæsectionem in exquisitâ, ergo non debet fieri. Etenim si noxia est in hac febre sanguinis missio, quanta fuit in Galeno negligentia, id non indicasse, quod tanti est ad artem momenti, silentio enim suo dubium reliquit, fierine debeat, necne. Verisimile est igitur Galenum id supposuisse, cum alibi docuerit in omnibus putridis venam esse secandam.

Tempus Venæsectionis. XV. Arabes authore *Avicennâ* venam non secant ante tertium paroxysmum, quod potius experientiâ quam ratione inniti videtur. Venæsectio siquidem ex præceptis *Galeni*, semper in principio celebranda, quantum fieri potest. Cum enim hæc febris septem circuitibus terminetur, post tertium paroxysmum status vel adest, vel instat, quo tempore secundum Hippocratem nihil est movendum. Itaque si venæ multo sanguine turgeant statim sanguis mitti debet, quod si verò sanguinis non adsit copia, sequendum *Avicennæ* consilium, quod experientiâ verum esse sæpissimè comprobavi. Jubet autem Avicenna, ut si possibile sit venæsectio fiat ante quartum paroxysmum. *Si possibile est ut phle-*

phlebotomes, usque ad tres periodos fac, inquit ille. Ubi notandum quod observat *Gentilis*, estque verissimum, tertianam exquisitam primò incipere ab humore bilioso qui sanguini commistus non est, sed postea in sequentibus paroxysmis vitiare & labefactare sanguinem, ideoque in primis paroxysmis non esse necessariam venæsectionem, sed tantùm in sequentibus, quod cognoscetur si urina primò citrina & flava, postea tendat ad rubedinem. Si igitur mittatur sanguis post tertiam accessionem, quoniam quarta proxima est, quæ status est morbi, ideoque omnium gravissima futura est, id erit *Guaineri*, *Gentilis*, cæterorumque Arabum consilio prædicendum, ne gravitatis illius morbi culpa in Medicum transferatur.

XVI. Alteratur etiam bilis refrigerantibus medicamentis, ut ad purgationem aptior reddatur, qui tamen usus præparantium non debet nos à minorantibus absterrere. Præscribatur igitur ante omnia clyster, qui *ex j. ad Glaucon.* debet esse mollis & refrigerans, ne jecur incalescat. ℞ *decocti communis clysteris emollientis & refrigerantis* ℔ j. *Infusionis croci metallorum* ℥ ij. *mellis violati* ℥ j. *f. clyster.* vel purgetur blandè cassia, diapruno, syr. rosar. solut. mannâ, quam tamen improbat *Massaria* ob dulcedinem ne in bilem vertatur, sed *myrobalanos* ante coctionem improbat *Avic.* quia adstringunt. *Rhabarbarum* probat *Averrhoes*, sed illud rejicit *Massaria*, (qui solet in rebus nihili esse valde cautus,) ob fervorem & adstrictionem, quasi infusione aquarum non temperaretur. *Minoratio.*

XVII. Humore ità leviter purgato, alterantia frigida debent administrari, ut reliquos præparent. Id præstat serum lactis caprini, aut emulsio seminis melonum, & similia quæ in varias formas Julepporum, Apozematum aliasque à Medicis concinnari solent, ideo hic illorum materiam describemus, quæ ex hoc capite in posterum repetatur, ne multa & eadem sæpius frustra repetantur.

Bilem præparantia.

Bilis igitur quia calida sicca refrigerantibus & humectantibus temperanda, quia acris lenientibus, si tenuis fuerit debet incrassari, si crassior ut vitellina attenuantibus erit utendum, sed frigidis aut mixtis. Id faciunt.

Et ex his variæ fiunt medicamentorum formæ ad alterandos humores & roborandas partes internas formâ Julepi, Apozematis,

& syrupi, julepi ex aquis distillatis & syrupis fieri solent, interdum addito succo defæcato, & saccharo, sensim coquendo & despumando ad consistentiam julepi, quæ media est inter apozema & syrupum. Accommodantur humoribus præparandis, leniendi siti, frænando humorum ardori. Apozemata verò ex decoctis plurium simplicium. Veteres olim herbas mulsæ incoquebant, nos aquæ, sero lactis, addito saccharo, quod si magnâ copiâ addatur, fiet syrupus ℞ *aquæ hordei* ℔ j. *julep violati, syr. de acetosa ana* ℥ ij. M. F. *julep.* ℞ *aquar. rosar.* ℥ ij. *aquar. plantag. cichor. endiviæ ana* ℥ iij. *succi granator. limon. ana* ℥ j. *sacchari clarificati* ℥ iiij. M. F. *julep.* ℞ *aquæ pomor. redolent.* ℔ j. *incoque corticum pomor. redolent.* M. ß. *santali citrini* ʒ ß. *adde syr. violati* ℥ ij. *succi limon.* ℥ j. *aceti rosacei, vel cariophyllati* ℥ ß. *omphacii* ℥ ß. *sacchari clarificati* ℥ iij. M. F. *julep.* ℞ *aquæ fontanæ* ℔ j. *aquæ rosar. sacchari albi ana* ℥ iiij. *aceti vel omphacii sub finem injecti* ℥ ij. *conservæ berberis prædictis dissolutæ* ʒ iij. *f. colatura*; syrupi officinarum aquis dissolvuntur, & addito spiritu vitrioli fiunt julepi. Conservæ idoneæ dissolvuntur aquis prædictis, dein colantur & additis syrupis fiunt potiones, interdum si opus sit pulveribus aromatisatæ. ℞ *radicum cichor, dentis leon. graminis, acetotosæ ana* ℥ j. *folior. endiv. hepat. lactucæ, acetosæ, ana* M. j. *flor. violar. buglos. sambuci ana* P ß. *semin. endiv. portul. melon. ana* ʒ j. *f. decoctio in quâ per residentiam clarificata dissolve syr. limon.* ℥ ij. *syr. capilli vener.* ℥ j. *f. apozema* vel ℞ *rad. gram. asparagi, oxylapat. filicis, plantag. cichor. ana* ℥ ß. *vel unius horum* ℥ ij. *folior. cichor. sacriolæ, borrag. rostri porcini, dentis leonis, herbar. capillar. agrimon. hepaticæ ana* M. j. *lactucæ* M ß. *prunor. sebest. ana* Par. v. *sem. frigid. major. sem. citri ana* ʒ j. *sem. apii, petros. anisi ana* ℈ j. *flor. nymphea, cichor. trium cordial. ana* P. j. *decoct. ad* ℔ j. ß. *in qua clarificata dissolve sacchari* ℔ ß. *& dein adde aceti rosacei* ℥ j. *aromatisetur* ʒ ß. *pulveris triasantali*, si malignitatis suspicio adsit, addantur radices tunicis termentillæ, succus citri limonum, & similia. Hyeme in herbarum inopiâ radices & semina coquantur in Apozema, temperari autem possunt radices in aceto, aut saltem acetum addi sub finem coctionis. *Oxymel simplex* tepidum vel calidum datur etiam in acutis *3. acut.* nam concoctioni humorum opitulatur. Huc referri debet decoctum hordei, quod magis compositum sic fiet. ℞ *hordei mundi* M. j. *sem. endiviæ, acetosæ, frigid. major. ana* ʒ j. *coque & in* ℔ j. *Colat. dissolve vini granat.* ℥ ij. *syr. limon. vel de acetos. citri, sacchari candi ana* ℥ j ß. *ad ignem parum bulliant, pro potu ordinario.* Vel quæ

præ-

præſcripſimus capite de ſynocho huc transferri commodè poſſunt.

XVIII. Materia concocta purganda eſt per vomitum, per alvum, per urinas, & ſudores, ſed rarò utimur diureticis ſudorificis, ſæpiùs aut vomitorio, aut catharſi per inferiora. Vomitu autem utimur ſi ad ventriculum humor moveatur, quod fieri ſolet in principio acceſſionis, tunc levioribus medicamentis irritetur, ut aquâ hordei cum oleo amygdalarum dulcium. ℞ *oxymelitis* ℥ ij. *decocti ſeminis raphani* ℥ vj. *bibat tepidè*, Fortiora ſunt *anethum. ſemen attriplicis*, quibus validius eſt *azarum*, nec niſi cum impetu vomitum provocat, commodè tamen *Fernelii diazaron* in uſum revocari poteſt, ſed omnium emeticorum præſtantiſſimum eſt *antimonium*, & omnium minimè vires labefactat. Non debet autem ipſius ſubſtantia dari, ſed ſola infuſio, quæ neque ex *floribus*, *neque ex vitro*, ſed ex ſolo *croco metallorum* optimè defæcato præparetur. Eſt enim hæc omnium Antimonii præparationum tutiſſima, & vim quandam balſamicam poſt operationem viſceribus aſpirat. Vomitoria cætera quibus familiariter utuntur, *qui Galenici eſſe & dici volunt*, parata ex Azaro, florib. geniſtæ, hellebor albo, & aliis ejuſmodi, de quibus abunde in generali methodo diximus, præterquam quod ſunt ingrata, & ineptè compoſita, multò pejora ſunt & validiora quam Antimonium, id quod millies experientiâ probavi. ℞ *croci metallorum optimè præparati, ut alibi docuimus* ℥ j. *vini albi* ℔ j. *Inf. per dies* XV. *In vaſe optimè clauſo. quotidiè bis vel ter agitando. Poſt reſidentiam, vinum filtretur, cujus* ℞ ℥ j ß. *aquæ fontanæ* ℥ ß. *ſurſum deorſumque operatur ſine gravi moleſtiâ.* Puerulis ſufficiunt ʒ ij. vix ultra ℥ j ß. adultis unquam propinavi, & ſemper fœliciter ſucceſſit. *Helleborus* autem *albus* quo veteres familiariter utebantur, iis relinquatur, qui metallica adeo ſuperbè refugiunt, ſed à veri dogmatici præſcriptionibus in poſterum fermè perpetuò exulet, tanquam noxium medicamentum. Sed facilior eſt ac tutior minuſque moleſtia per inferiora purgatio, & primum mollibus clyſteribus alvus ſubducenda inquit *Galenus j. ad Glaucon. cap.* IX. *Vomitus.* *

XIX. Purgationem probant Avic. Trall. aliique eſt morbus acutus à cacacochymiâ & bile prognatus cui debetur purgatio, *ſi natura per vomitum urinas, ſudores & alvum bilem in hac febre ſponte vacuat, indicat purgationem in hoc morbo eſſe bilem*, *ideo naturam imitari Medicus debet.* Si ardenti convenit purgatio, quidni tertianæ ?. Quæ per os ſumuntur benigna ſint, non diagridiata propter vehementem illorum calorem,

unde rectè *Averrhoes 7. Colliget.* XI. prohibet usum scammonii, quia quantumvis rectè corrigatur, partibus principibus nocet, vires debilitat, febris calorem & siccitatem auget. Quod si scammonium detur, jubet admiscere nympheam, aut syrupum de pomis, quæ frigiditate & humiditate scammonium emendant, & præterea vi aromatica viscera roborant. Sintque potius in formâ liquidâ quam solidâ, ideo à pilulis abstinendum, quia nimis impensè calefaciunt & exsiccant. Docet autem *Hippoc. 2. de morb. & lib. de internis affect.* in tertianâ ante quartum paroxysmum pharmacum non esse dandum, quia ante illud tempus vix ulla adest coctio. Benigna tamen & levia quæ nos habemus medicamenta in principio innoxiè propinari possunt, non obliti tamen quod tertiana *ex j. ad Glaucon.* potius alterantibus, quam vacuantibus sit curanda. Quod si paroxysmus tardius invaserit, ut horis pomeridianis, suadet *Joubertus*, ut die paroxysmi detur catharticum, sic enim accessio futura est remissior, quod consilium in tertianâ nothâ, & quartanâ est certius quam in exquisitâ, *ut capite de quartanâ dicemus.* Scribit Hippocrates 2. *de morbis. Vbi nonum diem attigerit, medicamentum deorsum purgans exhibeto, si enim statim in principio exhibueris, postquam purgatus fuerit, febris repetit, rursusque medicamento indiget. Cum vero os minimè laboret, sed ad imum ventrem tormina decumbant, deorsum purgans pharmacum dato*; quæ consentanea sunt iis quæ aliis libris protulit. ℞ *cassiæ extractæ, catholicon. ana* ʒ iij. *rhabarb. pulveris.* ʒ j. *coriand.* ℈ ß. *cum sacch. f. bolus.* ℞ *rhabarb. electi cum santalo citrino infusi & expreßi* ʒ ij. *syrupi rosar. solut. mannæ ana* ℥ j. *cremoris tartari* ℈ j. *jusculi prunorum* ℥ ij. *f. potio.* ℞ *aquarum fumariæ, cichorii ana* ℔ j. *aquæ agrimoniæ* ℔ ß. *folior. endiv. dentis leonis, Oxalid. cichorii, flor. violar. ana* P. j. *tamarind.* ℥ j. *prunor. dulc.* Par. iij. *passular.* ℥ ß. *f. decoctio Celaturæ adde succi limon. vel sp. vitrioli q. s. ad gratam aciditatem, dein macera foliorum sennæ mundatorum* ℥ ij. *sem. fœnic. dulcis* ʒ j. *santali citrini* ʒ ß. *rhabarb.* ʒ iij. *cremor. tartari* ʒ j. *fiat lenis ebullitio, sinantur infusa per biduum. Colaturæ adde mannæ* ℥ ij. *syr. rosar. solutivi* ℥ iij. *sacchari* ℥ iij. M. *f. Apozema dosis* ℥ iiij, *blande bilem evacuat.* ℞ *rad. cichorii, oxalidis ana* ʒ iij. *endiviæ fumar. agrimon. ana* M. ß. *folior. sennæ, seminis carthami ana* ℥ ß. *sem. anisi* ʒ ß. *f. decoctio pro dosi in colat. dissolve rhab. infusi in aqua endiv.* ʒ ij. *elect. de succo rosar.* ʒ ij. *syr. de cichor. compositi cum rheo* ℥ j. *f. potio.* Raro tamen electuariis utendum, tum quia scammonium obtinent febribus infensum, tum quia ingratam reddunt potionem, &
valdè

valdè ſpiſſam, tum quia utplurimum illorum compoſitiones ſunt ineptæ, forentque meritò à Pharmacopolarum officinis ablegandæ, aut novæ ſubſtituendæ, aut nunquam illis utendum, quamdiu decocta ſuppetunt. ℞ *prunorum, ſebeſten ana* Par. xx *paſſul.* Par. xv. *aniſi* ʒ j. *ſemin. frigid. major. contuſor.* ʒ iij. *flor. cord.* P. j. *tamarind.* ℥ j. *f. decoctio in aqua endiviæ, pulpæ fructuum tranſmittantur per ſetaceum, adde Caſſiæ extractæ* ℥ iiij. *tamarind.* ℥ ij. *rhabarb.* ʒ iij. *ſennæ pulveriſatæ* ℥ j. *mannæ calab.* ℥ iij. *ſcammonii* ʒ j. *confect. alcermes* ʒ ß. *ſyr. roſar. ſolut. q. ſ. f. elect. doſis ſit ad* ℥ j. *in formâ boli aut in decocto cichorii, vel pulli.*

xx. Præterea ad bilis vacuationem laudat *Galenus* abſynthium cum melicrato. Id damnat *Alexander*, propter ſummam abſynthii caliditatem, propter quam multos vidit colliquatos, potius videtur conveni- *Abſynthium.* re pituitoſis. Reſpondent interpretes *Galenum* uti tantùm comâ abſynthii, quæ eſt humidior illius pars, quam incoquit melicrato ad temperandum illius ſiccitatem, magiſque ideo deterget. Deinde utitur apparente coctione, ubi ſtomachus à bilioſo ſucco infeſtatur. Valet enim abſynthium ſecundum *Galenum*, non ad pituitoſos humores purgandos, quibus potius nocet, quia ob adſtrictionem illos magis orificio ventriculo affigit *6. de Tuenda Valet. 10.* ſed præcipuè valet adverſus bilem ſtomachum infeſtantem, propterea potiùs bilioſis, quam pituitoſis febribus convenit, nec timenda eſt nimia ejus caliditas, quia ex *5. ſimpl.* tantùm in primo gradu calidum eſt, & viride ac exiguâ quantitate exhibetur, quam exiguam quantitatem *Galenus* hoc verbo exprimit, quantum ſit ſatis, docens non adeo exiguam illius debere eſſe quantitatem. Refert *Theophraſt. 9. Plant.* pecora in ponto quæ abſynthio paſcuntur felle carere tantam vim habere ad bilem compeſcendã traditum. Sed ego potius Tralliani conſilium ſequerer ob ſiccitatem abſynthii, cum enim febris ſit calida ſicca, humectantia illi conveniunt, unde quamvis bilẽ in hypochondriacis quibus maximè convenit, compeſcat, tamen in febribus valdè noxium eſt & cũ eo hactenùs ſæpius uſus ſim, nullum tamen inſigne ex eo emolumentum percepi, quin potius fermè ſemper in febribus nocuit, ipſaſq; ſæviores reddidit, ſed tertianis nothis valdè prodeſt, ob miſtionem humorũ pituitoſorum, quos bili admiſtos unà evacuat. Quamobrem cũ alia ſuppetant, optimũ erit eo abſtinere.

xxI. Per urinas etiam humor morbificus interdum vacuatur, ad quod *Diuretica* *Galenus* laudat potiones in quibus maduerit apium & anethũ, utitur autẽ iis viridibus & in aquâ plurimâ coctis ut corũ calor remittatur. Fami-

liare eſt *Galeno* his calidis uti ſine ratione cum febrem augeant. *Trallianus* laudat decoctum apii, & adianti, improbat verò anethum ob nimium calorem, quaſi apium ſit anetho temperatius, cum anethum 3. *ſimpl.* paulùm à mediâ temperie recedat. Sed tutiùs eſt uti frigidis diureticis, ut decocto *graminis, aſparagi, capilli veneris, cicerum rubr, cuſcutæ cum pauco chamæmelo, & ſyrupo de duabus radicibus*, vel in juſculo ſemen melonum, cum ciceribus rubris additâ radice petroſel. decoquimus, illudque per aliquot dies propinamus, quod etiam emulſio ſeminum frigidorum major. & amygdalar. cum aquâ parietariæ, vel fragorum, vel hordei facta, addito ſyr. limon. & capilli veneris præſtabit, tum etiam ſerum lactis caprini cum emulſione prædictâ miſtum prodeſt. Sed caſſia & rhabarbarum, per alvum, & urinas commodè vacuant, ideoque utiliter prædictis poterunt admiſceri.

Sudorifica. XXII. Denique ſudorum provocatio laudatur, ſed ii nunquam niſi in fine paroxyſmi provocandi in intermittentibus, tunc enim natura eò viam affectat, in intervallo autem, non niſi magnâ vi elici poſſunt, & calidis remediis, quæ febrem augent, ſequentemque paroxyſmum ingeminant. Ad id utemur aut frictionibus validis, *aquâ cardui benedicti, chamæmeli, nepetæ, hordei, aut vino tenui & oligophoro*, oxymelite, ſyrupo Sancti Ambroſii priùs dicto.

Balneum XXIII. Demùm ut omnia veterum remedia cognoſcamus, Laudat *Galenus* balneum, humectat enim, refrigerat, & aliquid bilis educit, ſit autem ex aquâ dulci, non ſulphureâ, aut nitroſâ paratum, nam quamvis plus vacuet, ſuis tamen qualitatibus plus nocet, quam juvet vacuando. Quo tempore morbi, balneum ſit utile *Galenuus* ſcriptum non reliquit. Sed ex xj. *methodi cap.* IX. non convenit ante coctionem in putridis, In hecticis verò omni tempore idoneum eſt, modo hectica putridæ non ſit conjuncta, *& 7. aphor. 42*. Idem ait, cui Paulus & omnes conſentiunt. Sed hodie ut plurimùm ſine balneo, ſudorificis, & diureticis febres curamus, quibus tamen uti, ſi occaſio ſeſe offerat, non erit inutile.

Roborantia. XXIV. Poſt purgationem, quæ partes nobiles alterare & roborare poſſunt in uſum ſunt revocanda, id quod ſuperiùs deſcripti julepi, opiatæ, tabellæ præſtabunt. ℞ *aquar. endiv. acetoſæ. bugloſ. nymphea ana* ℥ iij. *vini granat.* ℥ ij. *ſyr. de limon. aut de acetoſit. citri* ℥ j. *ſacch.* ℥ ij. *coque in julepum.* ℞ *conſervæ roſar. nymphea ana* ℥ ß. *ſpecier. diamarg. triaſant. ana* ʒ j. *diarhod. abbat.* ʒ ß. *trochiſcor. de Caphurâ* ℈ j. *coralli* ℈ ij. *alcer-*

alcermes ℥ ß. *cum syr. violato f. Electuar.* Externa autem epithemata, unguenta in febre ardenti describentur, eadem enim prorsus hic esse debent, nisi quod minus illis utendum sit, ardor enim non adeo fatigat, sed si iis opus sit, ex prædicto capite repetantur.

Cap. III.

De tertianâ nothâ.

I Tertiana notha secundum *Galenum* est, cujus paroxysmus ultra duodecim horas extenditur. Secundum *Avicennam* autem quæ ex bile cum aliis humoribus putrescente generatur, vincente tamen bile. Sic tumores vocamus exquisitos qui ex sincero humore, alterius mistione non inquinato, oriuntur, quod si varii humores simul misceantur fiunt tumores nothi, ut eresipelas phlegmonodes, sic in febribus sincera bilis, exquisitam, aliis admista notham parit tertianam. *Galenus 2. de diff. feb.* enumerans signa tertianæ exquisitæ, addit, quibus vero aliquid horum deficit hæ non amplius exquisitæ, sed simpliciter tertianæ dicuntur, & quò magis à purâ distabunt, toties magis spuria censebitur. Suntque hic duo advertenda. Primum bilem in illâ permistione vincere debere, ut nomen formamque febri largiatur, aliàs si copiosior esset pituita, non tertiana, sed quotidiana notha potius deberet appellari. Secundum, humores hos varios simul permisceri debere, ut unam faciant febrem, unumque paroxysmum, nam si diversi humores, diversis in locis putrescant & accendantur, aut diversis temporibus moveantur, duæ erunt febres *ut in hæmitritæo, duabus tertianis*, non una. Duplex autem est secundum Arabes bilis mistio, vel enim admiscetur pituitæ, quod ordinariè & sæpius, imo ac fermè semper contingit, ideo vocatur tertiana majoris famæ, cujus tantùm *Galenus* meminit; vel miscetur cum melancholia & dicitur tertiana minoris famæ. *Differentia.*

II. Causas propterea habet mistas communes scilicet tertianæ & quotidianæ, ut si causæ bilem generantes superius recensitæ, incidant in hominem habitus crassioris, in otio viventem, crapulæ deditum, aut qui aliâ quacunque de causâ crudos humores cumularit, fient nothæ biliosæ, ut æstate & Autumno ex fructuum usu; Autumno ait Hippocrates *3. aphor.* plurimi æstivi morbi fiunt, quia, inquit *Galenus*, rema- *Causa.*

remanet bilis in corpore, quæ reliquis humoribus immista nothas febris facit. Ideo rarissimæ sunt exquisitæ tertianæ, nunquam enim bilis adeo sincera est in corpore, quin plurimam habeat pituitam, maximè in mesenterio, & hypochondriis admistam.

Signa. III. Cognoscitur secundum *Galenum*, si non omnia tertianæ exquisitæ signa adsint propterea hic non adest rigor pungens ob mistionem humoris crudi, & pituitosi, sed fit horror, affectus inter rigorem & refrigerationem medius, solet autem esse longior horror quam rigor tertianæ, quod tamen non est perpetuò verum, cum sæpissimè brevissimos horrores videamus, longos rigores, id igitur non est necessarium, nisi suppositâ eadem humoris quantitate in utraque febre. Paroxysmi principium longius est imo totus paroxysmus excedit paroxysmum tertianæ, durat enim ad horas interdum 40, plus minusve pro majori aut minori pituitæ copiâ, & mistione, imo totus morbi decursus longior est, excedit enim septimum paroxysmum, ad quadraginta dies, interdum & menses sex prorogatur. *Galenus* solas has spurias vocavit quarum accessio duodecim horas excedit, idque parum curare videtur sintne à cincerâ bile, aut aliis humoribus admistâ, quamvis ex signis ab ipso recensitis colligi possit, exquisitam à sincerâ bile, notham à permistâ generari. Sed hæc signa non semper sunt vera, ideo non injuria quæstionem moveo, an tertianæ nothæ paroxysmus intra horas duodecim possit terminari, cum exquisitæ tertianæ id tantùm competere dicat *Galenus*. Vidimus autem & observare qualibet potest, febres plurimas tertio quoque die repetentes, interdum cum longo, interdum cum brevi horrore, quarum reliqua symptomata humoris frigidioris permistionem arguebant, quarum tamen paroxysmus ad horas xij. non extendebatur. Et ratio suffragatur. Cum enim brevitas paroxysmi ex paucitate, & tenuitate humoris, ac robore naturæ contingat, quid obstat quin tertianæ nothæ paroxysmus his de causis brevior fiat. Non igitur ex hoc solum signo exquisita à spuria distinguitur, sed adjungenda simul & alia sunt. *Si prolongetur rigor, signum est esse tertianam non puram*, inquit *Avic.* In fine paroxysmorum sudores sunt pauci, quique non sunt universales, sed determinatam tantum partem occupant, & in quibusdam febribus paroxymum perfectè non finiunt, quando scilicet humor crassus est, copiosus, corpusque obstructionibus scatet. In quibusdam tamen superante naturâ sudores erumpunt copiosi. Calor non est adeo acris, omniaque symptomata sævitie & gravitate cedunt exqui-

*An paroxysmus semper excedat horas duodecim **

quisitæ. Urinæ non sunt adeo flammeæ, nec tam citò coctionis indicia ostendunt. Imo in principio sunt crudæ admodum, interdum crassæ usque ad septimum paroxysmum. Pulsus sunt minores, tardiores, rariores, duri, ac in dies eorum durities increscit, longamque ægritudinem portendunt, donec vincente naturâ mollescere incipiant, tunc fiunt paroxysmi breviores, urinæque coctionis notas præbent. Hic plurima capitis corporisque gravitas adest, lassitudinemque habent tensivam, caput gravatur, pandiculationes frequentiores experiuntur, inflatio ventriculi, fastidia, sitis, oris amaror fatigant, sed vigiliæ sunt minores, & rarò delirant.

IV. Prognosin quod spectat, febris hæc ut plurimùm longa est, nam ad sextum mensem protenditur, nisi rectè curetur, aut materia sit pauca. Maximè si autumno aut hyeme inceperit, si rigor parum pungat, frigus longius sit, paroxysmus longior; urina parum accensa, sudor exiguus aut nullus, longiorem futuram esse probabile est, ob majorem humoris crudi mistionem. Periculosa quoque est, non quidem ex naturâ suâ, intermittentes enim periculo carent, sed propter longitudinē immedicabiles: interdum viscerum, maximè splenis obstructiones parit. *Gal. 1. ad Glauc.* vidisse se ait quæ autumno inceperat, vere desierat, tum quod æger Medico non paruisset, tum quod lesus ab hyeme fuisset, illi lien intumuit, facies facta decolor, hypochondria & crura intumuerunt. Prorogantur enim febres, fiuntque chronicæ ex *2. prognost. 25.* vel ob affectam partem aliquam nobilem, vel ob humorum crassitiem & cruditatē, vel propter errata adstantium, ægrorum, aut ipsorū Medicorum. Hinc rectè jubet *Avic.* in morbo longo contrectare hypochondria, ut exploretur num intumuerint. In regionibus septentrionalibus solet degenerare in scorbutum: Propterea diligenter est illi prospiciendum. *Progno-stica.*

V. Ad tertianā notham referuntur à quibusdā febres quas bilis vitellina, æruginosa, porracea, isatodes pariunt, sed hæ febres potius exquisitæ quam nothæ censeri debent, cum nullum alium humorem admistum habeant, imo sunt ipsâ tertianâ exquisitâ ardentiores. Sed dubium est, an ex his possit intermittens generari, cum bilis æruginosa quasi venenum hominem citò jugulet. Verum docet experientia, talium humorum excretione fuisse ægros à tertianis liberatos. Rare autem sunt hæ febres breves, & periculosæ, ob humoris sævitiam, quam natùra ferre non potest; qui acris est, sincerus, suoque sero privatus & destitutus, parum autem aut vix sudant ægri, nisi prope mortem sudore dia- *Febres à bile æruginosa.*

phoretiço. Cum igitur in febre tertianâ ſymptomata extremum obtinent, ſcilicet ardor, ſitis, linguæ nigredo, anxietas, urina ignea, quaſi lixivium, reſpiratio crebra, ſuſpicio eſt humores hos adeſſe, maximè ſi dejectione, vel vomitû, cum angore, animique deliquio rejiciantur.

Curatio. VI. Curatio ſecundum variam bilis cum reliquis humoribus permiſtionem debet variari. Si itaque pituitæ admiſta ſit, Victus ratio etſi communi febrium lege refrigerans & humectans eſſe debeat, hic tamen ratione pituitæ aliquomodo calefaciat & incidat, ex *Paulo, Aetio, Avicenn. & Galeno j. ad Glaucon.* Ideo vitanda quæ nimium refrigerant, ut cucurb. cucum. lactuc. fructus, piſces ſaxatiles & ſimilia. A vino quoque abſtinendum, niſi apparente coctione, cujus loco aqua cocta cum petroſelino, & cinnamomo ac ſaccharo præbeatur. Laudat *Galenus* ptiſanam pauco pipere, vel hyſſopo medicatam. Reprehendit Galenum *Alexander*, quod calefacientium nimio uſu febres ipſas exaſperet, reddatque vehementiores, ſed *Galenus* ptiſanæ immiſcet, quæ ipſorum calorem retundunt, ſicut hæc ptiſanæ refrigerantem vim minuunt & corrigunt. Sit autem modo plenior, modo tenuior victus, pro morbi longitudine vel brevitate, in chronicis enim plenius, in brevibus parciùs nutriendum. Imo alternis tantùm diebus cibum præbendum eſſe vult *Avicenna*, ut humor craſſus à naturâ concoquatur, tum ob paroxyſmorum longitudinem, in quibus à cibo abſtinendum, noſtro tempore tam longa inedia difficilis eſt obſervata, tum quia etſi pituita adſit, bilis tamen adeſt plurima, quæ longiorem inediam non requirit. Non eſt tamen copioſè alendum, ſed mediocriter, ne vires fatiſcant, ſed integræ ad finem uſque conſerventur, obſervatâ ſemper ægri naturâ, ætate, temperie, habitu, conſuetudine, anni tempore, regione, nam ſi æger ſit habitu corporis calido ſicco, ætate puerili, anni tempore calido, minùs quidem, ſed ſæpius erit nutriendum.

Victus.

VII. Victu inſtituto reliquum curationis ita exequemur. Primo clyſteres injiciantur ratione humoris pituitoſi qui in inteſtinis plurimus eſſe ſolet, aliquantulum calefacientes ℞ *malvæ, violar. mercur. ana* M. j. *hord. furfuris ana* P. j. *prunor.* Par. vj. *ſem. aniſi* ʒ j. *flor. chamameli, melil. ana* P. j. *f. decoct. ad* ℔ j. *diſſ. mellis roſati, catholic. ana* ℥ j. *olei chamæm.* ℥ ij. *f. clyſter.* ſi opus ſit fortiora addantur, ut hiera, diaphoenic. oleum rutaceum, & ſimilia. Ventriculi quoque cruditas blando ca-

cathartico emendetur, ut cassia, cum diaphœnic. mannâ cum syr. rosar. solut. ℞ *florum cord.* P j. *prunor. Par.* vj. *passul.* ℥ j. *tamarind.* ʒ vj. *sem. anisi* ʒ ß. *f. decoctio ad* ℥ iij. *In colat. dissolve cass.* ʒ ß. *diaphœn.* ʒ ij. *syr. ros. solut.* ℥ j. *f. potio.* Evacuato ventriculo *Galenus* venæsectionem commendat, quam in exquisitâ prætermisit, nam optimum est in omnibus putridis sanguinem mittere, maximè autem in tertianâ nothâ, præcipuè si adsit plethora. Ergò si vires, ætas, anni tempus, & cætera consentiant, aperiatur basilica dextra, aut mediana, eâque copiâ extrahatur quæ & plenitudini, & natura ægri respondeat, idque in principio morbi si fieri possit, & quoniam longa febris esse solet, etiam post quartum paroxysmum venæsectioni locus est, contra quam in exquisitâ. *Venæsectio.*

VIII. Venâ sectâ præparandus est humor uterque, biliosus & pituitosus, remediis quorum mistæ sint facultates. Syrupi conveniunt sine calore magno aperientes, & sine adstrictione refrigerantes, ut *de endiv. capilli vener. bizant. de endiv. compositus, acetosus simplex & compositus, de quinque radicibus, mel rosatum, oxymel, cum aquis aut decoctis petros. endiv. fumar. cichor. gramin. aspar. apii, fœnic. Galenus* mulsæ incoquit hyssopum, origan. spicam nardi, sed ut rectè docet *Alexander* cavendum à calidioribus & ficcioribus, vix enim calidiora meræ pituitosæ febri præscriberentur, quæ bilem non haberet admistam. ℞ *radic. cichor. aspar. fœnic. ana* ℥ j. *rad. enulæ* ʒ iij. *folior. endiv. cichor. capilli vener. hyss. ana* M. j. *sem. frigid. major. sem anisi, petros. ana* ʒ ß. *flor. cord. calendulæ, anthos ana* P. ß. *f. decoct. In cujus* ℔ j. *diss. oxymel.* ℥ ij. *syr. de cichor.* ℥ j. *f. Apozema in quatuor doses.* Galenus *3. simplic. cap.* IX. chamæmelum commendat ad febres biliosas, & eas quæ citra visceris inflammationem infestant, syrupum quidam facit ex succo chamæmeli, cujus ℥ iiij. per triduum exhibet, & quia parum succi habet, infundit in ptisanâ, aut lacte amygdalino. Prodest quoque taraxacum, & tartarum chymicorum vitriolatum, ideoque optimum erit tartarum decoctis & syrupis admiscere. *Præparantia.*

IX. Dubium hic quispiam movere posset *Avicennas cap. de tertianâ non purâ*, dicit mistionem illam gravare putredinem, & impedire digestionem, quod verum esse longitudo febris testatur: Attamen videntur hæc sese mutuò digerere ob contrariarum qualitatum concursum. Bilis enim quia calida sicca, pituitam incidit & præparare videtur ad purgationem, pituita pariter quia frigida & humida præparat *Dubium.*

bilem, & concoquit. At tantùm abest ut id fiat, quin potius pituita bili permista bilem ipsam refrigerat quidem, sed incrassat, digestionique ineptam facit. Pariter bilis admista pituitæ, etsi illam calefaciat, tamen non juvat naturam in humorum coctione, non enim calore bilis utitur natura ad coctionem, quin potius calor ille præternaturalis, quia oppugnat nativum, pituitæ digestionem, & calor pituitæ retardat bilis concoctionem. Quæ solutio etsi omnium ferme sit interpretum, qui hanc quæstionem tractarunt, difficultatem tamen continet non exiguam, an non possit humor à calore præternaturali concoqui & præparari, de quâ alibi diximus, cum febris morbis à pituitâ remedio sit. Credo itaque ex his duobus fieri quandam mistionem naturæ valdè molestam, simulque in unam quasi massam concurrere utrumque humorem, nec suas amplius qualitates retinere, sed simul putrescere, & febrem facere, ut in Arabum bile vitellinâ, quæ ex bilis & pituitæ commistione generatur. Et hanc mistionem chymici apposite nomine tartari explicarunt, qui mihi videntur plenius & verius febrium istarum chronicarum, quas humorum fæces in mesenterio coacervatæ pariunt, causas, tartari, quam humorum naturalium nomine, nuncupasse, est enim illis tartarum nihil aliud quam fœx humorum à naturalibus humoribus segregata, *ut alibi diximus*.

Vomitus. x. Præparatus humor purgari debet, vel vomitu, vel per alvum: Vomitus febribus longis & contumacibus unicè confert. Testatur *Galenus primo ad Glaucon.* quosdam solo vomitu fuisse perfectè sanatos. *Paulus, & Aëtius* vomitum laudant post cibum quibus febris hæc in vetustatem incidit, similiter *Avicennas 4. Can. 2. tract. cap. 40.* Confert autem secundum quosdam tantùm in principio paroxysmi, quia tunc natura humores ad ventriculum transmittit, ex *Galeno lib. quos & quando.* At tunc cibum dare potumve valde noxium est, vapores enim cibi, tenuioresque partes febrem ingeminant, vixque potest cibus itâ vomitu evacuari, quin aliquid ejus remaneat in corpore, quod causæ febrili permistum corrumpitur, paroxysmum longiorem facit. Nec puto unquam hanc fuisse *Avicennæ Paulique* mentem, cibum in principio paroxysmi præbere, ut faciliùs vomitus succedat, sed id tantùm voluerunt, quando vomitus in intervallo præscribitur; observavi sæpe, & ratione non caret. Si vomitus instituatur ad ventriculum solum ab humoribus crassis expurgandum, utilior erit post cibum, quia cibus humores à ven-

à ventriculi parietibus & tunicis absterget, sicque faciliùs educuntur, modo tamen paroxysmus febrilis caveatur, in quo cibum præbere noxium est. Si vero ab universo corpore evacuandum sit, utile erit jejuno ventriculo & in principio paroxysmi præbere, quia cibo obtunditur vis attrahans remedii; vidi sæpe paroxysmos post vomitum graviores, quod non ad aliam causam referendum judico, quam ad immensam potus copiam, quam ægrotantes ut liberiùs vomant, assumunt. satius erit jejuno ventriculo assumere quam pleno, nisi longè à paroxysmo detur; Quidam tantùm utuntur vomitu, quando æger nauseabundus est, ob naturam eo tempore vacuationi opitulantem, quod etsi verum sit de iis vomitoriis, quæ stomachum solum subvertunt, nec humores attrahendi vim habent (frustra enim ea præbentur, quæ ventriculo molestiam tantùm facessere possunt) non habet tamen locum in iis quæ à jecore & penitioribus partibus eliciunt humores, ea enim, etsi natura non invitet, nec viam illam affectet, si æger facilis sit & promptus ad vomendum, nihilque repugnet, præberi possunt, vixque ullum aliud utilius certiusve remedium febribus tertianis potest administrari. Fiat autem ex vitriolo albo *à Crollio* descripto, vel *diazaro* Fernelii, vel ℞ *Infusionis Antimonii* ℥ j. *oxymelitis* ℥ ß. *aquæ hordei* ℥ j ß. *f. vomitorium.*

XI. Sed purgationes per alvum sunt omnium securissimæ, non ante coctionem, nisi materia admodum turgeat, ex rhabarb. agarico, turbith, scammon. & similibus, nam mista purgatio esse debet ex iis quæ bilem & pituitam purgant. Verum quia febris ex crassiore accenditur bile, atque ut plurimùm fiunt obstructiones, utile erit repetitis præparationibus & purgationibus uti, ideo Apozemata præparantia simul & evacuantia præscribantur; *Galenus* laudat usum frequentem medicamentorum lenientium. ℞ *radicum cichorii, gram. aspar. oxylapat. acetosæ ana* ℥ j. *rad. petrosel. fœnic. liquirit. ana* ℥ ß. *folior. endiv. acetos. cichor. agrimon, quinque capillar. buglossi ana* M j. *beton. pimpin. ana* M. ß. *sem. frigidor. major.* ʒ ij. *sem. anisi, apii, petros. fœnic. ana* ʒ ß. *passul. prunor. ana Par.* x. *florum cordial.* P. j. *flor. chamæm. calend. anthos ana* P. ß. *f. decoctio ad* ℔ j ß. *in colat. diss. oxymelitis simpl. syr. de quinque rad. bizant. ana* ℥ j ß. *f. apozema, aromatisatum pulvere electuarii triasantali.* ℞ *prædicti decocti* ℔ j ß. *incoque tamarindor, folior. senn, sem. carthami contusi ana* ℥ j. *agarici trochisc. in nodulo positi* ℥ ß. *turbith electi & gummosi* ʒ ij. *hermodactyl.* ʒ ij. *zinzib.* ℈ ß *santali citrini* ʒ ß. *flor. viol. nymphea ana* P. j. *f. decoct. in colat. dissolve rhabarb.*

Purgantia.

barb. in aqua endiv, infusi & expreßi ℥ ij. *syr. de cichorio solutivi & rosar. ana* ℥ ij. *f. Apozema in quatuor doses. In quarum ultimâ si satis purgatus esse non videatur, adde diaphœniconis. & elect. de succo rosar. ana* ℥ j ß. *& f. secundum artem colatura pro potu.* Galenus post septimum diem utitur absynthio, humores enim biliosos vacuat, obstructa expedit, ventriculum roborat, ut supra diximus. Sed de tempore dubitatio est, nam hic spectanda est materiæ concoctio, non dierum numerus. Galenus 4. de rat. victus *acut. 76.* reprehendit *Hippocratem*, quod scripserit pleuritico die quartâ medicamentum dandum, vult enim dandum esse non ex dierum numero, sed ubi humores coctionem aliquam sunt adepti. Quapropter si diei septimæ tantùm meminit, ea causa est quod ante diem septimam coctiones in tertianâ nothâ vix possunt apparere. Id tantum docere voluit ante diem septimam inutile esse absynthium, sed postea citiùs vel tardius posse dari, prout concoctio citò vel tardè apparebit.

De obstruentia.

XII. Ad obstructiones viscerum tollendas, & pertinacissimos humores edomandos probat Mercurialis sarsam parillam. ℞ *trochiscor de rosis. de Eupator. de absynt. ana* ℥ j. *cum aqua agrimon. f. pilulæ x. sumat quinque in aurora, superbibendo syrupum capilli veneris dilutum aqua endiv. aut decocto agrimon. & cicerum rubror.* Fotus quoque hypochondriorum conveniunt, de quibus in quartanâ, & quotidianâ dicemus, ad obstructiones tollendas, materiam coquendam.

Curatio febris à bile vitellinâ & æruginosâ

XIII. Hic notandus error quamplurimorum recentiorum qui describunt curationem tertianæ nothæ à bile vitellinâ, eandem cum curatione tertianæ quæ fit pituitâ bili permistâ. Purgant in hac febre, diaphœnicone, carthamo, agarico, cæterisque phlegmagogis mistis cum iis quæ bilem purgant. Ita faciunt *Guainerius, Savanarola, Montuus, Fontanus*, quasi bilis vitellina fiat ex admistione pituitæ cum bile ut voluit *Avicennas.* Contra *Galenus* eam fieri docuit ex adustione bilis, quæ tenuiori dissipatâ substantiâ, crassiorem acquisivit consistentiam, & ex adustione fervorem. Si enim ex pituitæ mistione fieret, esset bile naturali frigidior, & colore pallidiori, cum tamen sit calidior & flavior. Vitellina enim dicitur, quod vitellis ovorum sit similis, colore & consistentiâ. Ex hâc ulteriùs caloris vi assata fit prasina & æruginosa. Non itaque prædicto modo curanda est, sed refrigerantibus, & humectantibus, ac etiam aliquantulum attenuantibus, sed frigidis, ut sunt radices acetosæ, asparagi, cichorii, endivia, fumaria, buglossum

ſum &c. quorum materiam vide apud Fernel. *cap. 4. 5. methodi.* Quæ autem ad bilem atram proſunt his humoribus conveniunt, ſunt enim ejuſdem fere naturæ, & valdè parum gradibus caloris & malignitate differunt, tanta enim acrimoniâ ſunt præditi, ut è corpore ejecti ebulliant, pelveſque argenteas vario calore, cyaneo, viridi, luteo, æruginoſo inficiant, ita ut vix inde ullâ lotione poſſint evelli, unde ab his humoribus *Mercatus* non ſine ratione vult potius fieri intermittentes, quàm continuas, quia ob acrimoniam natura non patitur earum in venis collectionem. Purgentur itaque ſtatim ut capite de tertianâ dictum, quò natura maximè vergit, ſive per vomitum, ſive per alvum, nullâ expectatâ coctione, tum quia ſunt in primis viis, tum quia coctionem refugiunt, & quia ſi diutius eorum evacuatio differatur, noxas maximas corpori afferre poſſunt. Vacuari itaque poſſunt, vel per vomitum, vel per alvum, id ſemper obſervando, ut multo potu temperentur emetica, ſic enim facilius vomitus ſuccedit, humor diluitur & mitigatur, cujus contactus maximè pernicioſus eſt & inſalubris. Sufficiunt autem blanda vomitoria ex aquâ tepidâ, ſyrupo acetoſo, cum oleo. In purgatione per inferiora, idem quod de vomitu dictum, obſervandum eſt ne ſcilicet humoris acrimoniâ dyſenteria accerſatur. Convenit *caſſia, infuſio rhabarb. manna, confectio hamech, diaſenna, ſyr. violatus ſolutivus*, cum magna quantitate *ſeri lactis*, *vel aqua hordei*, *vel decocti maluarum, violarum*. A purgatione ſumat juſculum alteratum oxal. endiu. cichorio, borrag. maluâ. Deinde alterantibus utendum, conſulit Galenus *12. methodi*, in doloribus quos erodentes ſucci pariunt, ut paulatim & ſenſim lenientibus utamur. Id præſtant *ſyr. de limon. de cichor. de acetoſit. citri, conſerva roſar. bugloſ. ſaccharum roſat. cum margaritis*, aqua hordei, decoctum violarum, cum ſaccharo violato. Utendum etiam alexipharmacis, *theriacâ, ſmaragdo*, ſed præcipuè *cryſtallo*, cujus ʒ j. ſumatur ex decocto oxalidis, Intybi, cum ſyrupo de limon. Eſt enim cryſtallum porraceæ & æruginoſæ bilis alexipharmacon, dyſenteriæque antidotum, totâ ſubſtantiâ, & qualitate manifeſtâ ut vult *Petrus Aponenſis libro de venenis*. Langius 3. Epiſt. ſyrupum hunc valde extollit. Cryſtalli optimè triti ʒ ß. aquæ vel decocti portul. oxalidis, *Cryſtallum.*
endiv. ℥ iij. ſyrupi de ſucco limon. aut citri ℥ j. In ſyrupis propinandis veretur *Maraſſaria* ne frigidate, & aciditate adſtringant & obſtructiones augeant; ſed nimis cautus eſſe videtur, nec enim ſoli dantur, nec obſtructionem pariunt ſucci acidi, ſi parum decoquantur, ut mo-

nuimus

nuimus *ſuperiori libro cap.* x. Refrigerant autem, putredini & malignitati reſiſtunt, obſtructa leviter aperiunt, ita ut ſuâ adſtrictione nocere non poſſint. Admoveantur præterea epithemata cordi & jecori refrigerantia & roborantia. Clyſteres quoque ſint lenientes ne acrimoniâ humorum inteſtina lædantur. Lubet hic materiam medicam ſubjungere, quâ alterari humores iſti poſſunt & debent, ut promptè in idoneas formulas reducatur. Eadem autem atræ bili competit. Hi autem humores cum ſint valdè calidi ſicci, refrigerantia & humectantia poſtulant, qualia bili frænandæ dicata ſunt. Sed quia ſimul craſſi ſunt, & obſtructiones pariunt, attenuantia erunt miſcenda, & ſimul aperientia, & ex his fieri poſſunt julepi, decocta, electuaria ad libitum medicorum. Et hæc de tertianâ majoris famæ.

XIV. Eſt autem tertiana quæ dicitur minoris famæ, ex bile cum melancholiâ putreſcente miſtâ generatur, vel ut quidam volunt, cum bilis torretur, & degenerat in melancholiam, propterea magis humectantia poſtulat, ejuſque curatio parum differt à quartanæ curatione, quæ ex melancholiâ aduſta producitur. Præparetur humor prædictis. ℞ *radicum graminis, aſparagi, cichorii ana* ℥ j. *endiv. ſcolop. lupuli ana* M. j. *flor. borrag. bugloſ. cichorii ana* P. j. *ſeminum frigidor. majorum ana* ʒ j *f. decoctio, in cujus* ℥ x. *diſſolve ſyr. de pomis, & de cichorio ſimplicis ana* ℥ j ß. M. *f. julep.* ℞ *prædicti decocti* ℥ vj. *inf. & coque folior. ſennæ* ʒ vj. *tamarind.* ℥ j. *myrabalanor. indar. oleo amygdal. dulcium confricatarum* ʒ j ß. *prunorum* Par. iij. *Coquantur parum, in colat. diſſolve rhab. electi in aqua endiviæ infuſi & expreſſi* ʒ ij. *catholiconis* ℥ j. *confectionis hamech* ʒ iij. *ſyrupi roſar. ſolutivi* ℥ ij. *ſtent ſimul in infuſione per noctem, mane colaturâ factâ fiat potio in duas doſes.* Poteſt etiam vomitorio humor expurgari. Clyſteres pariter ſint lenientes, quales ſuperius deſcripti ſunt.

XV. Solent autem tertianæ nothæ partibus internis eſſe noxiæ, præcipuè ventriculo, hepati & lieni, quæ ſolent plurimùm obſtrui, quapropter ſunt roborandæ internis & externis. Ad ventriculum igitur roborandum. ℞ *coriand.* ℥ ß. *ſem. aniſi* ʒ ij. *coralli aqua roſar. loti* ʒ j. *raſuræ ebor.* ℈ iiij. *pulveris aromat. roſati* ℈ ß. *ſacchari ad pondus omnium. fiat pulvis. Vel* ℞ *pulver. diamargarit. frigidi, diarhod. abbat. ana* ʒ j. *triaſant.* ʒ ß. *raſuræ ebor. margarit. præparat. ana* ʒ ß. *ſacchari in aqua roſar. diſſoluti* ℥ iiij. *f. tabellæ ponderis* ʒ iij. *ſumat unam poſt ſingulos paſtus, nihil ſuperbibendo.* Inter externa Galenus laudat fotum. ℞ *ſummitat. abſynth. menthæ ana* M. j. *cinnam* ʒ j ß. *florum chamæm. meliloti, roſar. rubrar.*

ana

ana P. j. *cyperi* ℥ ß. *ſem. aniſi, fœniculi ana* ʒ ij. ſpicæ ʒ j. f. decoctio ex quâ cum ſpongiis f. fotus ventriculi, & hypochondriorum. Deinde unguantur unguento ſequenti. ℞ *Oleorum de abſynth. maſtic. nard. ana* ℥ j. *calami aromat. ligni aloës, aromat. roſati ana* ʒ j. *ceræ parum f. unguentum.* Lieni quoque & hepati proſpiciatur ℞ *conſervæ cichor. roſar. ana* ℥ j. *pulveris diarhod. triaſantali ana* ʒ j. *trochiſcor. de Eupator.* ℈ ij. *cum ſyr. de de cichorio f. opiata.* Ad lienem ℞ *Conſervæ florum tamariſci, cichor. borrag. adianti ana* ℥ ß. *diamarg. trochiſcor. de capparib. ana* ʒ j. *cum ſyr. de cichorio fiat electuar.* Plura in harum partium affectibus deſcribentur.

XVI. Sed quoniam obſtructiones contumaces hic adeſſe ſolent, adverſus eas fortiter pugnandum. Uſum frequentem *Aloës* valde commendat *Septalius.* ſyrupus quoque ſequens præſtantiſſimus eſt. ℞ *radic. apii, eryngii, vincetoxici, enulæ, aſparagi ana* ℥ ß. *folior. Agrimon. eupatorii Avicennæ,* quod ageraton eſt. *ceterach. adianti albi, & nigri, cuſcutæ, cichorii ana* M. j. *card. bened.* M. ß. *comar. abſynth. quartam partem* M. j. *flor. centaur. minoris* P. j. *ſem. alkekengi* ʒ ij. *cicerum rubror.* P. j. *tartari optimi* ʒ iij. *f. decoctio ad* ℔ j ß. *In colat. diſſolve aceti optimi* ℥ iij. *ſyr. de quinque radicib.* ℥ ij. *ſacchar. optimi* ℔ j ß. *Iterum coquantur, & clarificentur. f. ſyrupus mediocriter coctus, cujus doſis ſit ad* ℥ iiij. *ſingulis diebus mane.*

XVII. Uſus chalybis præſtantiſſimus eſt ad inveteratas iſtas obſtructiones, *Mercurialis* hanc extollit præparationem. Limatura chalybis in aceto per dies ſex maceretur, exſiccetur in umbrâ, inſpergatur pulvis caryophillorum, & hujus doſis eſt à ʒ j. ad ʒ ij. cum conſervâ idoneâ. Vel chalybis fruſtum ignitum decies extinguatur in vino generoſo, aut ſucco limonum, dein totus humor vapore Alembici extrahatur, remanet pulvis in fundo, qui iterum aquâ vitæ, aut potius aceto abluitur, & deſiccatur, doſis erit à ʒ ß. ad ℈ ij. cum aliis medicamentis, ut conſervis, ſuperbibendo jus pulli herbis idoneis medicatum, quam poſteriorem præparationem magis probat *Merculialis*, aitque educi fœces copioſas nigras fœtentes. Electuarium de ſcoriâ ferri deſcribitur à *Rhaze*, ſyrupus de ſcoriâ ferri à *Ludovico Mercato*, aliæque adſunt chalybem uſurpandi formulæ apud *Claudinum, & Mercatum.* Notetur ſequens præparatio. ℞ *limaturæ, chalybis, aceti vini albi ana* ℔ j. *Coque in ſartagine ferreâ lento igne, dum acetum abſumptum ſit, poſtea tere, adde pulveris caryophill.* ℥ j. In cucurbita vitrea affunde vini hiſpanici ℔ iiij. Obturatum vas expone ſoli, *Chalybs.*

vel colloca retro fornacem, singulis diebus bis vel ter agitando, per dies xiiij. postea sine dum fæces subsidiant, cujus dosis est ab ℥ ß. ad ℥ ij. Valet ad menstrua virginum provocanda, ad pallidos colores, præcedentibus idoneis vacuationibus, & victus ratione, ad omnes denique internas obstructiones. *Crystalli Martis sic fiunt* ℞ limaturæ chalybis, quantum videbitur, instilla paulatim & successivè oleum sulphuris, donec nulla fiat ebullitio, affundatur aqua pluvia distillata, fiat dissolutio; hanc philtra per chartam emporeticam, eique spiritum vini permisceto, Crystalli intra paucas horas decident ad fundum, qui in chartâ siccati serventur ad usum. Chalybs ab aliis sic præparatur: *scoriam ferri aceto distillato macera, tingetur colore rubro, filtra, & evapora, ac sæpius aquâ pluviali ablue, vel parum calcina in crucibulo, ut acrimonia aceti evanescat, postea si debite tractetur, sponte se in cella in oleum resolvit, dosis est à granis* viij. *ad* xv. Aliter. *Laminas chalybis ignitas extingue in aceto donec rubescat, tunc humiditatem aceti distilla, ferrum coagulatur in pulverem siccum. Cui si spiritum Vini infundas, & vase bene clauso digeras in arenâ, emittet tincturam, dein in Balneo Mariæ fit oleum* ad jecur & lienem roborandum, ad fœdos virginum colores, cum decocto Juniperi, aut simili; & Paracelso attribuitur. Præparatur etiam cum aquâ forti, oleo vitrioli, aquâ salis armoniaci, spiritu salis, sed non adeo confert in Medicinâ. Probatur à Mercato præparatio sequens, quæ à secundâ parum distat. ℞ *limaturæ chalybis* ℔ j. *ablue aceto, & expurga, adde pulveris cariophill.* ℥ ß. *sinantur per noctem. Postea* ℞ *vini albi* ℔ iij. *Misceantur simul, stent ad solem vel in stuphâ per* viij. *dies, donec tota limatura dissolvatur*, exhibe singulis diebus ℥ iij. quod medicamentum etiam scyrrhos sanasse testatur *Mercatus*. Vel ℞ *limaturæ chalybis* ℥ iiij. *extinguantur in vini albi* ℔ ij. *idque per quinquaginta vices repetatur, dosis ad* ʒ ij. *mane post corporis purgationem.* Plures præparationes videre licet apud *Quercetanum, Beguinum*, & authores prædictos.

XVIII. Ad febres quoque diuturnas præsertim puerorum mirè conferre dicunt quidam decoctum radicis eryngii cum drachmâ una rhabarbari pro potu ordinario, debetque rhabarbarum decoqui non infundi, ut vis ejus aperiens servetur, purgans evanescat. *Gesnerus* in epistolis laudat radicis *eupatorii Avicennæ*, quam ageraton, herbam sanctæ Kunigundis appellant, fibras in vino decoctas, alvum urinam, vomitumque cient, instar veratri albi, sed mitius. *Idem* gentianæ succum valdè commendat. Quidam apud Anglos aquas quasdam

dam diſtillatas alexipyretas habent, quibus in qualibet intermittente febre utuntur ſtatim, ſunt autem omnes ex calidis herbis diſtillatæ, ſed non valent in tertianâ exquiſitâ, potius conveniunt in pituitoſis febribus, aut in tertianâ nothâ, quando humoris pituitoſi magna copia eſt, aut quando obſtructiones ſunt maximæ, nec in principio ante coctionem, nam ſi abſynthium ante coctionem *Galenus* improbat, in tertianâ, pariter eadem ratione rejiciendæ ſunt iſtæ aquæ calidæ, ſed poſt coctionem in malo contumaci & obſtinatis obſtructionibus utiles eſſe poſſunt. Dantur autem aliquot horis ante paroxyſmum, ut æger ſudare poſſit, cavendo ſemper ne temperamento ſit valde bilioſo, aliàs nimium inflammant. Duas ejuſmodi aquas *Quercetanus in Pharmacopœa recenſet.* ℞ *meliſſæ, beton. argentinæ ana quantum ſatis, ut extrahantur ſucci* ℔ iiij. *ſucci folior. & radicum centaur. minoris* ℔ ij. *aquæ aſtacorum* ℔ j. *aquæ papav. albi* ℔ ß. *aquæ fragar.* ℔ j. M. *& diſtillentur per cineres.* Specificam eſſe ait ad omnis generis febres intermittentes, tertianas præcipuè nothas. Sequens mihi pro ſecreto communicata fuit, compoſita olim à celeberrimo apud Anglos Medico. ℞ *abſynth. angel. anagall. utriuſque agrimon. betonicæ ana* M. j. *centaurii minor. calend. cardui bened. coronopi, (aliter cornu cervi vocant) dracontii, galegæ ana* M. j. *granorum paradiſi* ℥ ß. *radicis caryophillatæ* M. j. *caryophillor. Zinzib. ana* ʒ j. *hypericon. Imperator. loti odorati, meliſſæ, parthen. ana* M. j. *trium piper.* ʒ j. *rozis ſolis, roſmar. rutæ, ſaluiæ, ſcabioſæ, ſcordii, ſcorzoneræ, thymi, verbenæ ana* M. ß. *incidantur & contundantur, per biduum in vino albo macerentur in vaſe clauſo, dein diſtillentur ad ſiccitatem, quod ſi ſal calcinando educatur potentiſſima fiet aqua ad omnes viſcerum obſtructiones emendandas.* Valet ad omnes febres potiſſimum contumaces. Alia. ℞ *potentillæ, meliſſæ, florum beton. chamæm. perſicar. maculatæ, capitum papaveris albi cum floribus ana* M. iiij. *aſtacos vivos contuſos* N. xx. *florum centaurii minor.* M. iiij. *Contundantur omnia, diſtillentur ad ſiccitatum.* Exhibeatur juſta quantitas cum Spiritu vitrioli. Multa alia ad ejuſmodi febres laudantur, ut ſal geniſtæ ad ℈ j. ſal abſynth. ad ʒ ß. ſal urinæ cum extracto gentianæ, & vino albo aut aquâ convenienti. Commendat Platerus *camphoræ* ʒ ß. *ſolutam in* ℥ j. *ſpiritu vini, exhibeatur ante paroxyſmum.* Sed hoc eſſe falſum experientiâ certâ cognovi. Alius ſequens laudat ℞ *aquæ nucum viridium* ℥ iiij. *aquæ verbenæ* ℥ ij. *theriacæ* ʒ ß. *eſſentiæ croci grana tria.* M. *in tres doſes.* Vel ℞ *vini albi* ℥ v. *ſacchari* ℥ j. *olei tartari* ʒ ß. M. *fiat hauſtus ante febrem,*

Aquæ febrifugæ

agu-waters. *

 ſudet-

sudetque in lecto, si fieri possit, Valet etiam in peste. ℞ *florum sulphuris grana* xij. *aquæ cardui, vini albi ana* ℥ ij. *detur ante paroxysmum.* Decoctum pilosellæ quoque laudatur. Aliaque apud authores reperiuntur, quibus tamen non est, temerè fides exhibenda, nec nisi cum judicio sunt usurpanda, nam qui temerè ejusmodi calidis in febre quartanâ usus erat, ex simplici duplicem fecit, verendum est, ne idem in tertianâ nothâ, contingat, quod accidisse sæpe vidi ex Importuno aquarum febrifugarum usu, quas quædam mulieres temerè usurpabant, contra Medicorum consilium.

Physica. XIX. Præter hæc sunt quædam quæ occultâ proprietate ad tertianas profligandas valere dicuntur; *sambucum*, *sonchum*, *plantaginem* quidam terunt, ex aceto subigunt, carpis alligant. *Folia bursæ pastoris* carpis admota hanc febrem depellunt. Secundum *Rondeletium* ea species *Thlaspi* quę similis est bursæ pastoris, teratur cũ *dentillariâ*, addito sale & aceto, & pariter carpis admoveatur. Alii ad idẽ fuliginem è furno, & salviam contusam, vel hederam terrestrem, cum allio, cæpis, ovi albumine & aceto miscent, & apponunt. *Sylvius* asserit limacem pratensem cubito alligatum omnibus febribus conferre. Nobile est & familiare *epicarpium* ex unguento populeo & telis aranearum, quo sæpe usus sum satis fœliciter, quamvis non semper respondeat eventus. Itaque possunt hæc & similia in usum revocari, sed tamen non est iis fides adhibenda. Quidam sempervivum & alia refrigerantia hepati apponunt, sed ut advertit *Hollerius*, suspectum est remedium, quando timetur obstructio. Inter assumpta quæ propietate conferre dicuntur plurimùm commendat sequens remedium *Alexand. Benedictus* ℞ *succi polygonati, rad. plantag. ana* ℥ j. *cuscutæ, seminis sinapi ana* ʒ ß. *fervefacto & percolato succo adde sacchari quantum satis*, detur tribus horis ante paroxysmum. Ad idem laudantur *succus plantag. pimpinel. aquilegiæ, pulvis crystalli cum aquâ cicerbitæ, vel vino, os de corde cervi, coriandri tria grana* trita & ante paroxysmum pota. Hæc qui volet poterit experiri; & de his satis.

CAP. IV.

De febre ardente & tertianâ continuâ.

1 TErtiana continua duplex est, vel enim remissiones habet, & tertio quoque die exacerbatur, vel assiduo parilique incendio cor exagitat, & vocatur καῦσος, sive ardens. Differunt autem non humore,

more, in utraque enim bilis putrescit, sed loco, quod in priori putrescat humor in minoribus vasis, in hâc vera in majoribus, & cordi proximis, quæ exacta distinctio curationem tamen non variat, ideo de utraque simul agemus. Causos, si nomen spectemus, non est differentia febris, sed tantùm conditio, quæ ejus gravitatem, vehementiamque denotat, quâ ratione febrem omnem, quæ ardorem sitimque gravem annexam habet, licebit ardentem appellare, nomen illud de pluribus quidem dici potest, sed non pari de omnibus ratione, sed secundum analogiam. Dubitaturque de synocho, de tertianâ exquisitâ, de tertianâ continuâ, an ardentes sint. Putant multi synochon esse de genere ardentium; *Horatius Augenius*, synochon posse fieri à bile statuit. At sic differentiæ febrium videntur confundi, si bilosas à sanguineis non distinguamus. Ut enim, superius diximus, febris synochos fit, cum omnes humores æqualiter putrescunt, at causos ex sola bile, aut bilioso sanguine generatur, ut præclarè explicat *Aëtius cap. 77. lib. 5.* & *Galenus 2. de cris. cap. 3.* à tertiana ardentem differre statuit, non generationis modo, nec humore putrido, sed tantùm loco putredinis, idemque docet *com. ad aphor. 52. lib. 4.* Sed ex *Galeni* locis quamplurimis probari posse videtur synochum esse ardentem. *nam 2. de crisib. cap. 6.* vult synochon esse de genere de-urentium; Et sanè rectè dixit de genere ardentium, nam si generalem significationem ardentis retineamus, poterit synochos ardens esse, at propriè loquendo nequaquam, differentiam enim inter illas *Galenus* locis citatis constituit, unde addit *acutie ab illis differre.* Præterea *Galenus comment. ad aphor. 23. lib. 1.* In ardentissimis febribus sanguinem mittit ad animi deliquium. At in sola synocho id licet. Ergo synochus est ardens. Respondeo usum esse nomine ardentium amplâ verbi potestate, non proprio significato, quod indicat verbum θερμοτάτων, quo ostendit *Galenus*, se de calidissimis quidem febribus loqui, quales synochous esse fatemur, sed non de ardentibus. Attamen sciendum est *ex j. Epid. sect. 3. t. 2.* Juniores Medicos, id est Hippocrate posteriores, συνεχεῖς, & σύνοχους distinxisse, nam συνεχεῖς vocabant omnes continuas quæ remissiones habent & exacerbationes, σύνοχους vero eas quæ ab initio ad finem perseverant, nullo stato excandescentiæ ordine, sic *2. de diff. feb. cap. 2. ac 9. meth.* synochon eam esse dicit, cujus tempus uno tenore, quasi unâ tantùm accessione à principio ad finem porrigitur. Ex quibus concludi poterit, nomen synochi non tantum sanguineæ febri, sed & omni continenti debere ac-

commodari, qualis cum ſit ardens, dubium non eſt ardentem ſynochon eſſe, nam ardens non differentiam febris, ſed tantùm magnitudinem indicat, ita ut optimè ſynochos dividi poſſit ſecundum *Galen.* in ſanguineam & bilioſam, quæ ardens eſt. Cum igitur quæritur, an nomen cauſi ſynocho conveniat, idem eſt ac ſi quæreretur, an nomen * ſpeciei generi conveniat, cum potius nomen generis ſpeciei attribuatur. Ideo quærendum potius erat, an nomen ſynochi conveniat ardenti, eſt enim ardens ſpecies ſynochi, non ſynochos cauſi. Ideo ardens poteſt dici ſynochos, ſed non contrà. Quærit *Gentilis* an poſſit febris *Quæſtio.* à pituita & melancholiâ generari, quæ ſit continua ſine exacerbatione. Reſpondet poſſe, ſi putredo cordi propinqua ſit, & in venis majoribus, quamvis ab humore melancholico rariùs fiat, ob humoris illius paucitatem, ſed tamen poſſibilitas non eſt neganda. Quæ autem à pituita fit, febris lentæ imaginem refert, quam laticam vocat *Avicennas*.

II. Præterea nomine ardentis tertianam exquiſitam intelligere poſſumus, *febris*, inquit Galenus 2. de diff. cap. 3. *ex bile facta per ſententia corpora delata, incipit cum rigore & cauſodes eſt.* Idemque aliis in locis conſtituit, quos ſedulo collegit *Altimar. cap. 8. part. ſecundæ de febrib.* Verumtamen tertianam ab ardente perpetuò ſeparat, quod hæc ſit ſine rigore continua, illa vero cum rigore, atque intermittat. Propriè itaque loquendo tertiana non eſt ardens, ſed tantùm amplâ verbi poteſtate, quatenus ardentis nomen febribus opponitur, quæ fiunt ex humore frigido, ut ait *Galenus* lib. de tremore, agens de tertianâ intermittente. *Nullus*, inquit, *ſanæ mentis hanc à frigido ſucco fieri ait, cum genere ardens ſit, continuitatis tantum egens.* Ubi opponit ardentem ei quæ à frigido humore concitatur. Inſuper differentia eſt inter καῦσον & καυσώδη πυρετὸν, nam febres multæ poſſunt eſſe καυσώδεις, ſed καῦσος nulla rectè dicitur, niſi quæ fit ex bile in vaſis putreſcente, reliquæ ſunt καυσώδεις prout magis vel minùs accedunt ad naturam καύσου.

III. Ardentis etiam nomine intelligitur febris ex bile continua, quæ nunquam intermittit, remittit tamen, iterumque excandeſcit tertio quoque die, nam *2. de criſ. cap. 3.* omnem continuam ex bile in ardentium numero collocat *Galenus.* Si ſitis, calorque exurens ſigna ſunt ardentis, tertiana continua ardens dici debet, nam ſi pituita ſalſa bile frigidior ardentem facit, cur negabimus tertianam continuam quam bilis parit eſſe ardentem. At maximè propriè & καθ' ἐξοχὴν febris

bris

bris ardens ea dicitur, quæ ex bile fit putrefactâ in venis majoribus, aut ſaltem, ex pituitâ ſalsâ, Καῦσος ἐστὶν inquit author definitionum Medicarum, ὁ μετὰ πυρώσεως πολλῆς γινόμενος πυρετὸς, ἀναστολὼ μηδεμίαν σώματι παρέχων, γλῶσσαν ἐπιξηραίνων, μελαίνων, ἐπιθυμίαν ψυχροῦ παρέχων. Vel definiri poteſt febris continua ex bile in vaſis majoribus putrefactâ, aut ſaltem ex phlegmate ſalſo genita, cum inſigni calore & ſiti ægrum infeſtans. Reverâ tertianam continuam Galenus ardentem ſemper vocat, nec ab illâ diſtinguitur, cum nulla ſit putrida febris, quæ remiſſiones quaſdam non habeat, præter febrem à ſanguine, ut rectè advertit Valles. c. 22. lib. 5. Hinc duæ ſtatuuntur illius differentiæ ſecundum Galenum *4. de rat. vict. acut. 13.* Alias eſt legitima, alia notha, prior fit ex flavâ bile in qua adſunt omnia ſymptomata illius propria. Notha fit ex ſalsâ pituitâ, in qua omnia ſunt remiſſiora, ſitis ſcilicet minus urget, corpus minus uritur. De utroque ſeorſim agemus, non enim adeo mihi probatur καῦσος iſte à pituitâ ſalsâ.

IV. Febris igitur ardentis cauſæ, vel ſunt procatarticæ, vel antecedentes vel conjunctæ. Procatarticæ ſunt aëris nimius calor, alimenta acria & calida, cæteraque quæ bilem copioſam generare, eamque in putredinem deducere valent, de quibus *cap. de tertianâ diximus. Si æſtas & autumnus pluvii fuerint, & Auſtrini. hyemem morboſam eſſe neceſſe eſt, & pituitoſis ac annum 40. excedentibus fieri* καύσους. *lib. de aëre, aquis, & locis.* ex pituitæ putrefactione & incandeſcentiâ, quæ ſalſedinem contrahit, aut ſimul putrefactâ bile, quod eſt veriſimilius, nemo enim adeo pituitoſus eſt ea ætate, quin bilem habeat plurimam. *At aphoriſmo 7. lib. 3. In ſiccitatibus febres fiunt acutæ*, quoniam in ſiccitatibus bilis plurima generatur. Attamen *eodem libro*, ſiccitates ſalubriores eſſe dicit, ratione quidem aëris, præcipuò ſi ſquallidus non fueret, ſed aquilonaribus ventis perflatus, ſed per accidens acutos morbos gignit, ob bilis plurimæ proventum, ſicut ver ſaluberrimum, morbos tamen producit quamplurimos, vel ut innuit *Galenus in comment.* febres in ſiccitatibus ſunt quidem pauciores, ſed acutiores, ita ut ſiccitates ſaluberrimæ dicantur, non quod morbi acuti & periculoſi tunc non generentur, ſed quod rariores ſint eo tempore ægritudines. Rufus tamen in hoc aphor. per febres acutas intelligit peſtilentes, carbunculos, bubones, quod etiam verum eſt, etſi enim ſiccitas ſalubrior ſit humiditate, gignuntur tamen in vehementiſſimis ſqualloribus prædicti morbi, quia exuruntur humores, quia materia ſunt peſtis & carbun-

Cauſa.

bunculorum. At *aphor. 16. ejusdem libri.* Febres in pluviarum multitudine longas generari scribit, quod videtur adversari iis quæ scripta sunt, *lib. de aëre, aquis & locis*, scilicet fieri tunc febres ardentes, non longas, dicendum id fieri per accidens, in iis tantùm qui 40. annum excesserunt. suntque calidissimi & siccissimi, quibus aëris humiditas putredinem accersit, non autem in pueris & senibus, qui tunc in febres longas potiùs incident, quamvis omnibus temporibus omnes morbi fieri possint, ut alibi docet *Hippocrates*. Causa antecedens & conjuncta ipsa bilis est. *Fit*, inquit Hippocrates, *ardens, quando æstivo tempore venulæ resiccatæ attrahunt ad se calidas fluxiones, & biliosos ichores.* Hic, docente Galeno, summus Præceptor proponit causas antecedentes & procatarticas febris ardentis. Procatarcticæ sunt *æstas, longa via, sitis*, quæ corpus calefaciunt, venas resiccant, inanitæ autem obvios quosque humores attrahunt, præcipuè tenues & acres qui faciliùs moventur, & indè febris accenditur ardens, vel quia ex prædictis bilis in venis contenta accenditur, & accensa febrem parit. Per serosos autem tenues intelligit *Galenus*, aut potius pituita salsa indicatur, quæ est altera febris ardentis causa conjuncta.

An semper bilis putrescat.

v. Sed dubium hic esse debet, an possit febris ardens fieri bile tantùm accensâ, non putrefacta. Et quidem *Hippocrat. loco citato*; nihil quod putredinem arguat recenset. Longa via, æstas, sitis, non sunt necessariò putredinis causa. Pariter nec humores acres, tenues, biliosi, qui nec obstructionem in internis, nec putredinem parere possunt. Fit enim obstructio vel à multitudine & copiâ humorum, quæ hic nulla est, cum venæ sint inanitæ, vel à crassitie, & viscositate, quæ hic quoque non adest, cum humores hi tenues & acres esse dicantur. Hic igitur tantummodo recensentur causæ admodum calefacientes, quæ necessariò putredinem non pariunt. Præterea si illud quod difficilius est, tamen adest, illud quod facilius fit, aderit, sed difficilius videtur sanguis accendi sine putredine, ob caliditatem & humiditatem, bilis vero faciliùs excandescere ob calorem & siccitatem. Attamen accenditur sanguis sine putrefactione quidem, ergo idem bili contiget! Contrarium sentit *Galenus lib. 2. de crisibus cap. 3.* cui omnes fermè consentiunt. Cum enim sanguis sit admodum familiaris naturæ ab illâ conservatur, & ab omni putrefactione corruptioneque defenditur. Quamvis igitur temperiem obtinuerit valdè putredini obnoxiam, tamen cum sit plenus spirituum, & calore naturali influente abundet, calefieri quidem

quidem & accendi, ſed non ita facile putreſcere poteſt, à naturali ſiquidem calore defenditur. At reliqui humores cum ſint extra naturæ regimen, illique quoties abundant perpetuò graues, vix calore præternaturali corripi poſſunt, quin ſtatim putreſcant. Non ſolet enim bilis naturaliter in corpore coacervari & redundare, ſed ſemper à cauſis præternaturam generatur, quoties redundat. Primæ itaque objectioni reſpondemus, non omnem putredinem eſſe ab obſtructione, quamvis hic etiam adeſſe poſſit obſtructio. Putreſcunt itaque humores,, tenues, acres, bilioſi, quia cum ſint à naturâ alieni, calor naturalis ipſos relinquit, nec à putredine tuetur, ut oſtendunt fæces in inteſtinis, quæ ſine obſtructione graviter putreſcunt, & fœtent, humores enim in locis calidis concluſi, ubi à naturâ relinquuntur, neceſſario corrumpuntur, nam defectu caloris nativi omnes putredo contingit. Itaque quamvis obſtructio ut plurimùm febrium putridarum cauſa ſit, non eſt tamen perpetua, & neceſſaria, ſed humores à naturâ noſtra alieni, poſſunt facile à quolibet calore labefactari, & corrumpi. Secundæ objectioni ita ſatisfaciemus, diſtinguendo. Sanguis enim difficilius putreſcere deberet, quam bilis ratione qualitatum, cum ſit calidus & humidus, bilis calida ſicca. At ratione caloris nativi id negatur, natura enim ſanguinem conſervat, quantum poteſt, non bilem, ideoque citius corrumpitur. Quamvis problematica iſta quæſtio cenſeri poſſit, & ſine corporis humani jacturâ in utramque partem agitari. Nam etiam bilem atram & æruginoſam plurimi cenſent poſſe à ſolo calore fieri ſine putredine, non enim omnis calor immodicus putrefacit, ut docet Averrh. 3. Colliget. cap. 4. adverſus Galenum. frequentior tamen eſt putrefactio, quia calor extraneus innatum labefactat, & corrumpet.

VI. Sed hic aliud occurrit dubium An ſola bilis ſanguinis permiſta ita putreſcere poſſit, ut nec ſanguini, nec reliquis humoribus ſuam labem communicet. Ubi enim adſunt cauſæ putrefacientes, & humores à naturali calore non reguntur, neceſſariò fit putredo. At quando humor quiſpiam in venis putreſcit, adſunt cauſæ putrefacientes, aliàs non putreſcet, humores quoque à naturali calore non reguntur, quia adeſt præternaturalis qui naturalis actiones labefactat & remoratur. Ergo omnes putreſcent. *Secundò* ut ſe habet calor naturalis ad concoctionem, ita ſe habet calor præternaturam ad putrefactionem. Sed naturalis omnes ſimul humores generat *Quæſtio an ſolâ bilis putreſcat.*

rat & concoquit. Ergo præternaturalis eos quoque omnes putrefaciet. Sed huic adverſatur experientia, quæ oſtendit omnes humores ſimul non putreſcere, præterquam in ſynocho. Id confirmant ſigna variæ humorum putrefactionis, tum excretiones tam naturales quàm artificioſæ, quibus unicus tantùm humor ſæpiſſimè evacuatur. Et ratio quoque ſuffragatur, quia ſi putrefacto uno humore, reliqui etiam corrumperentur, in qualibet febre omnes febres darentur, ſicque unica tantùm febrium ſpecies foret, quod eſt abſurdum, & contra *Galeni* mentem. Quod ut plenius intelligatur, notandum duplicem eſſe miſtionem, ſecundum *Ariſtot. 2. de generat.* Prima eſt vera miſtio, miſcibilium alteratorum unio, in quâ quæ miſcentur ſuam amittunt formam, & nova introducitur miſti forma. Alia eſt miſtio in quâ miſcibilia ſuam naturam retinent, quæ potius confuſio eſt quam miſtio. Sic humores in venis ſanguinem conſtituentes, ità uniuntur, ut eorum quiſque ſuum nomen, naturamque retineat, quod patet quia naturâ ad nutritionem eos ſecernit pro variâ partium nutriendarum natura, quin etiam in catharſi à medicamento trahente ſeparantur. Quod ſi eſſent verâ miſtione uniti, non poſſent ſine maſſæ ſanguineæ corruptione ſejungi, ſicut elementa à miſto ſine miſti diſſolutione non ſecernuntur. *Secundò* notandum aliter ſe habere calorem naturalem ad humores generandos, aliter præternaturalem ad corruptionem. Nam calor naturalis agit uniformiter, (ut loquuntur Philoſophi) ita ut omnes ſimul humores generet. At calor extraneus diſtinctè agit & difformiter, in humorem quæ magis ad putredinem diſpoſitus eſt. Inſuper natura utiles humores cuſtodit quantùm poteſt, inutiles vero relinquit, nec eos gubernat. Primæ itaque rationi ità ſatisfiet, ſi dixerimus, cauſas quidem adeſſe putrefacientes, ſed non neceſſariò omnes humores labefactare, verùm eos tantùm adoriri qui magis ad putredinem ſunt diſpoſiti, ſuntque extra naturæ regimen, reliquos vero intactos relinquere, qui & corpori utiles ſunt, & à naturâ reguntur, & putredini minùs obnoxii. Nec ità ab extraneo calore nativus debilitatur, quin coctiones promoveat, materiam morbificam oppugnet, humores idoneos à putredine vindicet, niſi forte ob omnimodam virium ruinam natura ſuccumbat. Non enim quilibet humor à naturâ relinquitur, quando alter putrefit, nam quamvis ſint ſimul commiſti, non ſunt tamen æquè diſpoſiti. Secundæ rationi reſpondet *Valeſcus* negando calorem naturalem ità ſe habere ad humorum generationem, ut ſe ha-

bet

bet præternaturalis ad corruptionem, nam naturalis agit uniformiter, præternaturalis difformiter: Aut si quædam similitudo admittatur, in eo tantum erit, quòd sicut naturalis ex chylo varios humores generat, secundum chyli dispositionem. Ità præternaturalis humores seorsim putrescit, pro ipsorum variâ dispositione. Ubi tamen observandum fieri vix posse quin reliqui humores incalescant & accendantur, etsi non necessariò putrescant. Itaque ut eò unde digressi sumus redeamus.

VII. Causos generatur ex bile sincerâ in venis putrefactâ, sed notanda *Galeni* sententia *4. aph. 59.* ubi inquit febrem ardentem habere in venis unà cum sanguine bilem plurimam ebullientem, ubi videtur *Galenus* non tantum bilem, sed etiam sanguinem ardentis causam facere, quod satis respondet experientiæ, nam raró febres ardentes fiunt, quin simul sanguis incalescat, unde etiam narium hæmorrhogiâ sæpe solvuntur, sed non est necesse sanguinem illum putrescere, sufficit si putrescentis & fervidæ bilis viciniâ alteretur. Quum autem bilis variæ sint species, vitellina, æruginosa, prasina, quæritur an ex illis ardens generari queat. Negat id *Averrhoes*, cum natura non possit illarum ferociam diutius sustinere, sed illas à se depellat, ideo *Mercatus* intermittentes fieri voluit potius quam continuas. At non valet ratio, quod à partibus expellantur, id enim brevitatem harum febrium denotat, non impossibilitatem, & necesse non est ut humor febrem ardentem faciens, sit in venis, sufficit ut sit circa viscera, ex quorum inflammatione sequitur febris ardens, periculosa quidem, sed periculum rem non tollit. *Parius in Tharso 3. Epid. sect. 3.* Octavo morbi die ἤμεσεν ἰώδεα, æruginosa vomuit. Eodem libro æger quartus phreniticus ἤμεσεν ἰώδεα πολλά, multa vomuit æruginosa, est enim ejusmodi vomitus febrium assiduarum comes, quæ ex viscerum inflammatione oriuntur, & cum vehementissimis deliriis ut plurimùm ejusmodi vomitus recenset *Hippocrates*. Æger decimus tertius *Apollonius in Abderis*, post decimumquartum diem nigra, pauca, æruginosa, pinguia dejecit, *& sectione secunda* ejusdem libri. *Philistis* in Tharso primo die biliosa pauca, sed postea plurima æruginosa vomuit. *Et sectione tertiâ primi Epidem.* Cleonactides die 24. virulenta & æruginosa vomuit, quibus levatus est. Nam ut *in com.* docet *Galenus* vomitus æruginosus est ardentium febrium propius, loquitur autem de malignis, non possunt enim salutares esse febres, quas ejusmodi humores concitant. Ex qui-

Causa.

bus locis apparet ardentes & continuas ab illis humoribus fieri, non tantùm intermittentes.

VIII. Fit etiam ſecundum Galenum καῦσος textu 1. lib. 4. acut. non ſolum quando in venis majoribus bilis putreſcit, ſed etiam quando putreſcit in venis jecoris, ventris, aut pulmonum, de quibus variis in locis loquitur *Galenus in Epidemiis*. Gignitur quoque ex illarum partium inflammatione & ereſypelate, *2. de criſib. cap. 7.* Sed hæc ardens maligna eſt, & à Galeno vocatur lipyria *4. aph. 48.* aliiſque in locis, quæcunque ex internarum partium inflammatione oritur, quamvis Aëtius alia nomina ipſis tribuat, quæ fit à ventriculi ereſypelate, vocatur lipyria, ab hepate typhodes, à pulmone crymodes. Sed tamen *aph. 42. lib. 7.* lipyriam vocat eam quæ fit ſine viſcerum inflammatione & ereſypelate, ex ſolis humoribus in venis partium putreſcentibus. Scribit enim veteres eam tantum febrem vocare ſolitos quæ ſine inflammatione fiebat, cujus ſpecies faciebant epialon, lipyriam, & typhoden; ex quo colligo ſecundum *Hippoc.* qui inter veteres numerandus eſt, lipyriam fieri poſſe ſine partium inflammatione & ereſypelate.

IX. Præter has cauſas ſunt aliæ, ſine quibus ardens rarò fieri ſolet. Scilicet temperamentum, ſexus, ætas. Temperies calida ſicca bilioſa, eſt huic febri maximè obnoxia, & hujus ratione mulieres quia frigidiores rarius tentantur ardente ſaltem legitimâ, viri contrà facilius, ob corporis calorem, quamvis plurimas mulieres ardentiſſimâ febre laborantes videre liceat. Eadem ratione ſenes rarò tentantur ardente, & acutâ febre, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα *aph. 14. lib. 1.* nam ſenibus pituita dominatur, nec poteſt ignavus illorum calor multùm accendi. Sed cum accidunt illis febres ardentes pereunt, *In morbis* enim minùs periclitantur, quorum naturæ, ætati, conſuetudini, vel tempori familiaris eſt morbus, quàm ubi nulli iſtorum congruit. *aph. 34. lib. 2.* Cauſa verò cur pereant ſenes, duplex affertur ab *Avicenna*, tum quia in ſenibus frigidis & pituitoſis non poteſt quam à causâ maximâ febris ardens generari, tum quia vires eorum debiles ſunt, quæ tanti morbi ferociam non poſſunt ſuſtinere. Attamen *lib. de aëre, aquis, & locis* ſcriptum reliquit *Hippoc.* In plagis occidentalibus ſenes tentari febribus ardentibus, ſed hoc non fit ratione ætatis quia frigida eſt, verum quia ob aëris calorem in regionibus ejuſmodi corpora bilioſa ſunt, contingit autem illis dum ſeneſcunt alvum adſtringi, & inde bilem retineri, quæ retenta febres ardentes facit. τοῦ δὲ χειμῶνος, inquit, τοῖσι πρεσβυτέροισι καῦσοι,

διὰ τὴν τῆς κοιλίας σκληρότητα. Sed juvenibus & pueris ſæpius accidunt, ſuntque in infantibus leviores propter humiditatem & facultatum naturalium robur, ſuntque in iis interdum cum ſomno profundo, ob vapores non bilioſos, ſed ſanguineos & pituitoſos in caput elatos.

x. Ad febrium ardentium diagnoſin duo ſigna ſufficiunt ſecundum *Galenum 4. acut. 13.* calor ſcilicet ingens, & ſitis maxima, ὅπου ἡ θερμασία, διακαὴς τῷ ἀνθρώπῳ, ἄπαυστον τὸ δίψος ἔχῃ. Nec opus eſt plura accedere quæ neceſſaria non ſunt, etſi plurima conſequantur, unde in mediis æſtibus pullulant. Calor itaque maximus eſt, ut neque veſtes, neque lintea ferre poſſint, quamviſ in externis calor non ſemper appareat, ut in malignis, in quibuſ interiora calent, exteriora tepent. Ab hoc immenſo fervore procedunt linguæ aſperitas, nigredo, vigiliæ, deliria, ventris morſus, dejectiones pallidæ, ſitis, urina flammea, craſſa, turbulenta, prout bilis hanc vel illam partem magis infeſtat. Non eſt tamen neceſſe, nec ſemper ſolent hæc omnia adeſſe, ſufficit ſi præcipua calor, ſcilicet & ſitis affuerint, nam interdum ventris morſus non adſunt, dejectiones ſunt graveolentes, ſubnigræ, rufæ, interdum etiam ſubalbicantes in futuro ictero, ſopor quoque nonnunquam contingit, ſæpe funeſtus, urina decolor in phreniticis aut moribundis. Ipſa quoque ſitis quæ hujus febris character eſt abeſſe poteſt, tribus de cauſis, *vel* ob emortuam ventriculi facultatem, *vel* ob tuſſim, quâ irrigantur pulmones humiditate diſtiſſante, *aph. 54. lib. 4. Quibus tuſſes ſiccæ leviter irritantes in ardentibus fiunt, non multum ſiti infeſtantur.* Euryanactis filia ardente correpta nunquam toto morbi decurſu ſitivit, tuſſiebat autem *ex 3. Epid. ſect. 2.* Vel denique ob mentis alienationem, propter quam ægri quantumvis ſitiant, ſitim tamen non percipiunt. Pulſus præterea frequens eſt durus, propter arteriæ ſiccitatem, inæqualis, minor quam in ſynochis. Incepit ſine rigore, aut ſi rigor quidam in princio fatigat, non ſolet is poſtea per paroxyſmos redire ante ſtatum, quo febris ſudore terminatur. Varius in locis Hippocrates eam egregiè deſcribit. 2. *de morb. febris*, inquit, *& ſitis detinet, lingua eſt aſpera, nigra ex virore pallida, ſicca & valde rubra, oculi ex virore palleſcunt, alvi excrementum dejicit rubrum, talemque urinam reddit, & multum ſpuit.* Sed hæc non ſemper adſunt, nam in lethalibus decolor urina ſæpe videtur, ut *ex hiſtoriis Epidem.* annotare licet. *Libro quoque de victu in acut.* eleganter eam deſcribit, *tum 3. de morb. tum lib. de dieb. criticis.* Signa.

 xi. Pro-

Prognostica. XI. Prognosin quod spectat *Primò* omnis ardens periculosa est, quia continua & acuta, unde *Coaca 137. febres ardentes die quatuordecim aut liberando aut perimendo decernunt*, nam acutorum terminus decimus quartus dies esse solet, *aph. 25. lib. 2.* quod intelligendum est de vera ardente, nam notha ulterius perdurat, & libris *Epid.* multas ardentes etiam lethales recenset, quæ ulteriùs fuerunt prorogatæ, non sunt enim omnes febres æquè acutæ. Brevitas autem & longitudo ex symptomatum sævitiâ & coctionis signis dignoscitur, unde scribit *Hippoc. 2. de morb. & de dieb. criticis si in principio lingua nigrescit, exasperatur, crassescit, celeriores erunt crises, si vero posterius, diuturniores.* Ostendit enim nigredo linguæ causæ vehementiam & motum. Sicut eadem cognosci potest ex urinarum intenso colore, aut remissiori, tum sputum præ calore, & siccitate exustum esse solet & crassum. *Secundò febres quæcunque non intermittentes tertiâ die fortiores fiunt, periculosæ. aphor. 43. lib. 4.* Eas esse dicit *Galenus*, quæ ex inflammatione & malignâ putredine ortum habent. Non enim intelligi potest *aphorismus* de tertianis continuis, quæ tertio quoque die exacerbantur, non sunt enim periculosiores aut ardente, aut synocho, sed potius securiores, verum intelligendus est de febribus semitertianis, aut cum Galeno de iis quæ ex inflammatione oriuntur, aut maligna putredine non solent enim remittere: ut tertianæ, continuæ, & tamen semper tertio quoque die intenduntur, quas alibi vocat τριταιόφυείς. *Tertiò* attendenda est signorum gravitas, ut si insomnes sint, fastidiosi, graviterque angantur, leniter sudent, malum, sicut si delirent, læsum enim cerebrum denotat. *Quartò* si ardente incipiente parum rigeant ægrotantes, in malis habetur. Rigor in ardente tantum decretorius esse debet, at decretoria statim non debent apparere, quod si appareant maligna sunt. *Quintò* ubi paululum in fronte & claviculis sudant, multumque delirant malum, maximè si sudor frigidus fuerit, syncopen enim denuntiat. *Hippocrates aphor. 37. lib. 4. frigid.* inquit, *sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori morbi longitudinem significant. Fiunt*, inquit *Galen. in comm.* frigidi sudores aut humorum frigidorum copiâ, aut extinctione caloris nativi, vel ut vult *Argenterius* ob caloris ad interiora retractionem, unde habitus corporis refrigeratur. Scripsit *Avicenna*, in febribus acutis non fieri sudores frigidos, nisi ceciderit caliditas innata. *Sextò* timores ægrotantium & mœstitiæ malum, sunt enim atræ bilis & delirantium symptomata. *Septimò* febres omnes biliosæ ex-

exsiccant viscera ignis instar, quod si alvus adstricta fuerit, suspicio esse debet phrenitidis, secundum *Rhazin*, ob humoris biliosi in corpore retenti motum ad superiora. Vox clangosa succedere solet resiccato gutture, & propterea mala *aphor. 17. primi prorhet.* velut rauca, signum quoque malum est & funestum. *Octavò* partium extremarum frigiditas pessima est. *In morbis acutis frigus extremorum malum aphorismo 1. lib. 7. & aphorismo 48. lib. 4.* sitim addidit. fit hoc symptoma vel ob extinctionem caloris nativi, aut propter ejus retractionem ad interiora; Illa præsentem mortem, hæc febris malignitatem significat. *Nonò* eadem de causâ extremorum lividitas & nigredo mala, ob summum caloris nativi languorem. *Decimò* lingua arida nigra sine siti vel delirium portendit, vel extinctionem facultatis naturalis ventriculi, quod si primum incandescentes sitierint, derepente à siti liberentur, signum est vel morbum solvi, si cætera signa consentiant, vel virtutem emori, *3. epid. sect. 1. com. 2. Vndecimò. Vrinæ nigræ, tenues, paucæ, aluique duræ malum.* Nigræ sunt ab humore adusto, paucæ quod ab immenso calore omnis humor sit absumptus, aut instrumenta urinæ sint emortua, tenues quod bilis non sit à naturâ evicta, alvi duræ ab immenso calore, ut diximus ex Rhazi alvum duram portendere phreniciden. *Duodecimò* sanguinis è naribus stillicidium malum, sicut & quælibet exigua excretio mala censenda est, signum est ob imbecillitatem non posse à naturâ evacuari, quamvis id perficere conetur, ut dicemus *cap. de hæmorrhogiâ.* j. Epidem. sect. 2. statu tertio scribit Hippocrates; *Qui bene & largiter sanguinem è naribus profudissent ii omnes servabantur.* Philiscus, Epaminon, & Silenus, quod quarto & quinto die parum è naribus stillaverit, mortui sunt. *Decimotertiò* Lachrymæ involuntariæ ex oculis effluentes mortem significant, *ex 6. Epid. sect 1. com. 16. & aphor. 52. sect. 4.* Causa, *inquit Galenus* est debilitas retentricis. Argenterius vult fieri ex colliquatione humorum cerebri factâ à calore febrili. *Decimoquartò* scribit Hippoc. *1. de morb. qui ex ardente intereunt, omnes ex siccitate moriuntur. Extrema manus pedesque primum ipsis resiccantur, deinde verò partes sicciores. Vbi penitus corporis humor exhaustus est, sanguis concrescit, & refrigeratur, reliquum verò corpus exsiccatur, sicque interit.* Calore siquidem febrili universum corpus exsiccatur, ac demùm refrigeratur, quantumvis enim ardentissimâ febre quis moriatur, solet tamen is ex frigore interire, nam ante mortem calor extinguitur, succedit frigida intemperies fervori, ut alibi

bi diximus. *Decimo quintò Quibus in febribus ardentibus fiunt tremores, delirium ſolvit, aph. 26. lib. 6. & coaca 132. Quibus calor & tremor eſt delirium ſaluti eſt*, vertit Celſus. Fiunt tremores in ardentibus exhauſtis viribus, & hi delirio ſolvi non poſſunt, vel fiunt humoribus ad nervos transfuſis, à quibus ſi ferantur in caput, fiunt deliria. Familiare autem eſt Hippocrati uti verbo λύειν impropriè pro ſuccedere, ſic ecſtaſis maniam ſolvit, hic enim non ſolvitur morbus, ſed pejor ſuccedit. At quoniam dubium eſt quomodo à calidis ſuccis tremor fieri poſſit, impropriè vocem tremoris uſurpatam vult *Mercurialis* pro motu convulſivo, qui verè ſolet ardentibus ſuccedere, & antecedere deliria, ut ſæpe *Hippocrates* uſurpavit in *prorhet. & Coacis.* Sed caſus hi rarò in febribus obſervantur niſi ad mortem, imo ſæpe videntur tremores & deliria ſimul, uſque ad mortem perdurare. Peſſimus pariter tremor eſt delirio ſuccedens. *Decimo ſexto* Febris ardens ἐκ κοιλίης ἀλγήματος ἐπιπόνου ὀλέθριον, Coaca 31. & 130. & prorheſi 56. addit ſaporem, quam ſententiam *Galenus* exagitat tanquam veritatis non perpetuæ. Intelligit autem per laborioſum & vehementem dolorem, eum qui ex viſcerum internorum phlegmone, aut ereſypelate ortum habet, cui dolori maligna febris & lipyria ſuccedit. Notandum dictum *Hippoc. 1. de morb.* peripneumoniam non facere febrem ardentem, cum tamen *lib. de affect.* ſcripſerit febrem ardentem mutari facilè in peripneumoniam. Rationem reddit *Alexander*, quia bilis agitata poteſt interdum in Pulmonibus firmari, & peripneumoniam facere, ubi autem illic ſemel ſtabulatur, vix poteſt redire in venas, ut ardentem faciat. At ſi *Galenus* vult ardentem fieri poſſe ex humoribus in vaſis pulmonum putrefactis, ſi ex aliorum viſcerum phlegmone in quibus humor fixus eſt, fieri ardens poteſt, rationem non video quare eadem ex pulmonis inflammatione non ſuccendatur, niſi dicamus peripneumoniam potius ex pituitoſo ſanguine generari, qui frigidior eſt quam ut ardentem facere queat. *Decimo ſeptimo* ſolet ſolvi febris ardens ſanguinis profluvio, quod ſi accidat die 4. malum, niſi aliud quippiam benè ceciderit, quia quarto die, critica ſui tantum ſignificationem dare debent, non autem apparere, quod ſi die quinto contingat, minùs affert periculi, quia aliquo modo criticus eſt ille dies, non tamen periculum adimit. Sic ſcripſit 2 Epid. ἐν τεταρταίῃ αἱμοῤῥαγίῃ δύσκριτοι. *Coaca 133. & 131.* inquit, *ſi in febre ardente aurium ſonitus, cum viſus habetudine, & ad nares gravitate accidant, niſi ſanguis ex naribus profluat, delirium metuendum.* Sunt enim

hæc

hæc ſigna futuræ hæmorrhagiæ, quæ ſi ſubſiſtat, incaleſcente ac putreſcente ſanguine, nec vacuato, cerebrum incaleſcit, phlegmonem concipit, ſucceditque delirium ferox, & maniacum, quod intelligit Hippocrat. per ἐξίσταν), quo verbo atrox delirium ſemper intelligit, ſoletque eſſe funeſtum. Idem repetitur *prorheſi* 18. Ἐν καύσῳ κοιλίη καταῤῥαγεῖσα θανάσιμον, *Coaca* 129. quod non eſt abſolutè verum, nam criticus fluor ſalutaris eſt, ſed ſi ægro debili, aut crudo morbo id contingat vires proſterni & ægrum ad internecionem duci metus eſt. Dicit *Avicennas*, nullum morbum eſſe ſolutarem qui ab alvo fluidâ inceperit. Idem dicendum de aliis excretionibus, τὰ κρίσιμα μὴ αὔτικα ἐπιφαίνεσθαι. nam abundantiam humorum indicat, qui non potuerint febrem tollere, unde prorogari morbus ſolet ac eſſet longior, ſi non occidat. Sic ægro cuidam, cum hæc deſcriberem, cui primis diebus in cauſa maximus ſudor affuit ſine febris remiſſione, longum & difficilem morbum prædiximus. Id legimus apud *Hippocratem 2. de morb. ſi ſudet copiosè, nec febris remittatur, diuturnus morbus eſſe ſolet, maximè ſi ſudor frigidus eſt, ſi minimè exudarit, citius judicatur.* Unde Galenus primo prorhet 15. ait febrium inſultus cum ſudore ſignificare plenitudinem. 19. *febrem ardentem rigor ſolvit*, nam ſequi ſolet ſudor multus evacuatâ in cutim materiâ, tum interdum vomitus, aut alvi ſolutio ſequitur ex *Galeno com. ad aphor. 58. lib. 4.* Non tamen ſemper rigor ille ſtatim ſolvit morbum, ut exemplis quibuſdam *Epidem.* probatur, in quibus non ſtatim à rigore, ſed poſtea excretio facta eſt, ut *1. Epidem. ægro 13.* mulier gravida undecimo riguit, & decima quartâ tantum judicata fuit, quamvis ut plurimum rigorem excretio ſequi ſoleat, niſi virtus ſit admodum imbecilla, facta quidem ſeparatione humoris bilioſi à venis fit rigor, ſed ob vires attritas non poteſt fieri materiæ ſeparatæ expulſio, hinc ægro jam debili rigor lethalis eſſe ſolet, *46. ejuſdem libri.* 20. Cauſos in ambiente frigido lethalis, *com. ad. aphor. 34. lib. 2.* quia maxima cauſa eſt, quæ non potuit ambientes frigiditate emendari, ut diximus ſuperius de ſenibus, quibus rarò ardens contingit, ſed ubi accidit periclitantur ob cauſæ magnitudinem, & virium imbecillitatem. 21. ſolvitur ardens interdum per parotidas coaca 138. ſed rara eſt hæc ſolutio, ſicut & parotidum ſuppuratio rara eſt, eſtque ejuſmodi febris in quâ adſunt parotides, potius notha, quam legitima. 22. *Ardente febre laborantibus, paululum frigeſcentibus, egeſtionibus aquæ ſimilibus, & crebris, oculorum perverſio malum,*

lum, maximè si catocho detineantur, *Coaca 134.* qui casus in ardente sunt funesti, ostendunt enim inflammationem & phlogosin in visceribus conceptam, à quâ summo corporis habitu paululum refrigerantur, tum ascendentibus in cerebrum humoribus, & facultatibus naturalibus pereuntibus, fertur alvus tenuibus & aqueis excrementis, quod in urinis quoque solet accidere, ac lacessito cerebro oculorum convulsio & perversio, ac demùm languente cerebri facultate sopor lethalis accedit, intemperies scilicet frigida calidæ succedens semper funesta. Hucque referri debet & accommodari descriptio ardentium funestarum, quæ est *3. Epid. sect. 3.* quæ ex illo loco repetatur. Plura videri possunt cap. de prognost. febrium, libro secundo.

Curatio. XII. Quod spectat curationem febris ardentis, eadem est inquit *Avicenna* cum curatione tertianæ puræ, major tantùm esse debet diligentia tum in evacuatione, tum in alteratione: bilis igitur refrigerantia & humectantia postulat, ut præparetur ad evacuationem, dein nobiles corporis partes sunt alterandæ. *Victus ratio.* Adhæc victus ratio primum idonea est. Sit igitur aër frigidus ac purus, flabello concitetur, omnique arte refrigeretur. Propterea vitentur hominum frequentiæ, solum spargatur herbis refrigerantibus, aquâ frigidâ, & aceto. Rami salicis toto cubiculo componendi erunt, ac subinde mutandi, siccati enim lædunt, *inquit Aëtius cap. 58. lib. 5.* Videndum tamen ne aër frigidior ad cutim perveniat, & prohibitâ transpiratione febrem augeat, ex *Galen. 10. methodi cap. 7.* frigidissimus aër per respirationem attractus juvat, modo ægri opportunè cooperiantur, ne aëris frigus reliquo corpore sentiant, ideo utile erit fenestras aperire, quod tamen plurimi verentur: Mollis sit culcitra, non plumea si fieri possit, lintea nec sint sordida, nec aspera, & contra errorem vulgi sæpius mutentur. Lectus sit spatiosus: Et si luce offendatur, collocetur in tenebris, aut in luce mediocri, maximè si vires ejus sint infirmæ. Cibus sit refrigerans, humectans & eupeptos, & quamvis quidam tum carnes, tum pisces saxatiles concedant, juscula tamen sufficient herbis idoneis alterata, addito succo granatorum, citri, limonum, est enim morbus acutissimus, qui pleniorem victum non postulat, quamvis veterum exquisitissimus victus non sit nostro seculo imperandus ut diximus alibi, sit tamen tenuior versus statum, quam aliis morbi temporibus. Fructus omnes vetat *Avicennas* præcipuè horæos, qui facilè corrumpuntur, aut

aut qui adſtringunt. Concedimus tamen, pruna, pyra, poma cocta, ceraſa condita, ribes cæterosque ejuſmodi præcipuè conditos, & acidos. Vitentur omnia pinguia, dulcia, oleoſa, quia in bilem facilè vertuntur, ut Amygdala, quamvis lac amygdalinum non noceat, quicquid dicat *Altimarus*, præcipuè ſi frigida ſemina addantur, utatur hordeato, panatelâ. Potus ſit aqua hordei, aut aqua cocta cum ſucco granatorum citri, & ſaccharo, ut ſuperius dictum. Vitandus aquæ frigidæ potus in principio, quia bileſcit, concoctionem impedit, aliaque affert incommoda, quæ recenſet *Hippoc. de victu acutor.* quod intelligendum eſt de aquâ pro potu ordinario. Extra paſtum ſyrupi acidi refrigerantes, biliſque incendium extinguentes concedantur, cum aquis diſtillatis, vel tamarindi & pruna in iiſdem aquis infundantur. A vino toto morbi decurſu abſtinendum, etiam diluto, præterquam in declinatione ſoluto prorſus morbo, tuncque etiam non multùm prodeſt ſi ſuperſtes ſit cacochymia, metuſque recidivæ. Motus omnes vitet, tum corporis, tum animi, præcipuè iram, accendunt enim corpus, febremque augent. Dormiat potius quam vigilet, nam ſomnus concoquit, idque noctu potius quam interdiu, niſi nocte magis urgeat febris, tunc enim vigilare ſatius eſt. At quoniam in hoc morbo vigiliæ urgere ſolent, utile erit ſomnum remediis provocare, aut ſi ſponte ſuccedat, quocunque demum tempore contigerit eum non oportet interturbare.

XIII. Inter præcipua hujus febris remedia laudatur Venæſectio, ab aliis improbatur ut ab *Avicenna*, quod bilis, evacuatione ſanguinis, qui ejus frænum eſt, effervefcat. Deinde *Galenus* in ereſypelatis curatione non ſanguinem mittere, ſed purgare docet, *2. ad Glauconem.* Demum fit à merâ cacochymiâ ſcilicet bile, cui purgatio non venæſectio competit. Alii tantùm abeſt ut ſanguinis miſſionem vereantur, quin potius ad animi deliquium mittendum velint; Alii demum diſtinctione quâdam utuntur, voluntque ſanguinem mittendum, ſi adſint indicia ſanguinis, deſiſtendum verò ſi pura ſit bilis. In febribus acutis, inquiunt, adeſt urina rubra & tincta, quod ſi primis diebus talis non appareat, bilis non eſt bene permiſta ſanguini, & propterea abſtinendum à phlebotomiâ, donec urina rubra apparuerit, aut valdè tincta, quod ſi primo die talis fuerit, tunc mittatur ſanguis, quod ſanè in praxi eſt notandum. At ſecandam eſſe venam voluit *Galenus*, in omnibus continuis, & acutis, quia noxius humor intra vaſa continetur.

Venæſectio.

tur. Natura etiam per narium hæmorrhagiam solet causon judicare, ut testatur *Hippocrates 1. Epidem. sect. 2. t. 68.* eos à febribus ardentibus evasisse, quibus sanguis è naribus effluebat, aut quibus menstrua prodibant, si mulieres erant. Cum ergo Medicus sit imitator naturæ, debet etiam sanguinem evacuare. Nec metuenda est biliosi humoris effervescentia, ut volunt Arabes, non enim solus educitur sanguis, sed unâ cum eo bilis plurima, imò plus bilis educitur, quam ipsius sanguinis, & corpus plurimùm refrigeratur, unde nova humoris biliosi impeditur generatio, & natura quod reliquum est evincit. Quod si in eresypelate venam non secat *Galenus*, sed purgat, id summo jure factum, est enim ejus causa extrà venas collecta, non sanguini permista, ideo detracto sanguine bilis remanet, multò quàm antea ferocior, solis purgationibus educenda, at in febribus continuis quarum causa majoribus venis conclusa est, aliter se res habet. Nam ut suprâ dictum, non à merâ cacochymiâ ardens generatur, sed etiam sanguis unâ accenditur, neque etiam si â merâ cacochymiâ fiat, repudianda tamen venæsectio, dummodò humores noxii sint in venis, *ut in generali methodo dictum*. Hic tamen considerandum quidam volunt, quod suprà dictum est, scilicet fieri causon interdum ex bile in venis partium, ut ventriculi, pulmonis, jecòris, putrefactâ, tunc veretur *Capivaccius*, ne per venæsectionem humores ex illis venis ad majores attrahantur, sicque morbus reddatur pejor, quasi verò id timendum sit. Videmus in inflammationibus viscerum tutò sanguinem mitti, etiamsi is è venis effluxerit, aut quasi ejusmodi ardens non sit deterior eâ, quæ ex bile in magnis vasis putrefactâ oritur, tùm demum si attrahuntur humores in majora vasa, eorum tamen portio evacuatur, corpus refrigeratur, deinde natura reliquum commodius superat. Considerant alii an bilis juncta sit sanguini necne, quod cognoscitur ex urinâ rubrâ, crassâ, & turbidâ, ut vult *Avicennas*, quales ardentes sunt nostris regionibus familiares, an verò ab eo sit sejuncta, quod mihi videtur impossibile, bilem in magnis vasis putrescentem à sanguine esse sejunctam. At ut ut sit, volunt illi sanguinem esse mittendum si urina rubra sit & crassa, si vero sejuncta sit, à phlebotomiâ abstinendum. Id videtur docere *Galenus 1. ad Glaucon. 13. ubi, inquit, sanguinem mittere oportet, & ob morbi magnitudinem, & quibus multò plus ruboris insit, quam naturæ conveniat, & major quam pro consuetudine corporis tumor, & vires eminentiores, atque magis extensæ, his omnibus auferendus, nisi vires, aut*

ætas,

atas, aut aliquid aliud prohibuerit. Sunt autem hæc quæ commemorat, ſanguinis abundantis indicia. Et ſanè rarò aliæ apparent ardentes febres, cum ex bile una cum ſanguine in majoribus vaſis contentâ oriantur. Nec illud ſignum ex urinâ, quamvis ut plurimum experientiæ reſpondeat, perpetuum eſt. Nam interdum in ardente urina nulla admiſti ſanguinis ſigna habet, ubi phrenitis aut adeſt, aut imminet, & tamen ſanguinem mittere tunc maximè neceſſarium eſt. Fruſtra igitur tot diſtinctiones adhibentur. Quod ſi cauſam ardentis ab *Hippocrate* allatam retineamus, ſcilicet fieri eam ubi venæ reſiccatæ attraxerint ad ſe bilioſos ichores, in eâ neutiquam vena erit ſecanda, qui enim ab inanitione morbi fiunt, ii non inanitione, ſed repletione potius ſunt curandi. Verum cauſa hæc *Hippocratis* rara eſt, fiunt enim ut plurimum à ſanguine bilioſo in venis putrefacto. Unde concludendum eſt, ſanguinem mittendum eſſe, aut cùm humores ſunt in venis unâ cum ſanguine, aut cum ab internarum partium inflammatione concitatur. *

XIV. Secanda autem eſt baſilica dextri brachii, ſanguiſque detrahendus quantum vires ferunt, id eſt ſatis copioſè. *Valleſius 7. controv.* voluit mittendum eſſe ad animi deliquium, authoritate *Galeni 3. aphoriſm. 23.* ubi docet in febribus ardentiſſimis tam copioſè eſſe mittendum, *Secundò* venam ſecat *Galenus* ut refrigeret, ſed ardentes omnium maximè indigent refrigeratione. Alii volunt *Galenum* per ardentiſſimas febres intelligere tantùm ſanguineas, ut ipſe explicat *9. meth. & de curandi rat. per ſanguinis miſſionem*, nec tantùm ſanguinem mittere ut refrigeret, ſed ut plethoram & humores vacuet. Mihi videtur tamen *Galenus*, etiam ardentes febres complecti, tum quia generaliter in ardentiſſimis febribus hoc remedium celebrat, non ſunt autem ſynochi ardentiſſimæ, cum quæ ardentes vocantur, ſynocho ſint fervidiores, unde quamvis inter calidiſſimas febres ſanguinea ſit recenſenda, tamen cauſos ſemper fervidior haberi debet. Deinde addit poſt ejuſmodi vacuationem ſubſequi ſudores, vomitum, interdumque alvi dejectiones; quæ ſpontaneæ vacuationes magis conveniunt ardenti quam ſanguineæ, quæ ſolâ plethoræ imminutione videtur poſſe ſanari. Præterea in ſummis doloribus eandem vacuationem commendat; Certum autem eſt horum plurimos & maximos eſſe à bile. Maneat igitur ratum, non tantum in ſynocho, ſed etiam in ardente ſanguinem ad animi deliquium ex *Galeni* ſententiâ mittendum. Sed quoniam *

Quantitas.

superiùs tutiorem esse repetitam vacuationem pronuntiavimus, idem hic dicendum arbitror, ut caveat Medicus quantum fieri poterit à lipothymiâ ob rationes recensitas.

XV. Sed ante venæsectionem molli enemate, blandoque pharmaco, tum intestinorum, tum primæ regionis illuvies expurgetur, ne in locum sanguinis putridi trahatur in venas. Aëtius probat clysterem ex ptisanâ, cui recentiores addunt succum lactucæ, cucurbitæ anguriæ, imo quolibet die ejusmodi clysteres injicere utile erit. *Rabbi Moses* præparat ex aquâ tantum & oleo. Ipse *Oribasius 7. Collect.* laudat clysterem ex aquâ purâ frigidâ. Sed nos non nisi ex variis herbarum decoctis enemata præscribimus, majori quidem cum fastu, sed non majori cum utilitate. Deinde præscribatur blandum catharticum ad humores qui turgere solent evacuandos, non enim coctio expectanda est, cum humores impetu quodam moveri soleant. Sic docet *Hippoc. aph. 29. lib. 2. Cum morbi inchoant, si quid videtur movendum move.* Et *aphor. 24. In acutis rarò & in principiis purgandum.* Galenus 4. acut. prima interdum die, secundâ, quartâ, ac quintâ medicamentum dedit. Sint autem purgantia mitiora, ideo vitanda quæcunque scammonium recipiunt. *Rhabarbarum & myrobalani* secundum *Rondeletium*, nocent morbis biliosis, nisi vi adstrictoriâ quam habent spolientur, ut si rhabarbarum in aquâ endiviæ infundatur. Manna quoque, quia dulcis cum sit facilè in bilem vertitur, minùs convenit. Sed cassia quia humida est, saporemque habet acidum, non est contemnenda. ℞ *prunor. Par.* iij. *passular. mundat.* ℥ ß. *folior. endiv. lactucæ ana* M. j. *folior. portul. scariolæ ana* M. ß. *tamarind.* ℥ j. *seminum frigid. major.* ʒ j. *flor. violar.* P. j. *f. decoctio pro dosi in qua infunde rhab.* ʒ j ß. *express. adde Cassiæ* ʒ vj. *syr. rosar. solutivi* ℥ j. *f. potio.* Plurimi serum lactis commendant in quâcunque febre biliosâ continuâ, temperat humores biliosos eosque evacuat, poteritque in eo infundi rhabarb. ʒ j. Bile eductâ, & primâ regione evacuatâ vena secari potest, sed si urgeat sanguinis mittendi occasio, etiam ante potionis, clysterisve usum mittatur. Quod si bilis non turgeat, primùm præparari & concoqui. Deinde evacuari debet medicamento dicto eradicante. Præparabitur julepis, apozematis & syrupis. ℞ *aquarum lactucæ, nymphea, cichorii, sempervivi ana* ℥ ij. *vel decocti harum herbar.* ℥ viij. *syr. limonum, de cichorio ana* ℥ j ß. *s. vitrioli guttas* vj. M. *f. julep.* ut cap. de tertianâ exquisitâ abundè diximus. Sed maximè laudantur à *Mesue & Averrhoe* aquæ anguriæ, & cucurbitæ;

Illicò

Illicò ſanguinis æſtum extingunt, & febrem placant. Aquam anguriæ frigidiorem aquâ nive refrigeratâ ſtatuit *Averrhoes*, quia non tam citò incaleſcet, & ſanguinem generat temperatiorem, quod aqua pura non præſtat. Diſtillatur anguria inſtar aquæ cichorii, vel ℞ *ſucci anguriæ* ℔ ij. *ſacchari* ℔ ß. *coquantur.* Cucurbita vero maza involuta clibano coquitur, & aqua intus natans colligitur. ℞ *hujus aquæ vel ſucci expreſſi* ℔ v. *ſacchari* ℔ iij. *decoq. ſimul.* Excellentiſſimum eſt ad febres ardentes remedium, quo Nobilem quendam à Judæo Medico confeſtim perſanatum ſcribit Sylvius comment. in Meſuen. Valet inſuper ad gutturis aſperitatem & pleuritiden.

XVI. Ad bilem præterea alterandam maximè commendatur frigidæ potio, de quâ multa diximus. Id reſtat inquirendum, quo morbi tempore ſit exhibenda. Certum eſt poſt ſigna coctionis apparentia ſcilicet in ſtatu eſſe utiliſſimam & tutiſſimam, nam & refrigerat & criſin promovet. Sed *Averrhoes 7. Colliget. 8.* quocunque morbi tempore eam exhibet, in febre ardentiſſimâ, nam cum ardentium varii ſint gradus, non in omni ardente ſtatim frigida exhibenda, ſed tantùm in eâ, quæ ob ſui vehementiam periculum colliquationis, & exſiccationis partium ſolidarum infert, citius enim conſumetur, *inquit*, quam concoctio appareat, quod ſi concoctio expectetur, forſan nulla erit, humores comburentur, tuncque frigidæ potus non proderit. Deinde in ejuſmodi febre, humor bilioſus cum extremè calidus ſit, nec craſſus eſt, nec viſcoſus, nec etiam crudus, niſi ob extremum calorem, qui dum à frigidæ largo potu emendatur, bilis ipſa ſtatim cocta apparet. Demum melius eſt febrem immutare in longam, & chronicam, quam ut homo ante coctionem pereat, nam damnum ex alteratione emergens levius eſt periculo mortis. Teſtaturque *Rhazin* dominum & ſervum curaſſe, ſervatumve fuiſſe dominum aquæ potu: ſervum verò mortuum, quod aqua ipſi fuiſſet denegata. Quibus rationibus conatus eſt Mercurialis reſpondere. Cum enim, *inquit*, aqua frigida non tantùm ad extinctionem caloris febrilis, ſed ut naturam ad humorum putridorum expulſionem roboret, præbeatur, non debeant autem humores ante coctionem vacuari, pariter nec aqua frigida ante coctionem danda erit. Quapropter cum aliis remediis exſiccationem illam prohibere poſſimus, non erit aqua propinanda, in humore crudo. Nec credendum poſſe humorem febrilem ab aquâ concoqui, cum potius ſecundum *Hippocratem* aqua coctionem

Frigida potio.

Mercurialis refutatio.

nem prohibeat. Atque dum humor crudus eſt, periculum impendet ne calor naturalis ſuffocetur, morbuſque periculoſior evadat. Hiſtoria *Rhazis* frigidæ quidem uſum commendat, ſed non probat dari eam debere ante coctionem. Sed non negat *Averrhoes* coctionem expectandam quantum fieri poteſt, id enim eodem capite profitetur, venam in febre quæ extremum poſſidet caloris, ne majora ex calore damna ſubſequantur, bilem ſtatim extinguendam profitetur; ſic dicit *Avicennas* febrem interdum tantæ eſſe vehementiæ, ut indigeat refrigeratione extremâ, & curandi rationem non expectet. Urgentiori enim ſemper occurrendum. Nam quod exſiccatio febrilis aliis remediis poſſit præcaveri, id ſanè verum eſt, ſed ea vim aquæ poſſident, id eſt refrigerant ſimul & humectant, atque in eo caſu, quem *Averrhoes* proponit, non poſſunt bilem abundè temperare, niſi affatim & copiosè inſtar aquæ frigidæ ſumantur. Tuncque arbitror non habebit *Averrhoem* repugnantem, ſi ea copiâ & quantitate refrigerantes potus exhibeat, ut id præſtent, quod aqua frigida eâdem quantitate potâ præſtitiſſet. Vult enim *Averrhoes* omni arte in hâc febre refrigerandum eſſe quod ſi aqua non placeat, modo id julepis & ſyrupis fiat, perinde eſt. Ideo de hoc diutius non diſceptabimus.

XVII. Concoctâ materiâ ſi natura criſin moliatur, ſufficienterque excernat, ſinenda eſt, debetque Medicus eſſe naturæ bene agentis ſpectator otioſus. Quod ſi reliquiæ à criſi imperfectâ ſuperſint, purgari poterunt cholagogis remediis, *ſennâ, rhabarb.* aliiſque quorum formulæ ex cap. de tertiana repetantur. Poſt purgationem alterandæ ſunt corporis partes internis, & externis. ℞ *conſervæ roſar. violar. nym-*
Roborantia. *pheæ ana* ʒ iij. *pulveris diamarg. frigidi, triaſant. ana* ʒ j. *coralli rubri, cryſtalli pulveris. ana* ℈ j. *ſpir. vitrioli guttas* iij. *cum ſyr. de cichor. f. opiata.* ℞ *pulverum prædictorum triaſant. diamarg. ana* ʒ j. *diarhod.* ʒ ß. *margarit.* ℈ ij. *coralli* ℈ j. *oßis de corde cervi* ℈ j. *trochiſcor. de camphora* ℈ ʒ. *ſacchari*
Externa. *aquâ roſar. diſſol.* ℥ vj. *f. tabella.* Externa ſint epithemata, unguenta. ℞ *aquar. endiv. cichorii, nympheæ. hepaticæ ana* ℥ iiij. *aceti* ℥ j. *trochiſcor.*
Epithemata. *de camphora* ʒ ß. *pulveris diarhod. triaſantali ana* ʒ j. *f. epith. jecori vel cordi applicandum.* Solent plurimi epithematis adjicere pulveres margaritarum, corallorum, lapidum pretioſorum, oſſis de corde cervi, qui inutiles plane ſunt, quod earum virtus eo non penetret, cum vix certum ſit an hæc in corpus aſſumpta, quicquam proſint, unde ſimpliciſſimum epithema ex ſolis aquis cum aceto, ſæpe non minùs utile eſt, imò

&

& melius, quia tamen hæc non nocent, & magnatibus placent, addi possunt, ut si prædicto epithemati addas *rasuræ eboris*, *cornu cervi ana* ʒ ß. *pulveris diamarg.* ʒ j. *coralli rub. fragmentor. pretiosor. ana* ℈ j. *margarit. crystalli ana* ʒ ß. *croci* gr iij. *f. epithema.* Ungantur renes, cerato santalino, vel refrigerante Galeni, vel unguento rosaceo. Testiculis quidem eadem epithemata possunt applicari, ob maximum quem habent cum universo corpore consensum, sic refrigerantibus testibus admotis, hæmorrhagia statim undequâque prodeat, conquiescit, internusque ardor extinguitur. Extremorum quoque lotiones multum conferre dicuntur, ob eundem consensum magnum quem habent cum universo corpore, propter vasorum, nervorum, venarum, & arteriarum congeriem, maximeque si æger insomnis sit, utiles sunt, ℞ *lactucæ, violar. sempervivi, portul. salicis, cucurb. ana* M. ij. *flor. nymph. rosar. viol. ana* P. ij. *sem. papaver. albi* ℥ ß. *decoq. in aquâ ad lotionem brachiorum, & crurum.* Cautè his topicis utendum. Cum enim frigida sint, periculum est ne occlusis poris fuligines retineantur, ideo præsente plenitudine non sunt admovenda, nec ante statum, & si febres paroxysmos habeat: non in principio accessionis, sed tantùm in vigore, tepidaque potius sint, quam valdè frigida, quæ maximè omnium vitanda sunt, si crisis immineat. *Varignana* in secretis laudat portulacam tritam, cum farinâ hordei subactam stomacho & hypochondriis admotam. *Vnguenta*

XVIII. Tandem balneum universum corporis habitum præclarè refrigerat; Illis propterea convenit ex *Aëtio & Paulo* qui citra phlegmonem, vel eresypelas ægrotant, ubi apparuerint signa concoctionis; Si verò æger juvenis sit, carnosus, εὔσαρκος, cœli status calidus, siccusque, vires valentes, coctionisque notæ affuerint, frigida natatio utilis erit, protinus enim inquit *Galenus 11. method.* sudabunt, nonnullis eorum alvus biliosa redditur. *Alexandri* consilium videtur tutius, ut tepentis aquæ solium paretur, aqua enim tepens humectat non calefacit, plurimos vapores fervidos discutit, illicque poterit immorari dum aqua paululum refrigeretur, non autem ut rigeat. In mediocri quoque febre tutius est tepentis aquæ balneum, quando vires sunt paulò debiliores; concoctionisque notæ adsunt. At sicut veteres in omnibus fermè febribus balneo utebantur, ita nos eo nunquam aut saltem rarissimè utimur, præterquam in hæcticis. *Balneum*

XIX. Est alia febris ardens à phlegmate salso genita, quæ spuria vocatur.

Ardens spuria.
*
Error Galeni & ejus interpretum

catur. Fit autem pituita salsa secundum *Galenum* à putredine, aut salsæ særosæ humiditatis permistione. *Avicennas* à bilioso & adusto humore cum pituitâ permisto fieri voluit, ita ut sit similis generationi lixivii. Dicunt alii amara humore aqueo diluta non salsa evadere, sed amarescere, idque se expertum esse dicit *Valleriola*, dum fel aquæ admisceret, *propterea* Galeni sententiam certiorem esse, fierique pituitam salsam, aut ex putredine, aut salsæ serosæ humiditatis admistione, sic aqua dulcis longâ coctione salsa evadit. Sed mihi videtur *Galenus* nihil docuisse, nam *primò* certum est permistionem humoris salsi inficere eodem sapore universum liquorem cui permiscetur. *Secundò* non docet unde salsedinem contrahat serosa humiditas, quæ pituitæ debet permisceri, putredo enim sola non potest facere salsedinem, nisi humores putridi & adusti permisceantur sero; *Tertiò* cur dicit febrem ardentem fieri à pituitâ salsâ, non autem ab ipso salso, nam ex illo colligi videtur, pituitam quæ primò dulcis erat admistione salsi humoris salsam evadere, sicque febrem ardentem facere posse, at hæc pituita minùs salsa erit, minusque calida ipso sero salso, cujus tantum permistione salsa evasit, sicque serum salsum febrem generabit ardentiorem quam pituita salsa. Demùm explicandum erat unde serum salsedinem contrahat, nam sola putredo id facere non potest ut diximus. Verior igitur videtur sententiâ *Avicennæ*, non enim intelligit quodlibet amarum, sed amarum adustum, & salsum, bilis autem adusta, ad atram bilem accedit; Et hujusmodi bilis vehementer adusta sero permista salsum generat saporem, unde videmus vix unquam quam in valdè calidis & biliosis hujusmodi humorem salsum defluere è capite in os, maximè in hypochondriacis, & sic ardentem hanc non à pituitâ ipsâ sed è sero salso humoris adusti & quasi atrabilarii permistione genito, fieri credendum, quod serum pituita vocari non debet, cum à phlegmate differat. Quando inquit *Hippocrates*, venulas arefactas attrahere ad se biliosos ichores, nihil diversum dixisse visus est, cum ichores & serosi humores mistione bilis adustæ fiant salsi. Nec obstat eundem *Hippocratem* describere *4. acutor.* duo genera καύσου, primum in quo lingua amara est à bilosis ichoribus genitum, alterum in quo minora sunt symptomata, & lingua salsa est, nam hæc duo ardentis genera ipsâ causâ non differunt, sed tantum secundum magis & minus, non enim solent humores æqualiter semper accendi, deinde in priori humor biliosus minus est sero dilutus, in poste-

posteriori verò multa adest cum bile humoris serosi permistio, à quo salsedo provenit. Præterea non est necesse quamvis lingua sit salsa, salsum humorem esse in venis, nam sæpe distillat humor tenuis salsus serosus in fauces, in iis qui temperamento sunt fervidiori, & hypochondriacis, cum reliquum corpus, non pituitâ, sed bile retorrida abundat, ita ut sapor oris salsus non sufficiat ad probandum hujusmodi febrem à pituitâ generari. Quod si pituitâ putredine salsedinem acquirit, cur putrescens in quotidianis febribus, in lethargo, demum in constitutione pituitosâ salsa non apparet, sed tantum adest, in temperamento fervidiori, maximè bilioso, quando humores biliosi torrentur & aduruntur. Verius est igitur à pituitâ ardentem febrem non generari, & hunc nothum καῦσον esse à bile adusta, sed multo sero permista, aut etiam à sanguine ipso, cum quo hujusmodi serosus humor plurimus permiscetur, ut sæpe venâ sectâ sanguis serosus, & ichorosus cernitur. Unde etiam secundum *Hippocratem* sanguinis è naribus profluvio judicatur. Igitur quamvis ejusmodi ardentem spuriam concedamus à salso humore proficisci, negamus tamen eam fieri à pituitâ, cum serum non sit pituita, sed potius à bile valde adustâ, quæ sero permista ipsum salsum reddit, quod si sero non misceretur, forsan non multùm ab atræ bilis naturâ distaret. Nec valet humoris amari mistione tantùm amarescere liquorem, non contrahere salsedinem. Est enim humor ille biliosus non simpliciter amarus, sed valde adustus, & acris saporis, unde non mirum si mistione humoris salsedo contingat, ut cum cineres aquâ diluuntur; unde concludo hunc καῦσον tantùm à priori differre, quod humor biliosus adustus sero sit dilutus, minusque acris redditus, sed reverâ ab eodem humore fieri, hinc fit post multas inedias omnesque causas quæ humores accendere possunt, quæ causæ in pituitosis corporibus pituitam dissipant, non autem eam salsam reddunt, aliàs in pituitosis morbis calidorum usus pituitam salsam redderent, quod tamen non fit, quin potius morbos omnes frigidos curant & pituitam resolvunt. Cum igitur humores hi sint calidi sicci febrem accendere possunt, quæ hominem exurat sitimque magnam inferat. Legitima ardens ea est secundum *Galenum*, quæ omnia habet ardentis symptomata, febrem, sitim, linguam aridam nigram. Spuria verò in quâ quædam symptomata deficiunt, in qua *Hippoc.* loco citato linguam dixit esse aridam siccam, sed non nigram, verum potius salsam, cæteraque symptomata minora sunt quam in legitimâ. Si salsam

oppoſuiſſet, ſummus præceptor amaræ, conjicere poſſemus cum *Galeno* fieri hanc febrem ab humore ſalſo, ſed ſalſam oppoſuit nigræ, cum potius albam dicere debuiſſet, ſi ſit à pituitâ, nam ſapor non opponitur nigro. Sed tantum omiſit nigram, non oppoſuit ſalſæ, ut oſtenderet ſolùm intenſione à priori legitimâ differre, non autem humore febrem generante. In eo igitur, inquit *Hippocrates*, lingua arida eſt, ſicca, non nigra, ſed ſalſa, quia minor ardor eſt, unde reliqua ſymptomata minora ſunt quam in ardente legitimâ. Judicatur ex *Hippocr.* ſanguis ex naribus profluvio, quod *Galenus* ait eſſe valdè mirum, aut abſceſſu per parotidas, aut ſputo craſſo, præſertim ſi pulmo fuerit affectus. Ut ait Galenus in *comment.* caput incaleſcens ſanguine repletur, inde ſanguinis per nares effluxus, aut abſceſſus. Expuuntur craſſa criticè, dum pulmones afficiuntur, cocto jam morbo, ac interdum urinæ difficultas ſuccedit.

Curatio. XX. Curatio eadem ac in ardente, niſi quod volunt minus eſſe refrigerandum, ſanguis mittendus ſi vires ferant, urina rubra ſit & craſſa, aliàs non, corpus vacuandum, humor temperandus ſero lactis, aquâ hordei, decocto aut emulſione ſeminum frigidor. malvæ, liquirit. adiant. cichorii, ſolet enim adeſſe quædam ſtranguria, ideo juvanda eſt iſtis urinam temperantibus. Deinde purgetur caſſiâ, ſyrupo roſarum ſolutivo, manna & ſimilibus. ℞ *borrag. buglosſi cum toto, endiviæ, ſcariolæ ana* M. j. *lupuli* M. ß. *flor. cordial.* P. j. *paſſul. ſebeſten ana Par.* v. *liquirit.* ℥ ß. *ſem. frigid. major. ana* ʒ ß. *f. decoctio ad* ℔ j. *diſſ. ſyr. de cichorio ſimpl. de pomis ana* ℥ ij. *ſyr. capilli veneris* ℥ j. *f. apozema. In cujus* ℥ iiij. *ſi infundas & coquas rhabarb.* ʒ ij. *ſennæ* ʒ iij. *& expreſſione factâ diſſolve caſſiæ, mannæ ana* ℥ ß. *ſyr. roſar. ſolut.* ℥ j. fiet potio purgans. Conveniunt deinde alterantia, electuaria mollia, ſolida ex conſervis, pulveribus prædictis cum confectione alkermes, de hyacintho & ſimilibus. ℞ *conſervæ roſar. violar. borrag. ana* ʒ iij. *pulver. de gemmis, triaſant. ana* ʒ j. *confect. alkermes* ʒ ß. *magiſter. perlar. & corallorum ana* ℈ ß. *cum ſyr. violato f. opiata.* Conveniunt etiam epithemata refrigerantia ſuperius deſcripta. Aquæ potus nullus veterum hic meminit præter *Alexandrum*, qui negat in hâc febre convenire. Poſtremum in hâc febre curandâ eſt balneum aquæ dulcis, de quo diſceptatur an conveniat. *Galen.* 3. *de rat. vict. acut.* negat convenire in ardente, quæ fit ab humore ſalſo. *Avicennas* contra magis convenire vult quam in legitimâ. Conciliant hos authores plurimi, qui dicunt balneum non convenire, niſi poſt conco-

coctio-

ctionem, quia materia crassa jam concocta per balneum commodè potest evacuari. Debet autem esse tepidum ut resolvat, & attenuet humorem crassum. Et hæc de febre ardente.

CAP. V.

De febribus pituitosis.

1 EX variis pituitæ speciebus oriuntur febrium pituitosarum omnia genera, quotidianæ, continuæ, intermittentes, diurnæ, nocturnæ, epialæ, syncopales, de quibus sigillatim agendum. Febris quidem quotidianæ veteres, excepto Platone, non meminerunt, nec apud Hippocratem ejus nomen extat, forsitan quod putarit omnem febrem esse à bile, vel ut ait *Galenus 3. epid. textu 64.* sub nomine nocturnæ & diurnæ eas complexus est. Nam liber secundus de *Nat. humanâ*, ubi quotidianæ fit mentio, non est *Hippocratis*. Vocatur à Græcis ἀμφημερινὸς. *Galenus cap. 8. lib. 2. de diff. febr.* non probat eos qui febrem hanc vocabant καθημέρινον, quod nomen apud quempiam veterum reperire non licet, sed vult dici ἀμφημέρινον absolutè, quæ intermittens est, & ἀμφημέρινον συνεχῆ eam quæ non intermittit. Quotidianæ autem nomen duobus modis sumitur. Primò generaliter omnem febrem significat quæ singulis diebus repetit, à quocunque demum humore fiat, ut duplex tertiana, triplex quartana, ut apud *Celsum lib. 3. cap. 18. & 27.* Nec videntur veteres febrem à pituitâ cognovisse. Author. *lib. 2. de Nat. humana*, qui si Hippocrates non est, inter vetustissimos tamen est recensendus. Quotidianam à plurimâ bile fieri statuit. Et *lib. 2. de morb. febris*, inquit, *ex bile quotidie prehendit, & admittit*, καθημέριζω, unde forsan deductum nomen καθημερινὸς, quicquid *Galenus* de hoc nomine dixerit. Propriè verò apud Medicos febris ea quotidiana vocatur, non solum quæ singulis diebus redire solet, sed quæ fit ex humore pituitoso, qui humor sive naturâ suâ, sive ob copiam singulis diebus repetere solet. Nam quod duplex tertiana quotidie invadat, id dicunt esse non ex naturâ febris, sed quod duæ sint febres ejusdem generis diversis diebus affligentes, ex humoribus in diversis locis putrescentibus ortæ, qui diversis diebus moventur. Id autem quamvis possibile sit, ut observare licet in iis, quæ quamvis singulis diebus affligant, proportionem tamen habent tertiani circuitus.

Non negandum tamen bilem ob causas à nobis superiori libro recensitas, ita posse increscere & augeri, ut singulis diebus moveatur, eoque magis cum quotidiana satis frequenter observetur, & certissimum sit febrem à pituitâ esse adeo raram, ut eam veteres non videantur cognovisse. Sicut pariter negandum non est, posse quandam pituitæ speciem tertiano & quartano circuitu moveri, ut alibi diximus. Ordinariè tamen pituita cum febrem facit quotidie movetur. Ideo cum satis de biliosis febribus hactenus dixerimus, hic sub quotidianæ nomine agemus de pituitosis.

Differentia. II. Dividitur in intermittentem & continuam, quamvis rarò intermittere soleat, aut saltem in perfectam non desinit ἀπυρεξίαν, quia humor pituitosus, cum sit crassus, tenax, & copiosus, rarò per sudores digeritur, ut docet *Gal. 2. de diff. feb. 4.* Utriusque causa est pituita, quæ si in magnis vasis putrescat, continuam, si extra vasa, faciet interpolatam.

Causæ. III. Causæ itaque quæ pituitam generant istius febris causæ sunt. Eæ autem vel materiam suppeditant, ut cibi frigidi humidi, crassi, lenti, concoctu difficiles, & multo humore crudo abundantes, cibus item plenior, & liberalior, potus largior ac intempestivè priore nondum concocto assumptus. Vel efficiunt, ut corporis constitutio frigida humida, ut in senibus, mulieribus, aut iis qui ventriculum, vel hepar aut naturâ, aut usu causarum refrigerantium frigidum habent, hyems, otium, somnus nimius. Vel genitum hunc humorem retinent, ut suppressa per nares, per os aliasve partes, hujus humoris vacuatio. Accidit igitur iis quibus pituitæ copia inest, naturâ vel ætate humidis, obesis, mulieribus, eunuchis, senibus, infantibus, & iis qui vel otio, vel somno longiore, vel crapula, edacitate, ebrietate, humidioribus cibis, vel crebris balneis, cruditatis & pituitæ copiam congesserunt, maximè vero hyeme, frigidis regionibus, & pluvioso Cœlo. Generatur rarò citra ventriculi, aut hepatis offensionem, in his enim duobus locis pituita generatur, vel ex debili & imminuto viscerum calore, vel cibi frigiditate & copiâ, unde juvenum biliosâ & siccâ naturâ præditum tali febre correptum Galenus se non vidisse scribit, *1. ad Glaucon.* Unde rara quoque hæc febris est, nemo enim adeo pituitâ refertus est, quin bilem quoque plurimam habeat, unde rarò exquisita quotidiana cernitur.

Signa calor. IV. Signa ex supradictis fontibus repeti possunt. Calor est debilis vapo

vaporosus, cum quâdam acrimoniâ, quæ non statim, sed tantùm longo manus contactu percipitur, estque calor quasi in humore suffocatus, qui propterea quasi per cribrum transmissus inæqualiter manum Medici ferit. Rationem reddit *Galenus*, quia cum humor lentus sit & crassus, difficulter extenuatur, unde neque totus, neque æqualiter accenditur, unde calor redditur inæqualis. *Secundò* urinæ in principio crudæ sunt, albæ, tenues, aqueæ, procedente morbo crassæ, solutis obstructionibus, quia humor morbificus permiscetur sero, quâ etiam ratione interdum rubicundæ fiunt. *Tertiò* pulsus sunt parvi, debiles, rari, & minores quam pulsus quartanarum, inordinati & inæquales in principio accessionis, idque quia pituita frigida humida, copiosior est in corporibus nostris, unde calor in ea non potest habere ἐκλαμψιν, & ideo facultas velut consopita est, & arteria humoris copiâ impedita, ut dilatari & constringi facilè nequeat, nec usus & necessitas admodum urget. Tarditas verò pulsuum in quartanis & quotidianis æqualis esse videtur. Sed pulsus quartanarum sunt rariores pulsibus quotidianarum, sicut pulsus quotidianarum rariores sunt pulsibus tertianarum, & ratio est quia pulsus in quartanis majores sunt, quàm in quotidianis, unde magis expletur usus in quartanis quam in quotidianis, hinc fit ut quod in magnitudine deest, frequentiâ compensent. Rariores igitur sunt pulsus quartanarum, sed majores. Frequentiores verò sunt pulsus quotidianarum, sed minores, sed in utrisque sunt æquè tardi. Malè igitur scriptum est libro de typis, in quotidianâ esse pulsus magnos; in statu verò pulsus sunt celeriores & frequentiores, ob calorem acutum qui magis refrigeratione indiget. Atqne hæc quæ de pulsibus ex *Galeno* diximus, mihi videntur esse ipsius Galeni contemplationes, quomodo enim cognoscere possumus has varias differentias pulsus in variis subjectis, in quibus variis ex causis pulsus immutari solent, nec febres sunt ejusdem semper vehementiæ, nam quidam graviùs, alii levius ægrotant, ut si Petrus graviter ex quotidianâ, *Paulus* leviter ex quartanâ laboret, non potest fieri comparatio inter pulsus istarum febrium in ejusmodi ægris. Sufficit id scire in quotidianâ pulsus esse parvos, debiles, sed crebriores quam in quartanâ, in quâ impossibile non est, pulsus esse eosdem ac in quotidianâ, quo ad parvitatem & debilitatem, nisi fieret comparatio inter duos ejusdem temperamenti, sexus, ætatis, habitus, quorum unus quotidianâ, alter quartanâ æqualiter laborent, aliter prædicta *Galeni* comparatio incerta est, &

Vrina.

Pulsus.

* *Dictorum Galeni consideratio.*

Forma febris. & non niſi quâdam ratiocinatione, potius quam ullo experimento cognita. *Quartò* febris hæc incipit ſine punctione, rigore, ſed tantùm cum refrigeratione, præterquam in Epialo, in quâ fit rigor à pituitâ vitreâ. Hic autem humor quia frigidus craſſus, difficulter accenditur, propterea incrementum febris longiuſculum eſt, ſtatus pariter ſine ſiti, multoque calore, nec lintea ægri à ſe abjiciunt. Declinatio primis diebus eſt ſine ſudore, propter humoris craſſitiem; at tandem materia concoctâ & attenuata in ſudores ſed paucos ſolvitur, & rarò in perfectam deſinit ἀπυρεξίαν, eſtque acceſſio ad minimum horarum octodecim. *Quintò* præceſſerunt cauſæ pituitam generantes, facies ſublivida eſt & ſubtumida, color ex pallido albus, corporis gravitas, ad ſomnum inclinatio, plurimæ adſunt cruditates, ventriculus eſt imbecillior, dejecta appetentia, ructus acidus, capitis adeſt gravitas ob copiam vaporum, à quibus quoque inexpugnabilis oritur dormiendi neceſſitas, plerumque in principio ob debilitatem ſtomachi animus defectione, aut ſyncope langueſcit, nam propter offenſionem oris ſtomachi, & inappetentiam ſequitur nutritionis defectus, totius corporis, & ſpirituum imbecillitas, ac demum ſyncopè. Præterea hypochondria inflantur, & diſtenduntur, vomitus dejectioneſque pituitoſæ interdum ſuccedunt. Quibus adde præcedentem victus rationem, ætatem, regionem, aëris conſtitutionem frigidam humidam, pituitæ feracem, & reliqua dominantis pituitæ indicia. Quibus interdum id accedit, quod quotidianæ ſunt epidemicæ, & vulgares.

Differentia quotidiana ab hectica. v. Cum autem quotidiana continua, quam laticam vocat *Avicennas*, ſit febri hæcticæ ſimillima, ita diſtinguentur, quod in quotidianâ calor eſt ſemper ſui ſimilis, in hecticâ ſub noctem & poſt cibum augetur. *Secundò* pulſus in hecticâ eſt durus, in quotidianâ mollis & latus. *Tertiò* cutis pariter eſt mollis in pituitoſis, dura, ſqualida & arida in hecticis. Demùm cauſis differunt.

Prognoſtica. vi. Prognoſin quod ſpectat; febris hæc longa eſt & periculoſa; Longa quidem quia pituita craſſa eſt viſcida, copioſa, quæ non poteſt facilè nec citò à naturâ ſuperari. Periculoſa verò, tum quia ob debilitatem ventriculi ſyncope facillimè ſuccedit, tum quia jecur, ſplen, facilè trahantur in conſenſum, ſicque fit hydrops ex *Averrhoe*, tum denique quia aſſiduè, aut ſaltem quotidie affligit, ex *Stephano Athenienſi*, nullas ideo naturæ affert inducias, ſed eam perpetuò gravat. Minùs

nùs tamen gravius eſt quæ fit à pituitâ in inteſtinis putreſcente, quia levi medicamento, aut enemate, poteſt ſanari, cum hæreat pituita in viis excretioni dicatis. Et quo exquiſitior, eò diuturnior eſt, ac periculoſior, ob corporis imbecillitatem, duratque ad dies quadraginta, nonnunquam & menſes tres, interdumque plures. Quartana tamen longior eſſe ſolet, quia pituita minus tenax eſt & rebellis, naturæ magis amica, à quâ facilius alteratur & edomatur, quam melancholia. Securior ea eſt, cujus intervalla ſunt manifeſta, & quæ ſudoribus liberè & liberaliter ſolvuntur, quod rarum eſt, oſtendunt enim materiæ tenuitatem, corporis rationem, & virtutis ſive caloris nativi robur, ex *Avicennâ*. *Secundò* ſi Medicus obſervaverit humorem eſſe craſſum, copioſum, viſcoſum, tempus anni frigidum humidumque, ætatem, temperiemque pituitoſam, paroxyſmum longum, cum pauco aut nullo ſudore, ſtomachi imbecillitatem, anorexian, ſomni profunditatem, naturamque debilem, hypochondriorum inflationem, periturum ægrum pronuntiabit, contraria autem ſigna ſalutem portendunt; *Tertiò* ſternutationes poſt ſtatum bonæ & ſalutares, quia oſtendunt naturæ ſupra morbum victoriam? *Quartò* ſolvuntur frequenter quotidianæ febres vomitibus, & excrementis pituitoſis, tùm per dolores articulares, metaſtaſi humorum ad articulos factâ.

VII. Quod curationem ſpectat; refrigerandum non eſt & humectandum ut in aliis febribus, quia materia frigida eſt, craſſa, tenax, ideoque præparanda eſt calefacientibus & attenuantibus, quod ſi bili admiſta ſit, aliquid refrigerantium admiſcendum eſt, ut in tertianâ nothâ, deinde humor vacuandus, partes nobiles roborandæ. Victus itaque ſit tenuis & incidens propter pituitam. Aër calidus ſiccus vel naturâ vel arte. Cibus eupeptos, propter ventriculi & jecoris debilitatem, & extenuans propter pituitam. Panis ſit optimè coctus & fermentatus cum aniſo ſubactus. Carnes ſint avicularum, pullorum, juniorum columbarum, perdicum, aſſæ potius quàm elixæ; imò optimum erit abſtinere carnibus ob ſtomachi languorem, earumque loco juſculis uti, in quibus radices *apii, fœniculi, petroſel. hyſſop. thymus, majorana, ſalvia, incoxerint.* Abſtineat pariter ab oleribus frigidis, à piſcibus, niſi ſint ſaxatiles, grandiores, delicati, quibus etiam parcè utendum, quamvis *Trallianus*, utatur piſcibus ſalſis, encatherâ, hydrogaro, & vino aquoſo. Fugiat uſum leguminum, lactis, caſei, omnium lacticiniorum, fructuum immaturorum, horæorum crudorum.

Curatio.

Victus ratio.

dorum. Sed aſparagi, avellanæ, cappares, olivæ, paſſulæ, ficus, piſtacia, ſtrobyli conveniunt. Potus ſit ptiſana, quæ quamvis refrigeret, & humectet, tamen quia attenuat, abſterget, alvum lenit, propinari poteſt, præcipuè *ſi pipere, cinnamomo*, & aliis ejuſmodi alteretur. Dubium eſt an vinum competat, periculum enim eſt ne febris augeatur. Vinum tamen concedunt *Valeſcus, & Averrhoes*, quia concoquit, aperit, urinam provocat, modo ſit album, tenue: Et enim ſi calida conceduntur, ut *cinnam. petroſ. aniſum*, *cuminum, ruta*, quidni vinum, quod naturæ eſt magis amicum & familiare, ac ventriculum roborat. Alii vinum quidem non probant, mirantur tamen cur Medici ab eo abſtineant, cum remedia vino calidiora interdum præſcribant, ut mulſam cum origano, thymo, aromatibus, quæ vino diluto & aquoſo ſunt calidiora. Alii id fieri reſpondent ob ſummam penetrandi vim quam vinum poſſidet, cum promptè in venas, & arterias rapiatur, caputque vaporibus repleat. Sic podagrici jubentur à vino abſtinere, cum tamen interea calidioribus utantur. At hæc vini incommoda minùs percipiuntur in melancholicis, & pituitoſis febribus, ob humoris craſſitiem & frigiditatem, quapropter tutò tùm vino, tum reliquis calidioribus utemur in his febribus. Quod ſi vinum non arrideat, poteſt pro potu mulſa propinari. Quatenus autem pertinet ad tempus nutriendi & quantitatem alimenti *Celſus* triduo primo ab omni cibo jubet abſtinere, quæ erat hæreticorum diatritariorum conſuetudo. *Avicenna* quoque primis diebus tenuem victum inſtituit, & ſolâ ptiſanâ contentus eſt, ſed poſt diem ſeptimam tranſit ad victum pleniorem, quod adverſatur *Hippocrati*, qui jubet ægros in principiis morborum plenius, circa ſtatum vero tenuius nutriendos, ut diximus ſuperius. Quod ſi pituita fuerit acida, aut dulcis, tenuior victus imperandus, ut à naturâ coquatur, ſi vero fuerit ſalſa, plenius. Eſt enim coctioni inepta. Somnus brevis ſit, nunquam diurnus, ne cruditates augeat. Motus convenit potius quam quies, ſicut & ægrum ad iram concitare. Sicque cætera quæ ad diætam ſpectant ad has indicationes referantur, ſcilicet ut calefaciant, & attenuent, ac incidant. Unum notandum eſt quod ſcripſit *Ariſtoteles* coitum morbis à pituitâ plurimum conferre, nocere tamen febri quotidianæ; Eſt enim ſententia Philoſophi vera, quando calor innatus plurimus eſt & fortis, ita ut ſpermatis emiſſione non debilitetur, & quando in corpore nec putredo adeſt, nec ad putredinem præparatio,

cum

cum autem ægrorum corpora in pituitosis corporibus, & calorem habeant debilem, & sint putridis referta humoribus, atque ad ulteriorem putredinem valde disposita, ipsis omnis veneris usus nocivus erit & exitialis.

VIII. Victu instituto curatio instituatur præparantibus, vacuantibus humorem pituitosum, hepar, ventriculumque roborantibus. Sed ante omnia alvus lenienda; in quâ solet magna pituitæ copia stabulari, primumque injiciatur clyster, qui paulò acrior esse debet, quia facultas expultrix humoris copiâ sopita est, non sit tamen acris nimium, quia ob imbecillitatem facilè cadunt in syncopen. ℞ *malvæ, parietar. mercurial. ana* M. j. *origani, rutæ, hysopi, ana* M. ß. *passul. ficuum, ana* Par. x. *sem. anisi, fœniculi ana* ʒ ij. *florum cord. chamæm. ana* P. j. *furfuris in panno raro ligati* P. j. *decoque in aqua hordei ad* ℔ j. *in Colat. dissolve mellis rosati, sacchari rub. ana* ℥ j ß. *olei chamæm.* ℥ ij. M. *f. clyster.* Procedente morbo fortiori erit agendum, addendo agaricum, carthamum, diaphœnicon, benedictam, hieram, & similia, nisi metus sit de alvi profluvio, quo febris hæc non raro solvitur, tuncque abstinendum ab acrioribus. Potest etiam blandis pharmacis pituito è primâ regione vacuari, nisi sit nimium tenax, tunc enim prius præparanda. *Catholic. diaphœn. mel rosat. solutivum, Cassia cum pulvere mechoacanna utilia sunt.* Quæritur hic an venæ sectio conveniat, nam nec à *Galeno*, *Aëtio*, *Paulo*, *Averrhoe*, aliove authore commendatur, Actuarius ex professo improbat. Cum enim humor sit frigidus crudus, à naturâ sanguinis valdè alienus, viresque sint valde debiles, piaculum est cum sanguine calorem nativum profundere. *Avicenna* tamen phlebotomiam non improbat, si urina crassa sit & rubicunda. *Galenus* ipse sanguinem mittit in omnibus putridis, si adsit morbi magnitudo, viriumque robur, tunc sanè vena secari poterit. Neque adeo metuenda est humorum crudorum copiâ, siquidem cum duobus prædictis non possunt adeo humores crudi dominari, ut hoc auxilium prohibeant. Spectandum igitur num vires & ætas consentiant, quod rarò in exquisitâ quotidianâ accidit, quia ab humore crudo in senibus, pueris, anni tempore frigido contingit, at phlebotomia corpus magis refrigerat, inde sanguine vacuato humores recrudescunt; inde ait *Avicennas*, *cave ne ægrum perducas ad frigidorum incrudationem, si igitur ex urinis sanguinis permistionem judices, fiat phlebotomia, alias non.* At non solet tunc esse exquisita. Raro itaque sanguis mitti debet.

Curatio.

Venæ sectio.

IX. Sed præparantibus utendum eſt, inter quæ præcipuè laudat Galenus oxymel ſimplex, ſed quando conveniat dubium eſt, propter variam lectionem verborum *Galeni 1. ad Glauc. 12. Oxymelite*, inquit, *utitor*, quidam legunt *μετὰ τὰς πρώτας ἡμέρας* ut *leonicenus*. Alii verò ut *Acakia, Mena, Maſſaria, Andernacus* legunt *κατὰ τὰς πρώτας ἡμέρας*. Nulla enim cauſa videtur, cur oxymel ſimplex, remediumve aliud ejuſdem naturæ primis diebus exhiberi non poſſit, cum pituita qua corpus ſcatet, attenuari, calefieri, moderatè incidi debeat. Et hanc poſteriorem lectionem ſequitur *Ægineta*, cum *Aëtio*, qui ad verbum Galeni textum tranſcripſere. At quoniam oxymel nocet ventriculo, admiſcenda erunt, quæ ipſius robur tueantur, ut mel roſatum, quod ratione mellis abſterget, ratione roſarum adſtringit. *Averrh.* admiſcet, *maſtichen, glycirh. cinnam.* Eadem difficultas moveri poteſt de ſyrupo *de quinque radicibus*, & aliis incidentibus & attenuantibus, quia ut plurimum per urinas vacuant. Diureticis autem non eſt utendum in principio. At ſi iis non utamur, humorem non præparabimus, cum omnia pituitam præparantia fermè ſint diuretica. Reſpondeo incipiendum eſſe à levioribus minùs calidis, minuſque aperientibus, ne ſi fortioribus utamur, crudus humor in venas deducatur, obſtructioneſque plurimæ contingant. Præterea diureticum medicamentum redditur tantum inciſivum variis modis. *Primò* ſi blandum ſit; *Secundò*, ſi humor ſit admodum craſſus & viſcoſus. *Tertiò* ſi parvâ doſi exhibeatur. *Quartò* ſi quædam addantur quæ remittant vires diureticas, ut ſaccharum roſatum. *Quintò* ſi natura aliam viam affectet, aut urinæ meatus ſint valdè obſtructi, ſic diarrhoea laboranti jus cicerum rubrorum rarò movet urinam, potius abſtergendo alvum magis movet, quod tamen non eſt ſemper verum. Igitur primis diebus non inutile erit hujuſmodi aperientibus pituitam præparare, ſed levioribus.

Igitur primum utemur oxymelite ſimplici, & levioribus, deinde accedemus ad oxymel compoſitum, ſyrup. de quinque radicibus, bizantinum, de hyſſopo, quibus, cum magnus eſt calor, admiſceri poſſunt, ſyrupi de endiviâ, de cichorio ſimplex, compoſitus, cum quibuſdam aquis refrigerantibus. Ex prædictis itaque fiant julepi, apozemata, ſyrupi. ℞ *aquarum betonicæ, fœniculi, hyſſopi, ana* ℥ iij. *ſyr. de hyſſopo, mellis roſati ana* ℥ j. *ſacchari* ℥ ij. M. *f. julep. aromatiſatus* ℈ iiij. *cinnamomi.* ℞ *ſyrupi de quinque radicibus, bizantini ana* ʒ j ß. *Sp. vitrioli* ℈ ß. *aquæ borrag.* ℥ ij.

℥ ij. aquarum hyssopi, melissæ ana ℥ iij. aquæ cinnamomi ℥ j. aceti caryophillati ℥ ß. cremoris tartari ʒ j. M. f. julep. ℞ syrupi conservationis nucum conditar. conservat. corticis citri ana ℥ j. aquarum absynthii, betonicæ ana ℥ ij. aquæ theriacalis, ℥ j. aquæ Mariæ ℥ ß. confectionis alchermes ℈ j. moschi, ambræ ana g j. M. f. julep. in duas doses. stomachum roborat, & animi deliquio medetur, quod solet in hac febre esse frequentissimum. ℞ radicum graminis, asparagi ana ℥ ß. capilli veneris, chamæd. hyssopi ana M. j. sem. fœniculi ʒ j. Coque ad ℥ viij. In colat. dissolve syr. bizantini, de quinque radicibus ana ℥ j. spiritus vitrioli guttas vj. f. potus in tres doses. Syrupus aperiens. ℞ succorum endiviæ, apii, buglos. ana ℔ ij. Incoque puleg. chamæd. lupuli ana M. ß. rad. endiv. petros. fœnic. ana ℥ j. sem. anisi ʒ ij. capilli veneris, schœnant. ana ʒ ij. spicæ celticæ ʒ j. Colaturæ clarificatæ adde sacchari ℔ ij. aceti caryophillati ℥ iiij. f. syrupus. Alius. ℞ radicis pyret. ʒ iij. radicis acori, aristol, bryoniæ, dictamni albi, valerianæ, gentianæ ana ℥ ß. quinque aperient. ana ʒ vj. Infundantur per horas xxiiij. in libris sex aquæ fontanæ. Coquantur lento igne ad ℔ duarum consumptionem, dein adde chamæd. chamæpit. salviæ, rosmar. puleg. hyss. thymi, rutæ, calamint. serpilli ana M ß. stoechados P. j. seminis anisi, fœnic. sesel. carui, ligustici, ameos ana ʒ ß. spicæ nardi ℈ ij. croci grana vj. Iterum coquantur ad ℔ j. consumptionem. Colaturæ adde sacchari ℔ ij. mellis despumati ℥ iij. Clarificentur. dein injice aceti caryophillati ℥ ij. fiat syrupus. Et isti duo syrupi optimi sunt ad omnes frigidos viscerum morbos. ℞ radicum fœniculi, petros. apii ana ℥ j. folior. pimpinel. melis. agrimoniæ, calend. adiant. menthæ, chamæd. chamæm. orig. beton. calament. ana M. j. sem. anisi, fœnic. ana ʒ j. liquirit. passular. ana ℥ ß. florum stoechad. anthos, genistæ, cicerum rubror. ana P. j. f. decoctio ad ℔ j ß. in quâ dissolve oxymelitis compos. syr. de stoechade ana ℥ ij. sacchari ℥ iij. M. f. apozema in sex doses. ℞ radicum enulæ, ireos, galangæ ana ʒ iij. quinque capillor. agrimon. cichorii, ana M. j. pimpin. cuscutæ, filipend. absynt. beton. ana M. ß. passular. ℥ j. semin. communium calidorum ana ʒ ß. stoechad. lavend. calend. sambuci ana P. ß. cinnamomi ʒ j. spicæ ℈ j. croci grana iij. M. f. decoctio ad ℔ j. in quâ dissolve sacchari ℥ iiij. M. f. apozema clarificatum, & aromatisatum drachma semis pulveris electuarii aromatici rosati.

x. Concoctâ materia evacuari debet tum per vomitum, tum per alvum. Vomitum valdè commendant *Galenus*, *Aëtius*, *Paulus*, quoniam humor pituitosus ut plurimum in ventriculo stabulatur, sit autem emeticum ex levioribus, ut diasaro Fernelii, ex rhaphano, oxymelite, aquâ tepidâ, quoniam in hoc morbo stomachus infirmus est. ℞ semi-

nis anethi, attriplicis, raphani ana ℥ j. *azari* ʒ j. *coque ad* ℔ j ß. *dissolve Oxymel.* ℥ ij. *pro vomitorio.* Sed purgatio per alvum tutior est; Inter solutiva damnant quidam, cassiam, tamarindos, mannam, quia nimiâ humectatione dissolvunt ventriculi robur. Item colocyntida, quod turbet & lædat os ventriculi. Syrupus quoque rosar. laxativus inutilis est, sicut & catholicum, nisi cum phlegmagogis, & decocto pituitam attenuante misceantur. Sed prodest agaricus, turbith, carthamum, rhabarb. & cætera ejusmodi. ℞ *diaphœnicon.* ʒ iij. *catholiconis* ℥ ß. *agarici trochisc.* ʒ ß. *cum saccharo fiat bolus.* Vel ℞ *seminus carthami contusi* ℥ j. *agarici trochiscati* ʒ iij. *sennæ* ℥ ij. *mechoacan, hermodact. ana* ℥ ß. *turbith.* ʒ ij. *jalap.* ʒ j ß. *seminis anisi, fœnic. ana* ʒ j. *rad. ireos florent.* ʒ j ß. *caryophillor. nucis muscatæ ana* ℈ j. *chamæd. eupator. adiant. ana* M. j. *card. bened.* M. ß. *corticis citri sicci* ʒ j ß. *florum anthos, calend. trium cordial. ana* P. ß. *fiat decoctio ad* ℔ j. *In quâ calente infunde per noctem diaphœniconis* ʒ vj. *Mane factâ colaturâ, & clarificatione, adde aquæ cinnamomi* ℥ ij. *mellis rosati* ℥ j. *f. Apozema in quatuor doses.* Pilulæ quoque præscribi possunt, opiatæ, laxantes, pulveres ex phlegmagogis. Sequens pulvis optimus est. ℞ *turbith, hermodact. jalap. scammonii, crystalli tartari ana* ʒ j. *sennæ* ʒ iij. *cinnamomi, sem. anisi, sacchari candi ana* ℥ ß. *dosis ad* ℈ iiij. Crassos humores evacuat. Morbus hic quia longus non potest unicâ vice aut præparari, aut evacuari. Quapropter ut recte docet *Alexander*, debent & præparantia & evacuantia repeti, utendumque est epicrasi, quod prædicta remedia sæpiùs repetita commodè præstabunt. Hic dubium esse potest, an perfecta coctio sit expectanda ante purgationem. Nam *Galenus, Paulus, Aëtius*, non nisi completâ coctione evacuant. *Trallianus & Avicennas* laudant frequentes & repetitas purgationes per epicrasin, etsi humor non sit perfectè coctus, quam sententiam meritò amplectuntur quidam recentiores, nam ut docet *Saxonia* coctio maximè longa esse solet, deinde materia in tantâ est copiâ, ut post coctionem unico non possit expurgari cathartico. Præstat itaque levi apparente coctione, sæpius & paulatim vacuare, nam propter longitudinem debilitantur ventriculus, hepar, hinc prima & secunda coctio malè perficitur, quo fit ut & pedes, & crura intumescant, immineatque aquæ intercutis periculum, quæ mala prædictis remediis frequenter repetitis præcaveri possunt, ut jusculis quibus incoqui possunt radix apii, fœniculi, adiantum, &c. Avicenna laudat acetum & oleum, acetum quidem confert, quia aperit, attenuat,

Dubium.

sed

ſed forſan oleum minùs prodeſt, quia laxat ventriculum, etſi hepati ſit amicum.

XI. Solet enim hæc febris maximè lædere orificium ventriculi, quapropter eſt roborandum aſſumptis & admotis, ut ſunt *diarhodon, aromat. roſat. diambra, trochiſci de roſis, de rhabarb. de abſynt. theriaca, conſerva roſar. anthos, betonicæ, &c.* quæ repetantur ex materiâ Medicâ. Tandem conveniunt decocta *ex chinâ, ſaſſafras*, cum herbis prædictis, pro ratione ætatis, temporis, anni, temperiei, & ſimilium, nam tempore anni calido admiſceri quædam temperantia debent, ut *cichorium, agrimonia*. Commendatur quoque ſal abſynt. cardui benedicti, cum theriacâ, vel rob ſambuci cum aquis idoneis. Decoctum *chamædryos* per urinas vacuat, & multum prodeſt inquit *Trallianus*. ℞ *agarici, gentianæ ana* ℥ ß. *detur ante acceſſionem*. Item ℞ *ſeminis dauci, caſtorei ana* ℥ iij. *opopanacis* ℥ j. *cum melle fiat maſſa, doſis ſit* ℥ j. *ante acceſſionem ex Tralliano*. Inter externa laudantur frictiones, fotus ex decocto abſynt. menthæ, roſar. corticis citri, macis, caryoph. galangæ, ligni aloës; Poſt fotum ungatur oleo de nuce moſcata, anethino, nardino, de abſynt. de maſtiche, cum *cariopb. nuce moſcatâ, roſis, vel cerato ſtomachico*. Tela araneæ imbuta his oleis applicetur ſtomacho. Sed conſilio *Tralliani* hæc calida non dentur ante ſigna coctionis, & corporis purgationem, aliàs inflammationes pariunt, humoreſque attrahunt, ſicque viſcera reddunt imbecilliora, inquit *Avicenna*. Refert idem *Trallianus* ætitem de collo ſuſpenſum omnibus intermittentibus, ſed præſertim quotidianis prodeſſe. Item araneam linteo involutam de collo ſuſpenſam.

XII. Febris quotidiana continua eodem prorſus modo curatur, niſi quod minùs calefacientia & ſiccantia poſtulat, vocatur ab *Avicenna latica*, ſimiliſque eſt hecticæ, rectè mihi videtur *Fernelius* eam ſub lentæ nomine deſcripſiſſe, ſolet autem eos infeſtare qui cachetici ſunt, in iis enim plurima pituita acervata eſt in venis, ſed hoc valdè rarum eſt, nam vix poſſunt venæ tantâ caloris inopiâ laborare, potius fit ex obſtructionibus à pituitâ factis, quæ pituita cum vix abſumi poſſit, in continuæ modum affligit. Plura vide apud *Avicennam*, qui ſolus hujus febris meminit.

CAP. VI.

De aliis febribus quæ ad pituitosas referuntur.

Febris nocturna, & diurna,

I AD quotidianas referuntur diurnæ, nocturnæ, epialæ, lipyriæ, syncopales, quamvis non omnes fiant à pituitâ: de illis tamen hoc loco reliquorum imitatione agemus. Primo sunt febres nocturnæ & diurnæ, sic dictæ quod earum paroxysmi interdiu vel noctu præhendant. Videtur hæc divisio à tempore accessionis desumpta, merè accidentalis & mala, cum aliis febribus communis esse possit, interdiu enim & noctu invadere solent febres omnis generis, maximè tertianæ & quartanæ interdiu ægros corripiunt, quamvis videri sæpè possunt tertianæ noctu infestantes. Nihil videtur Hippocrates dixisse quod ad curationem aut dignotionem istius morbi prodesse possit, tantumque addidit prognostica harum febrium, scilicet nocturnam esse longam sed non lethalem, diurnam longiorem, & ad tabem vergere. Hic igitur duo explicabimus, *primò* quid sint istæ febres, *secundò* an verum sit earum prognosticum ab *Hippocrate & Galeno* descriptum.

II. Primum quod spectat *Galenus* per nocturnas intelligit semper pituitosas, quia solet pituita noctu exacerbari & accessiones facere. Verumtamen hoc non impedit, quin febris phlegmatica interdiu prehendat, unde etiam per diurnam febrem pituitosam intelligit *Galenus, com. 3. primi Epid. textu 2. & 6.* Ita ut ex *Galeno*, tam nocturnæ quam diurnæ sint pituitosæ, at omnes febres sunt nocturnæ, vel diurnæ, omnes igitur erunt pituitosæ, cum enim febris omnis humoralis sit nocturna vel diurna, non potest esse divisio bona à tempore invasionis desumpta, sed tantùm ab humore putrescente. Quod si *Hippocrates* per nocturnas pituitosas intellexit, quomodo sub diurnarum nomine eas quoque complexus est, nam si pituitæ adeo proprium est noctu exacerbari, ut nocturnam semper febrem pariat, quomodo faciat diurnam, aut diurna & nocturna erunt idem, quod est ab *Hippocratis* ἀκριβείᾳ alienum. Dices febrem pituitosam fieri diurnam, ob majorem pituitæ copiam, quæ interdiu etiam movetur, cum noctu tantùm moveri deberet, ideoque addidisse summum præceptorem, diurnam esse periculosiorem nocturnâ. Sed hoc nihil est, nam si pituita noctu

noctu facere ſolet paroxyſmos, quamvis interdiu ob majorem copiam moveri poſſit, multò citius & acrius eadem noctu exacerbabitur, ob eandem humoris quantitatem, ſicque malè diurna vocabitur, quæ ſub noctem ingraveſcit. Præterea nullibi *Hippocrates* meminit febrium à pituitâ ſaltem ſolâ putreſcente, vetereſque *Galeno* antiquiores eas ignoraſſe videntur, & reverâ ſunt raræ, cum tamen febres & nocturnæ & diurnæ ſint familiares, imo neceſſe eſt omnes febres eſſe aut nocturnas aut diurnas. Videtur igitur explicatio iſta febrium nocturnarum eſſe *Galeni* ſomnium, cum ex nullis Hippocratis locis colligi poſſit, nec veriſimile eſt Hippocratem peculiarem febrium differentiam, tam generali nomine voluiſſe compleri, niſi vi quâdam dæmoniacâ ab inferis excitatus *Galeno* mentem ſuam aperuit. Demum ex ipſo *Hippocrate* concludi poſſe videtur, ſub diurnis & nocturnis nullam peculiarem febrium differentiam contineri. Ideo locum apponemus, quem male *Foeſius* explicavit, *Galenus* non intellexit, *ſectione tertiâ primi Epid.* Πυρετοὶ· οἱ μὲν ξυνεχέες, οἱ δὲ ἡμέρην ἔχουσι νύκτα διαλείπουσι· νύκτα ἔχουσιν, ἡμέραν διαλείπουσιν, ἡμιτριταῖοι, τριταῖοι τεταρταῖοι, πεμπταῖοι, &c. *Febres aliæ quidem continuæ, aliæ interdiu detinent, noctu intermittunt, noctu detinent, interdiu relinquunt, ſemitertianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, &c.* Ubi febres quæ interdiu aut noctu invadunt continuis opponit, dicitque eas eſſe ſemitertianas, tertianas, quartanas, &c. quod veriſſimum eſt, cum hæ febres omnes tam tertianæ quam quartanæ, & noctu & interdiu paroxyſmos facere poſſint, ut experientiâ patet: *Foeſius* autem ita explicavit, *ſunt & ſemitertianæ*, præter Græci codicis authoritatem, qui non dividit ſemitertianas à præcedentibus, ſed cum iis conjungit. Poſtea ſubjungit *Hippocrates* prognoſin primum continuarum, quas lethales eſſe dicit, deinde intermittentium, quas ſalutares eſſe ut plurimum docet. Inter quas ait nocturnam eſſe longam, diurnam longiorem, quod intelligendum eſt de eodem genere febris, ut ſenſus ſit tertianam nocturnam eſſe longam, ſed diurnam longiorem, & ſic de reliquis. Quamvis hoc prognoſticum non ſit neceſſarium, ut videbimus.

III. Prognoſin igitur quod ſpectat, ſcribit *Hippocrates*, nocturnam non eſſe lethalem, ſed longam, diurnam longiorem, & ad tabem in quibuſdam vergere. Duplicem affert rationem *Galenus in Commentario*, prima, quia acceſſio quæ interdiu prehendit difficilior eſt & malignior, quia corpus condenſatur, & conſtringitur, quando rarefieri

consuevit. cujus rationis levitatem cum viderent Arabum interpretes *Gentilis* & *Arculanus* dixerunt omnem febrem pituitosam esse malam ob ventriculi & stomachi læsionem, paroxysmique longitudinem, diurnam tamen esse periculosiorem, ob majorem pituitæ copiam, quæ etiam interdiu movetur, cum noctu tantùm moveri deberet, & propterea longiorem, difficilioremque facit paroxysmum, quam si noctu invaderet. Verum sanè est, doctrinæ *Galeni* & veritati consentaneum, periculosam valde esse eam febrem quam pituita parit. Sed nocturna secundum *Hippocratem* non est lethalis, nec unquam diurnam lethalem esse pronuntiavit, verum longiorem, unde infero non intelligere cum per nocturnas & diurnas, febres quæ fiunt à pituita. Quod si pituita interdiu movetur, multò magis noctu ingravescet, cum nocturna periodus illi propria esse dicatur, nam si ob humoris copiam paroxysmus anticipet, idem erit longior, & sub noctem, quo tempore humor moveri creditur, fiet exacerbatio, unde periculum non ex accessione diurnâ sed ex nocturna impendet, nam si paroxysmus quotidianæ quando noctu invadit, soleat esse horarum octodecim, si ob rationes ab Arabibus allatas, interdiu invadat, ultra unum diem extendetur, imo & ultra horas quadraginta, ut in tertiana nothâ. Præterea facilius resolvitur humor interdiu quam noctu, at facilior humoris resolutio morbum facit breviorem & salubriorem. Nec obstat materiæ copia, non enim sola humoris quantitas spectanda est, sed etiam consistentia, nam pituita crassa, viscida tenax, quamvis parcior, noctuque infestans, difficilius tamen resolvitur, quam multa blandior, & tenuior, quæ interdiu agitatur. Demum unde id habet *Galenus*, corpus in paroxysmo constringi & condensari, quod etiamsi concedatur, cur periculosius id erit in quotidianâ, quàm in tertianâ interdiu infestante, eadem enim utrobique ratio est. At tertiana infestans de die non creditur à *Galeno* esse periculosior ob corporis constrictionem. Ergò in quotidianâ constrictio corporis non affert periculum. Secunda ejusdem *Galeni* ratio est, quia cum febris diurna totum diem occupet, sola nox relinquitur cibis & medicamentis, unde homines coguntur vitam agere velut vespertilionis, nam à stomachi repletione non est dormiendum. Quod ergò febricitant interdiu, & vigilant noctu, multum consumuntur, sicque facile in tabem incidunt. At sic non minus periculosa est febris nocturna quam diurna, quia noctu dum febris detinet, vigilandum est, quare non minus imminet tabis peri-

Galeni Refutatio. *

periculum, & interdiu dormiendum, quod non eſt adeo ſalutare. Deinde cibum noctu ſumere non eſt adeo periculoſum, cum id ſit plurimis conſuetum, tum quia horâ poſt cibum ſumptum ſomnus iniri poteſt, at noctu vigilare eſt pejus; unde potius nocturna cenſenda eſt periculoſior diurnâ. Propterea ſtatuendum eſt per nocturnam & diurnam nullam peculiarem differentiam febrium intellexiſſe Hippocratem, nec eſſe abſolutè verum diurnam eſſe longiorem & periculoſiorem nocturnâ. Itaque de curatione hic nihil addendum, nam curari debent pro naturâ humoris febrem committentis.

Cap. VII.

De Epiala.

1 ΗΠΙΑΛΟΣ febris eſt alia pituitoſæ febris ſpecies, in quâ ſimul *Epiala*
febricitant & rigore corripiuntur ægri. Dictam vult *Paulus* *Avicen-*
ab ἠπίως & ἀλεαίνειν, quod eſt blandè calefacere, unde apud Hippocra- *na.*
tem, epiala febrem mitem lenemque ſignificat, ut virgines ex ſuppreſſione menſtruorum Ἠπιαλὸς πυρετὸς ἴσχει, ubi ſignificat mitem, vel dicitur ἀπὸ τοῦ ἠπίου καὶ ἁλὸς à mari, quod videtur in principio tranquillum, poſtea evadit turbulentum. Vocatur febris algida, & à veteribus *quercera.* De ea autem variè locuti ſunt *Galenus* & *Avicennas.* *Siquidem* Avicennas deſcribit febrem epialam, in quâ exteriora uruntur, interiora frigent de qua multa profert imaginaria potius quam vera, quam ait fieri ex pituita vitrea, quæ putreſcens vapores mittit ad ambitum corporis, ſic exteriora calefiunt, cum verò materia ſit frigida in interioribus partibus, immota & quieſcens, vel etiam commota & agitata illas refrigerat. Per partes internas intelligit ventriculum, inteſtina, jecur, renes; corde inquit *Gentilis* excepto, ſubolfaciebat enim difficultatem, quomodo cor refrigerari poſſit, cum ſubjectum febris eſſe dicatur. Sed hoc eſt etiam præter mentem *Avic.* vult enim ex pituitâ vitreâ putreſcente emanare vapores, qui ad externa corporis perveniant, non ad cor. Sed hoc ſubterfugium *Gentilis* adinvenit ut inveniret modum generationis febris, ſcilicet *uno abſurdo dato plurima ſequuntur.* Quomodo enim febris eſſe poterit, ſi frigeant interiora, caleant exteriora. Deinde ſequeretur omnes febres quas pituita parit eſſe epialas, deberet enim pituita partes internas refrigerare.

Præterea ſi pituita vitrea putreſcens partes externas calefacit, quibus non continetur; multo magis calefaciet internas in quibus ſtabulatur. Unumquodque enim fortius agit in proximum, quam in remotum, febris lipyria ſecundum *Avicennam* fit ab eadem pituita in internis putreſcente, cur pariter non calefient interna in Epiala; Demùm veriſimile eſt naturam ut partibus internis refrigeratis ſuccurrat, revocaturam calorem & ſpiritus ad interiora, ſicque pariter externa frigeſcent.

Epiala Galeni. 11. Melius igitur & veriùs de hac febre loquitur *Galenus lib. de inæq. intemp. & 2. de diff. feb. cap. 6.* ubi docet ſimul febricitare, & rigere ægrotantes, eodem tempore in quavis corporis parte, velut ſi quis in hominem valde calentem aquam injiciat, calorem ſimul, frigusque ſentiet, propterea quanquam in omnibus putridis adſit inæqualis intemperies, in iis tamen non reperitur omni tempore, nec in omnibus partibus, tantùm id contingit in morbi principio. In epialâ vero toto morbi tempore, ſimul frigus calorque fatigant, ex *Galeno, loco citato.* Fit autem ex pituitâ quam *Praxagoras* vitream vocavit, quæ ſi per partes ſentientes moveatur, quando non putreſcit, rigorem affert ſine febre, quando verò putreſcit febrem facit, & ſiquidem parum corrumpatur, faciet epialam, ſi multum putreſcat, præcedit rigor, febris verò ſubſequitur, devicto frigore à caloris copiâ ex *Galeno, & Aëtio.* Humor enim iſte cum ſit frigidus & tenax, vix poteſt æqualiter totus putrefieri, hinc fit ut ex parte putreſcente febrem, ex non putreſcente rigorem ſoleat excitare, ſecundum *Paulum.* Unde cauſa ex quâ hæ febres generantur, non videtur eſſe ſimplex, nam quod putrefactum febrem accendit, non eſt ejuſdem qualitatis cum eo quod frigore ſuo rigorem generat, unde duplicem in hâc febre cauſam ſtatuunt recentiores. Sed præterea idem *Galen. lib. de inæq. intemp.* bilem cum pituitâ contingit. *Si pituita*, inquit, *quæ eſt frigida, quam vitream Praxagoras appellavit, & amara bilis quæ calida eſt, ſimul abundant, & per ſenſibilia membra moveantur, nihil mirum eſt utrumque pari modo ſentiri.* Bilis enim calore pituita in internis externiſque partibus accenditur, & diſſolvitur, inde ægrotantis ſenſus qui minimas & differentias non percipit, calorem & frigus in eadem parte eſſe indicans, hallucinatur. Et hæc de cauſis epialæ ex ſententiâ *Galeni*, & *Avicennæ*, nam etiam aliter ſumitur à *Serapione* nomen epialæ, ſcilicet pro febre in quâ exteriora frigent, interiora calent, quam nos vocamus lipyriam. Sed hoc eſt nominibus abuti, febris enim

in

in quâ uruntur interiora vehementissimum habet incendium, contra Epialâ parum fervet, ut nominis ratio sonat.

III. Differt igitur hæc febris à quotidianâ simplici, quod in hâc adsit tantùm horror, qui etiam præcedit, febris verò sequitur, in illâ vero est rigor, qui simul cum febre ægrum detinet. Attamen quia fit ab humore pituitoso ad genus quotidianarum referenda est, ut vult *Galenus*, *loco citato*. Hic duplex notandus est error quorundam recentiorum. *Primus* eorum qui quotidianam in exquisitam & spuriam dividentes, epialon inter spurias numeraverunt, sed malè, febres eæ spuriæ dicuntur, quæ ex duobus humoribus eodem loco putrescentibus oriuntur. Epiala autem cum à solâ pituitâ fieri dicatur, nullamque cum bile aut melancholiâ permistionem habeat, necesse est eam exquisitam esse potius quam notham, nisi eorum opinionem sequamur, qui etiam à bile eam fieri voluerunt ut diximus, tuncque nihil erit absurdi, si spuriam eam esse dicamus. *Secundus* error est eorum qui non simplicem febrem, sed compositam esse voluerunt, sed male, nam à simplici causâ ortum habet, non à geminâ. Quamvis enim pars pituitæ putrescat, alterâ incolumi manente, tamen una eademque est causa, non duplex, hinc febris fit simplex, non composita.

Duplex error.

Primus.

Secundus

IV. In principio cum oscitatione invadit, & rigore magno, pulsus minimus, tardus, rarus est, urinæ crudæ sunt & aquosæ, quotidiè fatigat, accessioque ad horas fermè viginti quatuor protenditur. Sed aliquando propter humoris crassitiem, frigiditatem, & paucitatem, tertio aut quarto die tantum commovetur, nec tamen putandum est eam esse aut tertianam, aut quartanam, nam quotidiana dicitur ob putredinem pituitæ, non quod singulis diebus redeat, inquit *Avicennas*. Itaque ut à prioribus distinguatur, cætera signa consideranda sunt. Unde possumus inferre paroxysmorum ordinem & recursum, non pendere ab humorum proprietate, sed ab humorum conditionibus, crassitie, tenuitate, copiâ, paucitate. Etenim species febrium non cognoscitur ex paroxysmo, sed ex humoris putrescentis naturâ, qui est causa febris conjuncta. Præterea ad cognitionem hujus febris vita anteacta, cœlum, ætas, temperamentum, cæteraque addenda sunt, quæ pituitam possunt indicare. Rarò autem hujusmodi febres contingunt, vixquæ ad finem usque tales perseverant, sed tandem auctâ putredine in aliud febris genus degenerant.

Signa.

Curatio. v. Eandem prorſus curationem poſtulat cum quotidianâ, niſi quod propter humoris frigus, calefacientia & attenuantia debent eſſe validiora, ſed ut docet *Avicennas* purgantia ſint leviora, ob virium debilitatem, quia natura cum perpetuò & calore & frigore affligatur, validiores vacuationes perferre non poteſt, quæ tamen conveniunt in quotidianâ. Præparetur igitur humor ſyrupis & apozematis præſcriptis, ſed quoniam juncta eſſe ſolet inſignis ſtomachi debilitas, jubet *Avicenna* remediis ea addere quæ ſtomachum roborant. Deinde humor purgetur vel per vomitum, ſi æger nauſeabundus ſit, vel per alvum, ut ſupra dictum fuit *in curatione quotidianæ*. Iterum præterea redeundum erit ad præparantia & purgantia validiora, ſintque enemata calefacientia & attenuantia. *Galenus* oleo rutaceo injecto ſe excreviſſe pituitam vitream teſtatur. ℞ *malvæ, parietar. orig. puleg. calament. centaur. minor. ana* M. j. *f. chamom. meliloti ana* P. j. *medullæ carthami* ʒ vj. *ſem. aniſi, fœnic. ana* ʒ ij. *furfuris bene macri in panno raro ligati* P. j. *f. decoctio ad* ℔ j. *in quâ diſſ. mellis roſati, ſacchari rub. ana* ℥ j. *hieræ picræ, aut diaphœniconis* ʒ vj. *olei rutacei* ℥ iij. *aquæ cinnamomi* ℥ j. *ſalis parum fiat clyſter*. Vel decoquantur prædicta in decocto pulli, aut galli decrepiti. Poſt purgationes ventriculus & viſcera roborentur *aromatico roſato, diatrionpip. diamoſcho, dianth. diacalaminthe*, quod etiam à cibo conferre creditur. A phlebotomiâ autem omnino abſtinendum, quia nequeunt vires cum tantâ cruditate eſſe robuſtæ. Probant quidam thermas ſiccas apparente coctione, meliores erunt ſi ex rebus calefacientibus parentur, ut calamintha, origano, ſatureiâ, thymo, ſtochade, &c. In exitu corpus validè fricetur, ſpina inungatur oleis calefacientibus *capite de quotidianâ* recenſitis. Victus ratio eadem prorſus ſit at in quotidianâ, ſed ſeligantur ea quæ magis attenuare & calefacere poſſint. *Semen ſeſeleos* cum vino potum tormina diſcutit, epialis febribus utile *ex Dioſcor.* Idem ſcribit *folia alterci* trina quaternave pota epialas febres ſanare. Sed ſuſpectus eſſe debet tanti narcotici uſus. Et de hac febre ſatis.

CAP.

CAP. VIII.

De febre lipyria.

I. DE febre lipyriâ non esset hic dicendi locus, quoniam aut ad ardentes, aut ad malignas refertur, nisi de ea *Avicennas*, ejusque imitatione reliqui interpretes hoc loco agerent. Vocatur autem λειπυρία, quia λείπεται πῦρ ignis sive calor deficere videtur secundum *Actuarium*. Est enim febris in quâ interiora æstuant, exteriora tepent; Alii dictam volunt ab anxietate & molestia, ἀπὸ τῆς λύπης. De ejus causis & origine inter Græcos & Arabes non convenit. *Avicennas* inter pituitosas eam recenset, quamvis unam ejus speciem faciet à crassâ bile ortam. *Lipyria Avicennæ.* Utplurimum tamen eam generari ait à pituitâ vitreâ, idque dupliciter, vel quia eâ putrescente vapores elevantur crassi, qui nequeunt ferri ad exteriora, & illa calefacere, vel quod in partibus externis frigidi adsint humores, quia à pituitæ in alto putrescentis calore non possunt calefieri. Febres senum quas ipse vocat sepultas, quod foras se non prodant, videntur esse lipyriæ, quod tamen falsum; in lipyriâ vehemens est incendium, febres autem senum sunt mites, deinde febrem epialam eodem modo generari dixit; Cur autem pituita putrescens in lipyria interna viscera accendit, in epialâ eadem quasi gelu quodam refrigerat? A bile quoque eandem generari statuit, sed paucâ & crassâ, cujus vapores crassiores & pauci non possunt ad habitum usque corporis expandere sese, unde tantùm interna calefiunt. In hujus febris curatione utitur syrupo acetoso, oxymelite tum simplici, tum diuretico ad humorem crassum frigidumque incidendum & præparandum. Purgat aloë, hierâ, rhabarbaro. Demum eandem prorsus ac Epialæ curationem instituit.

II. *Galenus* longè diversum ab *Avicennâ* de hac febre scripsit *aph. 48. lib. 4.* Ubi ab ipso inter ardentes febres recensetur easque malignos, fierique dicitur ab inflammatione, vel eresypelate in aliquo interno viscere existente. Vehemens enim phlegmones calor, instar cucurbitulæ ab universo corpore sanguinem attrahit, ideo iis uruntur interiora, sed cutis refrigeratur. *Aëtius* vult lipyriam tantùm fiere ab eresypelate ventriculi, eam vero quæ jecori inflammato succedit typhoden, quæ pulmoni, crymoden vocari. Sed huic distinctioni repu-

gnat

gnat *Galenus*, qui *cap. 7. lib. 2. de crisibus* apertè docet lipyriam fieri ab eresypelate, pulmonis, jecoris, ventriculi, & *2. prognost. textu 4.* generaliter pronuntiat lipyriam ab inflammatione internarum viscerum generari, ita ut lipyria genus sit ad omnes prædictas. Docet præterea *Galenus loco citato* febrem hanc semper esse continuam, nunquam intermittentem, nam quoties in continuâ febre interiora uruntur, exteriora frigent, lipyria illa censenda est. At si in intermittente id contingat, nec maligna propterea judicanda est, nec quicquam mali inde pronuntiandum. Contingit autem in accessionum principiis exteriora rigere, & refrigerari, interiora uri & sitire, ut superius docuimus. Idem symptoma accidere potest ob causas externas, ut in timore, retracto ad interiora calore, sic illi qui hyeme frigent & algent, ventres habent calidos, nec tamen lipyriâ laborant. Per externas autem partes intelligere debemus cutim universam, non tantum manus & pedes, ut *aphorism. 1. lib. 7. In acutis frigus extremorum malum*; At pejus est cutem frigere, quam si solum extrema frigeant; Artus enim quoniam longius distant à fonte caloris leviori de causâ refrigerantur, maxima autem causa debet esse quæ prohibet caloris ad vicinas usque partes diffusionem: Et hæc de lipyriâ secundum *Galeni* sententiam.

Galenus malè explicavit febres lipyrias.

III. Quæ tamen non adeo certa esse mihi videntur. Nam secundum *Galenum* febres istæ non differunt symptomaticis. *cap. 3. lib. 1. ad Glaucon.* docet febres vel ex inflammationibus, vel ex humoribus accendi, illas quidem esse symptomata partium inflammatarum, has verò morbos. At febres lipyriæ non sunt symptomaticæ, veteres enim ut idem docet *Galenus* febres non vocabant eas quæ alios morbos comitabantur, ab iisque dependebant, & tamen lipyriam inter febres easque ardentes *Hippocrates* omnium vetustissimus numerat. Non sunt igitur symptomatica, nec ab inflammatione viscerum dependent, etsi cum eâ esse possint, ipse Galenus negat *com. 4. lib. 7. aphorism.* lipyriam esse symptomaticam, quomodo ergo fiet ab inflammatione viscerum. *Secundò* docet *Hippocrates*, febres lipyrias non nisi cholerâ superveniente solvi; At febres inflammationum cessant ut plurimum soluta inflammatione, quæ vel resolutione, vel suppuratione, rarissimè aut nunquam cholerâ morbo solvuntur. *Tertiò* ipse *Hippocrates* semper distinguit febrem lipyriam à febre quæ fit ex hypochondriorum ἀλγήματος ἐπιπόνου, nam

de

de iis tanquam de diversis semper agit. *Quartò* in inflammationibus jecoris, pulmonum, febres perpetuò forent lipyriæ. At experientia ostendit in ejusmodi inflammationibus non semper interna uri, cutim frigere, cum utrobique quam in externis quam in internis ardor sentiatur maximus, nisi forsan moriente homine, at hic casus cum communis sit omnium morborum lethalium, non constituit lipyriam. *Quintò* malè dixit *Galenus* inflammationes viscerum attrahere ad se sanguinem & humores, instar cucurbitulæ *addunt recentiores*, cum tamen cucurbitula attrahat vi vacui, inflammatio vero vel calore, vel dolore. Nec attrahit nisi forsan in principio cum humores fluunt ad partem inflammatam; At in augmento & statu nullus fit confluxus ad partem affectam; Ergò tunc non est necesse humores moveri ad interna, aliter inflammatio perpetuò augeretur, si toto morbi decursu, fieret humorum confluxus. At quando is cessat, non potest fieri ista retractio caloris, nec partes externæ frigent internis ardentibus, ut experientia ostendit. Ideo in principiis inflammationum utimur derivatione & revulsione, quamdiu humor est in motu, postea vero ad usum resolventium & suppurantium devenimus. At si humores non moventur ad interna non fit refrigeratio cutis. At post principium in internis viscerum inflammationibus humores non moventur ad interna. Ergo non fiet cutis & extremorum refrigeratio. Vallesius multum se torquet ut ostendat quomodo lipyria morbus sit, & non symptoma alterius morbi! dicit febres quasdam posse esse cum inflammatione, ab eâ tamen non pendere, & omnes febres quæ sequuntur phlegmonem esse diarias. Sed fallitur, nam febres ex bubone malas esse scribit Hippocrat. præter diarias, innuens non omnes febres symptomaticas esse diarias. Deinde ipse Galen. apertè dicit febrem lipyriam non solum esse cum inflammatione, sed ab ea fieri.

IV. Statuendum igitur febrem lipyriam esse de genere earum quas veteres morbos vocabant. Hippocrates eam inter ardentes numerat. Sed quælibet ardens non habet hoc symptomata, sed tantùm ea quæ maligna est & pestilens, ideoque ipse *Galenus* eam interdum malignam esse vocavit. Ratio autem hujus symptomatis difficilis est explicatu, quam *Galenus* malè, ut diximus, ad phlegmonem eresypelasve viscerum retulit, cum plurimas malignas febres viderim, in quibus exteriora tepebant, interiora ardebant, nulla tamen aderant

inflammatorum viſcerum ſigna, & ſymptomata. Duplicem igitur hujuſce ſymptomatis cauſam reddi probabiliter poſſe crediderim. *Prima* eſt, cum hujuſce febris natura in malignâ venenataque qualitate ac putredine conſiſtat, ſitque omnis veneni proprium cordi inſidias ſtruere, natura ut partem nobiliſſimam tueatur, illique ſuppetias ferat, undique ſanguinem ſpirituſque ad cor parteſque nobiles tranſmittit, unde per accidens ejuſmodi extremorum refrigeratio conſequitur. Ubi obſervandum ejuſmodi refrigerationem ut experientia oſtendit, non eſſe toto morbi decurſu perpetuam, ſed interdum recaleſcere ſuperficiem corporis, iterumque refrigerari, quaſi per vices, quod valde maligni morbi ſignum eſt, id quod ante annotavit *Hippocrates*, nam *hiſtoriâ quintâ, ſect. 3. tertii Epidem. Pythio Thaſius* habuit ſæpius apparentem ejuſmodi febris remiſſionem, eodem tamen die recaleſcere ſolebat, decimoque interiit, & *Philiſcus primo Epidem.* Tertio die à febre immunis eſſe videbatur, eadem tamen die recaluit, & ſexto mortuus eſt. *Secunda cauſa eſt* quod febris hæc fiat ab humoribus valdè putrefactis in præcordiis ſtabulantibus, qualis eſt bilis æruginoſa, & ſummè putreſcens, cujus occurſum cum naturâ ferre non poſſit, conatur per vomitum & ſeceſſum eos evacuare. Ideo omnibus id viribus contendit, ſitque inde humorum ad interiora concurſus. Quid ſi adderemus peculiarem humorum malignorum proprietatem, ut potiùs ad interna vergant, quam ad externa, quamplurimis nihil dixiſſe videremur, forſitan tamen nihil abſurdi dixerimus.

Signa. v. Signa hujuſce febris præter calorem internum, & frigus externum ex *Hippocrat. 2. de morb.* ſunt urinæ flavæ, lingua arida, expiratio fervida, vomitus bilioſus, vigiliæ, anxietas maxima, ita ut ægri nullam neque figuram, neque locum patienter ferant, pulſus præterea parvus eſt & debilis, inferioriſque labii tremor adeſt & commotio, quæ ardentem malignam denuntiant. Scribit *Hippocrat. aph. 48. lib. 4. In febribus non intermittentibus ſi partes exteriores ſint frigidæ, interiores verò urantur & ſitim habeant, lethale.* Et primo aph. ſeptimi lib. *In acutis frigus extremorum malum*, & Coaca prima, lib. tertii *Caput, pedes, manus perfriguiſſe coſtis & ventre calentibus malum.* Et cap. XI. lib. 2. Coacar. aph. XI. *ſtomachi dolor, pulſus hypochondriorum febre extinctâ malum*, quod intelligendum eſt de febre lipyriâ non de febre ſolutâ, ſed de eâ tantùm in quâ videntur exteriora eſſe temperatiora. Et Coaca 14. cap. 6.

Qui

Qui ad tactum minimè sunt æstuosi, evadunt phrenitici, maximè si sanguinem non profundant. Demum scribit Hippocrates coaca 120. *Febres lipyriam non nisi per choleram solvi*, vacuatione scilicet bilis sursum deorsumque factâ, quâ vacuatâ pristinum parti temperamentum restituitur, unde concludebam superius febrem hanc non esse ab inflammatione viscerum; quæ non per choleram, sed resolutionem, & suppurationem solvi solet. At quomodo potest morbus acutissimus alium acutum solvere. An cholera duplex est, *critica*, quæ materiâ concoctâ crisis ratione contingit, estque salutaris; *symptomatica*, quæ accidit naturâ ab humoribus noxiis irritatâ, cum virium exolutione & syncope, ac surarum contractione, quæ acutus morbus est & periculosus.

VI. Curatio à phlebotomiâ auspicanda est, præmisso clystere, deinde refrigerantibus ac cardiacis utendum, ut succo citri, limon. granator. Aquæ potus non nisi post coctionem convenit, ut alibi diximus. Cataplasmata ex farinâ hordeaceâ cum succo sempervivi, similiumque refrigerantium subactâ, hypochondriis applicentur, & sæpe commutentur. Demum eadem huic febri quæ ardenti malignæ curatio debetur, additis iis quæ proprietate malignitati adversantur. Notandum autem ex *Hippocrate 2. de morb.* & lib. *de affect.* Solis sorbitionibus utendum dum febris desierit, in potu exhibendam mulsam dilutam, solisque clysteribus non autem aliis catharticis purgandum, antequam febris abierit. Sic autem scribit. libro de *affectionibus.* *Curatio.*

Ἢν τὰ μὲν ἔξω μὴ πυρώδη ᾖ σφόδρα, τὰ δ' ἔσω, ϗ ἡ γλῶσσα τρηχέη ϗ μέλαινα γίνηται· ϗ οἱ πόδες ϗ αἱ χεῖρες ἄκραι ψυχραὶ, τούτῳ φάρμακον μὲν μὴ διδόναι θεραπεύειν δ' προσφέρων ψύγματα, ϗ πρὸς τὴν κοιλίην, ϗ πρὸς ἄλλο τὸ σῶμα. καλέεται δ' ὁ πυρετὸς καυσώδης, οὗτος κρίνεται δ' μάλιστα δεκαταῖος ϗ τεσσαρισκαιδεκαταῖος. Ubi docet hanc febrem esse de genere ardentium, & dignoscendi ac curandi methodus perspicuè explicatur.

CAP. IX.

De febribus syncopalibus.

I. TAndem inter febres pituitosas de syncopali tractat *Avicenna.* Est autem febris putrida, in quâ ob læsionem oris ventriculi syncope succedit, potestque esse continua & intermittens. Fit autem vel â pituitosis humoribus, vel à biliosis, illam humorosam, hanc mitam vocant *Arabes*, de utraque hic seorsim agemus

 II. Plu-

Syncopa-lis humorosa. 11. Plurimi itaque, *ut prius diximus*, febricitant, ubi maximam crudorum humorum copiam, vel ex cruditatibus, vel aliâ occasione congesserunt, quæ periculosæ febres sunt, ob læsionem oris ventriculi, soletque iis variis ex causis syncope succedere. *Primò* quia cum maxima pituitæ copia in ventriculo redundet, totoque corporis habitu, tunc quantitate & qualitate suâ vires opprimit, & quia naturæ gravis putrescit, febrem excitat, unde hic humor putris oris ventriculi calorem suffocans ducto in consensum corde syncopen parit. *Secundò* inappetentiâ vexantur, inde languente stomacho totum corpus ruit. *Tertiò* ob corporis totius frigiditatem, nutriri probè non possunt, inde spiritus, humores, solidæque partes absumuntur, sicque præcipites labuntur vires, fitque syncope. *Signa.* Signa verò quæ febrem hanc demonstrant hæc sunt ex *Aëtio*. Primò iis hypochondria intumescunt, totumque corpus præter naturam inflatur. Color nonnullis ad album, vel lividum declinat, pulsusque sunt minores quam pro caloris ratione, obscuri, inæquales, exigui, rari, tardi, quibus adde plurimos flatus, ructus acidos, otium, balnea, immoderatum usum aquæ, vini crassioris, præcedentem denique victus rationem pituitæ feracem. His succedit mala affectio oris ventriculi, & syncope. Periculosissima est *Prognostica.* hæc febris *ex 12. methodi*, quia nisi cruditas concoquatur, certa mors est, tum nisi ægros nutriamus, vires infirmæ collabuntur; si vero eos alamus, ob infirmitatem ventriculi, coqui cibi non possunt, cruditas increscit, & cumulatur. Quod si remedia ipsa spectemus, humorum copia vacuationem postulat, quæ nec per venæsectionem, nec per cathartica ob virium imbecillitatem institui potest. Si enim materia quiescens & immota syncopen facit, multò magis mota & agitata faciet. Quod si prædictis accesserit pessimus faciei color, urinarum summa cruditas, pulsuum inæqualitas, parvitas, tarditasque, mentis sensuumque hebetudo, totius corporis gravitas, in angusto spes est, multoque magis si inflammatio ventriculi, vel hepatis adfuerit, nam ob crudorum humorum plenitudinem, & virium infirmitatem, syncope & mors exspectanda est. Si vero omnia leviora sunt ad curationem veniendum. Igitur quamvis vacuationem desiderent, attamen neque phlebotomiam, neque catharsin possunt sustinere, ob virium imbecillitatem, etsi *Alexander* venæsectionem probet, quando adest plenitudo sanguinis: Sed ut docet *Galenus*, præsentibus crudis succis semper vires languent, vixque potest ulla adesse sanguinis

copia

copia, cum tantâ pituitæ mole, quæ tamen si adesset, plus tamen valet, cruditas ad dissuadendam venæsectionem, quam sanginis abundantia ad suadendam. Propterea cum vacuationem postulent, nec eam ferre possint, *Galenus* solam frictionem commodissimam esse statuit, quæ mediocriter sine virium dispendio resolvit. Igitur aspero linteo crura, brachia, spina deorsum versus perficentur, dum incalescant, & postea si ex perfrictione lassitudo oriatur, inungantur oleo relaxante & paululùm dirigente, ut *chamæmelino*, *anethino*, ab adstringentibus autem perpetuò abstinendum, ut *Omphacino*. Præter frictiones *Galenus* victum instituit admodum tenuem, qui primo triduo ægrum nullis alimentis, sed solâ mulsâ cum hyssopo, & origano sustinet. *Alexander* etiam vinum concedit optimum, & generosum. Præterea somnus & vigilia sint moderata, nam somnus concoquit, vigiliæ digerunt. In majori cruditatis copiâ, etiam oxymelite utitur. Quod si pulsus fuerit parvus, & valdè inæqualis, æger in maximo est discrimine, nihilque præterea faciendum. Sed si pulsus fuerit mediocris, minimè intercisus sed æqualis, nisi alvus sponte dejiciat, clysteris usum concedunt *Aëtius & Galenus*. Hanc curandi methodum improbat *Alexander*, qui miratur Galenum cum tantâ inedia, tam vehementes frictiones imperasse, quandoquidem ex *Hippocrate*, *ubi fames laborandum non est*, quem aphorismum tam de sanis quam de ægris *Galenus* interpretatur, unde testatur idem *Trallianus*, ægros se vidisse à Medicis interemptos, quod simul exercitationes corporis, inediamque imperassent. Pro solutione sciendum, quoties vires onere premuntur, calorque nativus exiguus est, sufficere corpori exiguum cibum, nam pituita longiore coctione & attenuatione in sanguinem facessit, ut ostendunt animalia in latibulis totâ hyeme degentia, quibus pituita pro alimento est. In istis itaque febribus à frictionibus excitato calore veritur in sanguinem humor pituitosus, qui ad nutritionem sufficit. Falsum propterea est ægros sub regulâ *Hippocratis* contineri, cum famem non patiantur, suppetit enim internum alimentum, nec appetunt novum, ideo periculum non est ne ex fame vires corruant & labantur. Hic advertunt quidam usu mulsæ, & mellitorum, alvum mellis acrimoniâ interdum subduci, consequi diarrhoeam, quæ si perseveret, hominem ad extremam imbecillitatem deducit, tunc potius ptisanæ cremore esse utendum, cum pauco pipere.

111. Sed præterea concedi possunt præparantia superius recensita

quæ cardiaca ſint, vimque habeant attenuandi & incidendi citra moleſtiam, ut *oxymel, cum decocto majoranæ, hyſſopi, beton. polii, &c.* Purgantia prohibet *Galenus*, leviora tamen concedit *Alexander*. Validiora quidem jure improbantur, quia in hâc febre ſyncope ſuccedit humoribus etiam non motis, multo magis ſi à pharmaco moveantur. At ſi vires ſint paulò validiores, apparente coctione, ſublatoque ſyncopes metu, leve pharmacum inutile non erit, quod judicio præſentis Medici relinquendum eſt. Præterea valent confectiones ventriculum & cor roborantes, tum quæ admota ventriculum calefaciunt, & roborant. ℞ *folior. menthæ, abſynt. orig. calament. puleg. ana* M. j. *florum chamæm. anthos, ana* P. j. *calami aromat. ſchœnant. ana* ℥ ß. *ſem. aniſi, fœnic. ana* ʒ ij. *f. decoctio pro fotu ventriculi & hypochondriorum.* Sed in principio iſtis non eſt utendum, ne humores crudos diſſipent, ſed tantùm fundant, humores autem fuſi ventriculum magis onerant, ſed poſt coctionem conveniunt. Denique balneum ipſis eſt adverſiſſimum, ut intelligi poteſt ex iis quæ *cap. de hecticâ* diximus. Cum enim materia craſſior ſit, nondum extenuata, meatus magis infarcientur, febres augebuntur ex *Tralliano*, qui tamen concedit poſt humorum coctionem, quamvis meo judicio in ſyncope à crudis humoribus, ſatius ſit eo abſtinere.

IV. Quando vero ſyncope jam premit, mica panis vino intincta offerenda eſt, aut vinum dilutum, aqua cinnamomi, cardiaca potio, tum demùm quicquid paroxyſmum removere poteſt. Deinde reliqua curatio eo quo diximus modo inſtituenda.

Syncopalis minuta. V. Eſt alia febris ſyncopalis ſpecies, quam à bilioſis humoribus & tenuibus fieri diximus, quam Arabes minutam vocant. Quidam humores habent tenuiſſimos corporis habitum rarum, hinc ex facili ſpirituum reſolutione ſyncopè corripiuntur. Fit igitur à bilioſis humoribus, qui ventriculum affligunt, faciuntque vel ἄσην, inde ἀσώδης febris, irrequieta & implacida, vel ſyncopen. *Signa.* Ἄσην quidem quando non adeo inſigniter læditur os ventriculi, ſyncopen verò ubi gravius affligitur. Facies ſquallida eſt & ſicca, pulſus ſunt exigui, inæquales, inordinati, dejectiones bilioſæ, ſitis, vigiliæ, præceſſerunt ſollicitudines, cibus vitioſus & acris ex *Tralliano*.

Curatio. VI. In hoc affectu tria ſunt conſideranda, humorum tenuitas, corporis raritas, paucitaſque ſpirituum. Ideo triplex ſeſe offert indicatio, incraſſandi humores, conſtringendi meatus, habitumque corporis,

poris,

poris, & ſpiritus regenerandi. Hæc omnia commodè præſtant alimenta quæ nec promptè diffluant, nec facilè corrumpantur, qualia ſunt non mulſa, non ptiſana, ſed panis ſorbitio cum vino granatorum, aut alio adſtringenti, fructus auſteri tum per ſe, tum cum pane exhibiti, ut refert *Andernacus in Paulum*, ſe uſu uvæ immaturæ curaſſe ægrum hujuſmodo ſyncopè laborantem. Præterea conveniunt ova recentia, eorumque vitelli, tum quæcunque euchyma ſunt & polytropha, quæ & ſæpe & parum exhibenda ſunt, quia ex *2. aph. 17.* virtus imbecilla plurimâ eget nutritione, multa tamen alimenta ſimul ferre nequit. Quod ſi æger ad ſanitatem tendere videatur, potiſſimùm poſt diem quartam, humoribus ad coctionem tendentibus licebit carnes offerre. Ut autem denſetur cutis, ſpirituumque diſſipatio prohibeatur, aër in quo verſatur æger refrigeret, & adſtringat, qui ſi naturâ talis non fuerit, arte paretur, inſperſis foliis nenupharis, myrti, roſar. labruſcar. & ſimilibus. Ungantur oleis eadem facultate prædictis, ut roſar. cidon. myrt. cum ſuccis portul. ſempervivi, ſolani, agreſtæ, imo farina hordei ſucco lactucæ, vel ſempervivi ſubacta præcordiis imponatur, vel unguentum roſatum Meſue, refrigerans Galeni, &c. Hic nec frictionibus, nec purgatione, nec venæſectione, nec ſudorum, aut urinæ provocatione, ullove alio vacuationis genere opus eſt, cum ægri jam nimium ſponte vacuentur & diſſolvantur. Sed ut diximus ſumma curationis eſſe debet, vires inſtaurare, humores incraſſare, humorum exhalationes ſiſtere. Quod ſyrupis acidis & cardiacis quoque præſtatur, ut de *agreſtâ*, de *ribes*, *limon. nenuphar. portul. roſar. ſiccar. granat. arantior.* cum aquis idoneis. Humore craſſiori reddito, eum purgare quidam audent, quod *Galenus* ſummoperè vetat, propter ſyncopen quæ agitatis humoribus magis exacerbatur, aut ſi purgandum videatur, id tantùm in declinatione levioribus catharticis præſtetur. Quidam etiam vomitum commendant ad bilis eductionem, nec improbat *Averrh.* ſed tantum ex levioribus præſcribit, & quando æger nauſeabundus eſt. Quamvis in quâdam ſyncopè ab humoribus bilioſis factâ vomitus ſit ſalutaris, ut dicemus capite proprio. In hoc tamen caſu nulla vacuatio convenit, ſed potius analeptica curatio inſtituatur. Extrinſecus epithematis utendum ventriculo, cordi, jecorique admotis, quibus etiam teſticulos fovere poſſumus. ℞ *aquarum oxalid. nymphea, ſolani, roſar. ana* ℥ iiij. *tritum ſantalar. pulveris diamarg. ana* ʒ j. *aceti* ℥ j. *caphuræ grana tria ſ. epithema prædictis*

dictis

dictis partibus applicandum. Addi etiam possunt trochisci de spodio, de caph. de terrâ sigilatâ, & similiâ. Imo quidam ægrum involvunt linteo madefacto aquâ rosarum, quod tamen est periculosum, nam tantum frigus excarnes ægri perferre non possunt, ut diximus capite de hecticâ.

Quomodo syncope occurrendum. VII. Syncope ipsi in Paroxysmo omni arte providendum, aspersione aquæ rosarum & similium, cum aceto, super faciem, deinde sumpto pane vino adstringenti, aut omphacio macerato, vel potione cardiacâ. ℞ *pulveris diamarg.* ʒ j. *confectionis alkermes* ℈ j. *confect. de hyacintho* ʒ ß. *syr. limon.* ℥ j. *aquar. buglos. oxalid. ana* ℥ iij. *f. potio in duas doses.* Vel ℞ *conservæ rosar. nymph. buglos. ana* ℥ j. *cidonior. sacchαro condit.* ʒ iij. *pulveris diamarg.* ʒ j. *margarit. præparat. coralli, crystalli ana* ℈ j. *rasuræ eboris, cornucervi usti ana* ʒ ß. *confect. de hyacintho* ℈ j, *syr. de limon. vel corallor. q. s. f. electuar. Dosis sit ad* ʒ ij. *superbibendo parum aquæ rosar. & buglossi.* Et hæc de syncopali; ac pituitosis omnibus febribus.

Generaliter autem omnibus febribus à pituitâ proprietate quâdam conferre dicuntur gentianæ succus cum vino tepido sumptus, ante paroxysmum febrem omnino tollere creditur, sicut theriacæ, aut mithridati ʒ j. ex vino albo, post corporis purgationem. Quidam insuper afferunt tribus guttis succi mercurialis in dextram aurem & narem instillatis febres istas solvi posse. Alii jubent instante paroxysmo, ut pedes detineantur in decocto herbarum calidarum. Pariter oleum scorpionum pedibus, manibus, naribus, dorso illitum ante paroxysmum remedio est. Refert *Varignana in secretis*, milii solis ℥ j. cum vino vel aquâ tepidâ sumptam, febrem experientiâ certâ, tollere, idque fieri putat, quia diureticum valdè est & abstergens. Quæ experiatur qui volet.

CAP. X.

De febribus melancholicis.

I. A melancholiâ febres quartanæ fieri dicuntur. Sunt autem eæ quæ quarto quoque die repetunt; Dividuntur, ut aliàs diximus, in intermittentes & continuas, sed quæ exacerbationes habent. Hæ ex humoribus intra vasa putrescentibus; Illæ verò ut intermittentes

tes

tes reliquæ ex humoribus per partes ſentientes delatis fiunt. Communis generatio utriuſque eſt ex melancholiâ putreſcente, quod probat *Hippocrates* in calce *lib. de Nat. hum.* quod autumno maximè generetur, & eâ ætate, quæ eſt à 25. ad 45. quæ ætas omnium maximè atræ bili eſt obnoxia, ut etiam inter anni tempora autumnale eſt maximè accomodatum. Additque ſi quis extra hoc anni tempus & ætatem quartanâ corripiatur illam minimè diuturnam fore. Refert *Avicennas* quoſdam negaſſe quartanam fieri à melancholiâ, quoniam ipſa non putreſcit, quos ideo refellit, quia omnis humor putredini obnoxius ſit. At quamvis negandum non ſit à melancholia poſſe fieri quartanam, ſic ab eâdem poſſe fieri & tertianam & quotidianam jam ſuperius oſtendimus, pro variâ humoris quantitate, tenuitate, craſſitie, mobilitate. Sic pariter negandum non eſt ab aliis humoribus quam à * melancholiâ poſſe fieri quartanam, nam ſi tertiana quam bilis parere dicitur, adeo interdum poſtponit, & remoratur, ut periodi ſuæ fermè obliviſcatur, cur adeo retardare non poſſit, ut quartano tantum circuitu moveatur. Sic quoque pituita vitrea quæ epialon facit, movetur quarto die. In plurimis bilioſis pituitoſiſque febres fiunt quartanæ, quarum ſymptomata, alium quamlibet humorem quam melancholicum indicant. Præterea non melancholici humoris ſed pituitoſi, aut alterius cujuſlibet vacuatione ſolutas fuiſſe febres, has experientia oſtendit. Imo rariſſimè quiſpiam aut urinis, aut dejectionibus, aut vomitibus humorem atrum excretum vidit, nec minus frequenter hujus humoris excretio in aliis febribus, quam quartanis cernitur. Nec perpetuum eſt quod ſcribit *Hippocrat.* & autumno & poſt annum 25. ordinariè contingere, nam & in mulieribus, pueris, & æſtate, & vere quartanas cernere licet etiam diutiſſimè infeſtantes. Quod ſi idem ſcripſit illas minimè eſſe diuturnas, non negat tamen poſſe fieri, nam brevitas, aut longitudo rem non tollunt, veriſimile eſt enim quartanam quam bilis aut æſtate, aut vere parit breviorem eſſe illâ quæ autumno aut hyeme ex melancholiâ contingit. Hic igitur de iis febribus agimus, quas melancholia parit, ſive quartanam, ſive aliam periodum obſervent, ut plurimum tamen quartanæ eſſe ſolent ob humoris & paucitatem & craſſitiem.

11. Cum autem variæ ſunt melancholiæ ſpecies, *Arabes* poſt *Alexandrum* ex omnibus illis fieri febres has voluerunt. Alii vero ex ſolo humore melancholico naturali, nequaquam verò ex aliis ſpeciebus. *Cauſa.*

Et quidem quod ſpectat naturalem iſtam melancholiam, certum eſt ſecundum *Galenum*, ex ipsâ putreſcenti fieri febrem, quoties propriis ex cauſis abundè cumulatur, nec caloris nativi beneficio regitur. Sed de melancholiâ præternaturali maximum dubium eſt. Fit enim vel ex naturali ulteriori incendio in atram degenerante, vel ex flavâ ſuperaſſatâ. At quomodocunque generetur, humor eſt acris, malignus, corrodens, pernitioſus, unde concludere poſſumus ab atrâ bile non poſſe fieri quartanam, quia tunc acutiſſimus morbus foret & periculoſiſſimus, cum natura humoris adeo noxii præſentiam ferre non poſſit, deinde ſæviſſima inducerentur ſymptomata, partium exulcerationes, phrenitides, ardores maximi, ſitis inexhauſtæ, inquietudines, aliaque id genus maligni humoris propria, quibus tamen quartana naturæ ſuæ ratione caret, cum ſit febris diuturna, minimeque periculoſa. Ideo *Galenus 2. de diff. feb. cap. 5.* ex ſolo melancholico humore frigido ſicco generari vult, nullibique eam fieri ab atrâ bile prodidit. Quamvis enim *2. prognoſt. 32. & 3. aphor. 22.* duplicem illius generationem faciat, unam ex aſſato ſanguine, alteram ex bile deuſtâ, non vult tamen ab illis quartanas oriri, ſed tantum ab humore melancholico frigido ſicco. Unde reprehenditur à *Tralliano*, quod unam tantùm ejus curationem ſcriptis tradiderit, cum tamen alia ex bile flavâ deuſtâ, alia ex fœculento ſanguine naſcatur, quæ curandi ratione differunt, cum una calefacientibus, alia refrigerantibus ſit curanda, cui conſentit *Avicennas*. Reſpondere poſſumus, quartenam vel primò incipere, vel aliis febribus ſuccedere, præſertim erraticis. Cum primò incipit, ab humore fit frigido ſiccoque. Cum aliis febribus ſuccedit, fit ab humore aduſto. Non omnis autem humor aduſtus adeo acris eſt & malignus, ut atra bilis, putredine enim melancholia incaleſcit, nec tamen in atram degenerat. Pariter qui calido ſunt temperamento ætate inclinante valde fiunt melancholici, remanentque calidi & ſicci, nec tamen atrâ bile acri & malignâ, de quâ diximus, abundant. Et ab ejuſmodi humore incaleſcente poſſunt fieri quartanæ, non autem ab atrâ bile, cujus occurſum partes ferre non poſſunt, & à quâ omnes morbi lethales: fit igitur à melancholiâ quæ atra bilis nondum eſt, ſed eſt in ejus veluti confinio, quod ſi ingraveſcente putredine atra bilis aliis humoribus ſit permiſta, febris quidem generabitur, ſed valdè periculoſa ac lethalis, quam nullam habituram periodum puto, ſed continua fiet. Proxima igitur cauſæ humor melancholicus ſtatui-

tuitur. Remotiores ſunt quæ ejuſmodi humorem in corporibus acervare poſſunt. Eæ autem *vel materiam ſuppeditant*, ut cibi dyſpeptoi, ſucci craſſi, terrei, caro bubula, aprina, cervina, panis furfuraceus, caſeus vetus, legumina, braſſica, piſces ſetacei, ſale conditi, fumove indurati, vina craſſa nigra, ſed maximè acetum. Eſt enim melancholia aceto perſimilis, ſiccat enim & refrigerat; Sic quoque in quartanâ fit humorum in acidum permutatio, ſicut docet *Galen. 2. de ſympt. cauſis cap. 2.* eodem prorſus modo quo ex vino acetum, itâ ex ſanguine melancholiam generari, ideo acetum melancholicis noxium perhibetur, quia ſanguinem refrigerat & exſiccat, humorem ipſum fermentat ex *3. acutor.* vel eam efficiunt, ut ſicca frigidaque corporis conſtitutio, ætas inclinans, autumnus, vigiliæ, curæ, triſtitia. Vel eam cumulant ut ſuppreſſa ejus è corpore vacuatio per hæmorrhoidas, vel uterum, aut ob lienis imbecillitatem in univerſum corpus regurgitat. Recenter uxorati quando immodicè coëunt has febres incurrere ſolent inquit *Valeſcus*, quia ex nimio coïtu corpora redduntur imbecillia, refrigerantur & exſiccantur, hincque ſuccreſcit copia humoris melancholici. Item pueris propter edacitatem contingit. *Galenus 2. prognoſt.* ætatem conſiſtentem quartanis obnoxiam eſſe ſcribit. At *primo ad Glaucon.* idem de ætate ſimili ſcriptum reliquit. Et quibus colligitur omnibus ætatibus accidere poſſe, ſed pueris non ratione temperamenti, ſed vel ob ingluviem, vel ob ſanguinis materni quo in utero nutriuntur vitium. Sicut in ſanguineis apparent ſæpe quartanæ, quod fieri dicitur propter malam vivendi rationem, quæ ſuccum melancholicum plurimum parit: Sed potiùs meo judicio dicendum, etiam ab aliis humoribus fieri poſſe quartanam. *

III. Nam etiam à pituitâ eam fieri vult *Hollerius*, quæ tam craſſa eſt & contumax, quam ipſa atra bilis. Docet enim febres quartanas fieri vel vitio hepatis ſanguinem adurentis, vel vitio lienis melancholiam non expurgentis, vel vitio ventriculi crudum humorem generantis, à quo quartanam fieri poſſe ipſe *Ariſtot.* conceſſit, problemate *19. lib. primi*, ubi ait pueros eſſe quartanæ obnexios. Neque id ait *Hollerius* repugnat Græcis aut Arabibus, nam pituita conſiſtentiâ craſſa, quantitate pauca, quartanos aut etiam rariores circuitus facere poteſt. Sic *Rhazes* docet quartanam fieri ſucceſſione quotidianæ, & tertianæ, aduſtis ſcilicet, aut incraſſatis humoribus. An autem ex pituitâ poſſit fieri melancholia alibi diximus, in Phyſiologiâ.

Quartana fit etiam à pituitâ. *

Signa calor. IV. Cognoscitur autem quartana si prædictæ causæ præcesserint. Deinde calor quidem magnus est & mordax, minùs tamen quàm in tertianâ, unde nonnulli tertianæ calorem flammæ ardenti, quartanæ vero fervorem carboni accenso compararunt. *Vrinæ.* Urinæ variæ sunt, principio crudæ, propter materiæ crassitiem, quæ obstructiones generat, procedente morbo urinæ fiunt coloratiores, crassiores, hypostasimque habent ex *Aëtio*; Sed ex *Galeno primo ad Glaucon. cap. 7.* In quartanis variæ sunt urinæ, sed crudæ omnes, quod intelligendum est de principio, nam in statu & declinatione apparent urinæ coctæ, unde falsò quidam *Galenum* de toto morbi decursu intelligendum volunt, nam urinæ perpetuò non possunt esse crudæ, maximè quando natura morbo dominari incipit. Observat *Gordonius*, urinam interdum in ipso principio apparere bene coloratam cum laudabili hypostasi, quoniam ægri in intervallo optimam servant vivendi legem, bene dormiunt, tunc coctio quæ videtur, non est humoris morbifici, sed cibi, ideo humoris coctio tunc ex remissione tantùm symptomatum cognoscitur. Est autem urina quartanæ adeo similis urinæ febris pituitosæ, ut discerni vix possint, unde *Gilbertus Anglicus* in praxi suâ cap. *de quartanâ*, & Richardus quidam doctissimus referente *Arculano*, sanctè professi sint se nunquam potuisse ex urinis quartanam cognoscere, aut epilepsiam, aut mulieris graviditatem, quod est verissimum, & experientiâ comprobatum. *Pulsus.* Pulsus præterea in hâc febre sunt tardi, rari & duri in principio, dum rigent ægrotantes, sed postea fiunt majores, validiores, & paulò velociores. In tertianis quidem pulsus sunt parvi, tardi & rari, sed minùs quam in quartanâ, in quâ scilicet videtur arteria quasi ad interiora retracta, *cap. 3. 2. de crisibus.* unde quamvis æger sit juvenis, talis tamen fit pulsus qualis in ætate descriptâ fieri consuevit, in quâ ob caloris nativi paupertatem, & spirituum paucitatem, pulsus sunt parvi, tardi, & rari, tarditas autem quæ in tertianis apparet, parùm abest à motu naturali. Et quamvis in augmento pulsus fiant celeriores ob caloris incrementum, tamen si comparetur quartanæ status cum statu tertianæ, pulsus in quartanâ tardiores sunt & rariores quam in tertianâ. Demum addit *Galenus*, in tertianâ arteriæ inæqualitatem in uno pulsu manifestius apparere, quàm in reliquis febribus, siquidem multo velocius habet principium, finemque motus quam medium. *Forma febris.* Forma autem febris talis est. Incipit cum oscitatione, refrigeratione, aut rigore sed exiguo, post verò auctâ fe-

bre augetur rigor, qui quidem non ſicut in tertianis pungens eſt, ſed contundens, & oſſa gravans, refrigerationemque percipiunt, qualem homines per gelu ſentire ſolent, idque propter humoris craſſitiem, qui cum impetu moveri non poteſt, cujuſque vapores craſſi ſunt & ſicci, unde quando membranas ferit, non pungit, ſed gravat. Ubi recedit frigus, vomitio erumpit amara & biliosa, quamvis *Galenus* negarit vomitum biliosum adeſſe in quartanis, obſervatus tamen is ſæpe fuit, unde abſurdum non eſſe crediderim, etiam à bile fieri poſſe quartanam. Augmentum difficile eſt & prolixum, quoniam humor frigidus, craſſus difficulter accenditur, & putreſcit. Sitis, vigiliæ, capitis dolor, ſymptomata reliqua mitiora quam in tertianâ. Nec in ſtatu multus calor eſt. Tandem declinat in principio cum pauco ſudore, ſed temporis progreſſu attenuato humore copioſiſſimi ſudores erumpunt. Paroxyſmus longus eſſe ſolet & quarto quoque die redire. Quod ſi humor ad atram bilem vergat, calor erit acrior, urina magis colorata, pulſus majores, frequentiores, aderuntque humoris aduſti & calidioris ſigna, ſoletque potius aliis febribus ſuccedere, quam primò incipere, quia humor aduſtione atræ bilis naturam ſubit; Habet præterea plurima ſigna cum bile flavâ communia. Adde quod poſtridiè acceſſionis æger etiam veſtigia quædam percipit caloris non naturalis, nam & laſſitudinem ſentit, & malè dormit, nec bene appetit, demum notha hæc brevior quidem, ſed moleſtior eſt quam exquiſita ob humoris feritatem, & malè curata, aut calidis irritata facile in duplicem, triplicemve, & quod peſſimum eſt, in continuam degenerat.

v. Prognoſin autem quod ſpectat. I. *Æſtivæ quartanæ breves, autumnales verò longæ, maximè quæ hyemem attingunt*, *2. aphoriſm. 25.* *Prognoſtica.* quod in univerſum de omnibus morbis intelligendum vult *Galenus* in comment. quia humores excrementitii æſtatis calore diffunduntur, & facilius difflantur, in quibus igitur vires validæ ſunt, evacuatis noxiis humoribus ægritudines ceſſant, quibus verò vires ſunt imbecilles, dum noxii ſucci evacuantur, unâ etiam ipſæ diſſolvuntur. Autumno autem & hyeme longi fiunt, quod eo cœli ſtatu nihil exudet è corpore, ſitque materia contumacior quam aliis anni temporibus. Contingit autem ſæpius apud nos quartanas Autumno, vel inclinante æſtate genitas ſolſtitio hyberno vel ſolvi, vel le-

viores fieri. Attamen ſæpe non niſi verno tempore ſolvuntur, quia veris temperies calida eſt humidaque, ſanguis calorque nativus abundant, quæ humori melancholico frigido ſiccoque contraria ſunt. II. Quartanæ omnes ſunt longiſſimæ, & ratione ſui ſalubres *primo Epidem. ſect. 3.* Longæ ſunt adeo, ut per annum, duoſve durent, interdum & decem, idque quia pendent ab humore terreſtri, qui facile nequit aut à natura, aut à medicamentis edomari, μέλαινα γὰρ χολὴ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων χυμῶν γλιχρότατον καὶ τὰς ἕδρας χρονιωτάτας πεποίηται. 2. de natura humanâ in fine, *nam tertianis*, inquit, *ſunt longiores quantò minus habent bilis illius quæ calorem præbet*, id eſt flavæ, quem locum male (* *Foeſius notatur.*) tranſtulit *Foeſius*, cum particulam τῆς omiſerit, nam dixerat omnes febres eſſe ex bile, in quartanâ pauciorem eſſe bilem quam in tertianâ, ita ut cum ab atrâ eam fieri dixerit, bilis ſit genus ad atram, & flavam, *ut in Phyſiologiâ noſtra diximus.* Salubres autem ſunt quartanæ, quia manifeſta habent intervalla, in quibus vires recreantur. Non tamen id intelligendum de omni quartanâ, nam & continua valdè periculoſa eſt, quia aſſiduè ægrum fatigat, tum intermittens quæ fit cum lienis, alteriuſve viſceris affectu periculoſa eſt, quia in hydropen degenerat. Dignoſcuntur autem à ſplene originem ducentes quartanæ ex colore, cruditatibus, & quod venter non facilè egerit, tum ſplenis in ſiniſtro latere intumeſcentiæ ſecundum *Aëtium.* Ex hepate verò ſi ſit, coloris ſunt albicantis, toto corpore tumidi, urinæ ſunt valdè rubræ ſandaracham referentes, dextri hypochondrii tumor infeſtat, difficulter magis quam ſplenici ſpiritum ducunt, ſubtuſſiunt, & demum labuntur in hydropen ex *Aëtio.* III. Quartana placidiſſima eſt, ab aliis magnis morbis liberat, epilepſiâ, lepra, vitiligine, *1. Epidem. ſect. 3. & 6. Epidem. ſect. 6. textu 9. Quartano à magno morbo liberat.* Ubi Galenus per magnum morbum intelligit epilepſiam, Alii tamen legunt *ab aliquo magno morbo*, ut ſenſus ſit, quartanâ detentos nullo magno morbo laborare, hancque eſſe vulgarem omnium fermè codicum lectionem teſtatur *Foeſius*, quam ſequutus Celſus Hippocratis interpres, ſcripſit quartanam per ſe neminem jugulare, ſed à magnis morbis liberare, quod tamen falſum eſſe oſtendit experientia, & ipſe Hippocrates *3. Epidem. ſect. 3.* quartanarios, refert, qui peſte laborarunt, & acuti febribus, ac mortui ſunt, & *in Coacis* febres quartanus in acutos morbos degenerare ſcripſit. At quod generaliter de morbis magnis in Epidemiis, aut ut vult Galenus de magno morbo ſci-

ſcilicet epilepſiâ dixerat, id *5. aphor. 70.* ad convulſiones refert; *Quartanâ laborantes convulſionibus non capiuntur, ſi vero prius capiantur, & quartana ſupervenerit liberantur.* Ratio eſt ait *Galenus in comment.* quia fit convulſio ab humoribus craſſis & pituitoſis, quorum curatio coctio eſt & excretio; Utrumque habet quartana, excretionem quidem ex rigore quo partes exagitantur, & humor expellitur, coctionem verò caloris febrilis curatione. At hæc ratio *Galeni* non ſufficit, nam in febre tertianâ & rigor adeſt, & calor quàm in quartanâ major, qui faciliùs tum concoquere humorem pituitoſum, tùm excernere poteſt. Et tamen id de tertianâ *Hippocrates* non protulit. Quod ſi ob calorem & rigorem febris quartana humores pituitoſos concoquere & excernere valet, unde fiunt tot in hâc febre obſtructiones, tumores, hydropes, qui morbi ab humore pituitoſo generantur. Demùm quartana ab humore fit melancholico ſecundum *Galenum*, quomodo poteſt rigor excernere humorem pituitoſum, cum ipſum melancholicum non excernat, nam qui humor rigorem concitat, is paroxyſmum facit, valdè longum, ſub cujus finem tantùm excernitur in ſudores. Dicere poſſumus ab eodem humore fieri poſſe convulſionem & quartanam, ſive is pituitoſus ſit, ſive melancholicus, ſive bilioſus, ſive convulſio propriè dicta intelligatur, ſive epilepſiâ, (ut quidam voluerunt per convulſionem hic intelligi Epilepſiam) unde febris quartana morbos hoſce curat, quia dum humor melancholicus ad hypochondriâ vergit neque ampliùs cum ſanguine miſcetur, morbi iſti ſolvuntur, aut ægri in eos non incidunt, quin etiam vomitu multi humores mali vacuantur. At iterum dices idem contingit in tertianâ. Sane rationem non video cur tertiana convulſionem æquè ac quartana ſolvere non poſſit, ſi enim convulſionem febris ardens etiam ſolvit, quidni tertiana? At in tertianâ fiunt ſæpe convulſiones in principio paroxyſmi. Reſpondeo intelligendum eſſe *Hippocratem*, de convulſione idiopathicâ quam humor pituitoſus parit, non de ſympathicâ quam vapor acris è præcordiis elatus ſuſcitat, priorem febris tertiana curat, non minus quam quartana, poſteriorem minimè. Hæc verò poſterior in quartanâ fieri non ſolet, quia ab humore fit ejuſdem quidem generis cum tertianâ, ſed minùs acri, minùs mobili, minuſque tenui. IV. Quartanæ ſecundum recentiores quoſdam ut *Augenium*, ſuccedere ſolet lapis renum; ſed id non eſt neceſſarium, nam & ſine quartanâ, & poſt alios morbos ſolet generari, nec ſemper in quartanâ fieri oſtendit

Galenus refellitur.

ex-

experientia. V. Quartana quamvis ſit ſalutaris, in ſenibus tamen ut plurimùm lethalis eſſe ſolet, quia corpora ipſorum debilia ab hâc febre valdè agitantur, quæ cum fiat ab humore rebelli & contumaci, ab ipſis concoqui non poteſt & excerni, ob caloris & virium defectum. VI. Febres quartanæ aliis ægritudinibus ſuccedunt, maximè febribus erraticis, idque citiùs inſtante Autumno, humor enim fervens æſtivo tempore per febres deſinit in atram bilem. Hujus mutationis ſigna tradit *Hippocrates* coaca 30. capitis 3. *Quæ in urinis ſunt nigræ nubeculæ, in erraticis febribus, quartanas denuntiant*, quia ſcilicet oriuntur ab humore nigro à quâ quartana dependet. At coaca 35. ejuſdem capitis. *Quæ in tertianis cum horrore nubeculæ nigræ ſunt, incertum horrorem denuntiant*, ἀκατάστατον. Ubi videtur *Hippocrates* nubeculam nigram quartanæ facere indicium in febribus erraticis, & in tertianis nothis febrium erraticarum. Semper autem in prognoſticis nubeculas nigras damnat, quod humorum incendium maximum, interdum etiam necroſin indicent. Hic verò videtur humoris bilioſi aſſatio ſignificari per nigras nubeculas. At quomodo febris quartana ſuccedet, quæ cum non ſit lethalis ab humore aduſto & atrabilario fieri non poteſt, aut quomodo ex febribus tertianis fient erraticæ, unde *Duretus* mendum eſſe ſuſpicatur, & pro ἀκαταστάτου, legendum δ᾽ἥκτου, nam ex febribus incertis, naſcuntur certæ. Sed malè meo judicio, nam nubeculæ nigræ periculum denuntiant, & propterea in tertianis apparentes ſunt malæ, febres autem ἀκατάστατοι. ut plurimum ſunt peſſimæ & τριζιοφυέις, in quibus fiunt etiam rigores incerti, unde etiam quidam diſtingunt inter ἀκαταστάτους & πλανώδεις, priores ſunt periculoſæ, continuæ, hæ poſteriores minus. Senſus igitur Hippocratis eſt nubeculas nigras indicare has febres continuas periculoſas, non erraticas. At non eſt perpetuò verum quod prius ſcripſerat quartanam denuntiari ſi nubecula nigra in erraticis apparuerit, ut certâ experientiâ in quibuſdam erraticis obſervavimus, quibus quartana etiam ſucceſſit. Quod ſi quartanam futuram denuntiat, cur ipsâ quartanâ præſente non adeſt ejuſmodi nubecula, nam multo magis adeſſe deberet. At non adeſt. Non igitur videtur eſſe hoc ſignum ullius neceſſitatis. VII. Quartanæ ut plurimùm ultra annum non exporriguntur. *6. Epidem. ſect. 6. t. 23.* quod eſt intelligendum modo non naſcatur ex affectu alicujus viſceris, tum quoque prava victus ratio quartanam producere poteſt ultra annum, intra cujus ſpatium ordinariè finiri ſolet, quia inquiunt quidam morbi

*Hippocrates notatur.

bi chronici sequuntur motum solis, ut breves lunæ, quod an verum sit alibi explicavimus. VIII. Hybernæ quartanæ præter omnium opinionem in morbos acutos transeunt *coaca 159.* quod rarò contingit, & quoties contingit, externarum causarum ope fit, ægri vitio, intemperantia victus, Medici ignorantiâ, aut latente interno corporis vitio, vel prohibitâ vacuatione per sudores, unde humor in venis putrescens quartanam continuam parit, valdè periculosam. IX. In febribus quartanis valdè rubentia & æruginosa dejici malum, quia ostendit humores aduri & torreri, malignitatemque acquirere, vitio ut plurimùm hepatis nimium calefacti. X. Solvuntur interdum quartanæ urinis crassis, nigris, interdum fluxu menstruorum & hæmorrhoidum: Sed quod de urinis nigris dicitur id rarum est, nam rarò in febre quartanâ apparent, nec minus frequenter in aliis quam in quartanis. XI. Quidam scribunt eundem hominem bis quartanâ non laborare, quod falsum esse demonstrat experientia, siquidem quosdam bis terve quartana tentatos vidi. *Argenterius* com. *ad aphorism. 25. lib. 2.* causam hujus repetit ex nostris principiis; Remanet enim quædam in nobis humorum corruptio, quæ necessariò expurgatur per papulas, acciditque ut qui plurimum habent melancholici, si non ritè expurgentur, iis superveniat quartana, quæ reliquias omnes abscindit, hinc nemo bis quartanâ laborat. *Hippocrates* referente *Aëtio* fuit ejusdem opinionis. Sed hæc præter rationem dicta sunt. Si enim nemo eâ de causâ bis afficitur quartanâ, pariter demonstrare licebit, neque bis tentari aut tertianâ, aut quotidianâ. Cum enim in principiis generationis nostræ plurimum quoque remaneat biliosi, si universum semel per tertianam expurgetur, nemo bis tentabitur tertianâ, quod est absurdum. Verum cum in nutritione & humorum generatione, multum semper generetur melancholici humoris, si ipsum putrescere contingat, quartana excitabitur, quâ semel sanatâ, ubi corpus denuo nutriri incipit, iterum generabit melancholiam, quæ rursum putrescere poterit, & novam morbi historiam aggredi, denuoque febrem generare. Falsum est igitur neminem bis quartana affici. *Mercurialis* plurimum se torquet in reddendâ problematis hujus ratione, cum tamen simpliciter sit negandum, aut dicendum foret aliquid esse in febre quartanâ divini, quod in aliis morbis non reperiatur. XII. In quartanis sanguinis è naribus profluvium malum, indicat enim vel sanguinem tenuem esse & serosum, ob debilitatem caloris, ut in lienosis contingit, aut

* *Argenterius refellitur.*

ſanguinis hoc profluvio vires debiles magis exhauriuntur. XIII. Quartanæ continuæ raræ ſunt, quia humor melancholicus naturæ adverſus & contrariis expellitur ab internis partibus, unde fiunt intermittentes, quod ſi continuæ contingant, ſolent eſſe valdè periculoſæ. XIV. Intermittens quartana curatu admodum difficilis eſt, quia fit ab humore craſſo, lento, tardo, quique remediis non cedit. Succedit viſcerum imbecillitas, unde fiunt cruditates, quæ morbo fomitem ſubminiſtrant. Quapropter curationi diligenter incumbendum, nam vulgò opprobrium Medicorum eſſe dicitur.

Curatio. Victus ratio.

VI. Victus ergò ratio inſtituatur contraria humori melancholico, qui frigidus ſiccus eſt, ideo calefaciendum eſt & humectandum. Aër ergo ſit calidus humidus, ſomnus longus, quia concoquit & humectat. Proſunt in intervallo leviora exercitia, imo ſolent ægri ad conſueta negotia redire, & à plurimis ſani habentur, ſed die paroxyſmi quies imperanda. Vitentur demum omnia quæ triſtitiam & mœrorem parere poſſunt, quin potius perpetuò gaudeant, quæ lætitia calorem auget, & recreat, quamquam interdum magno, ſed repentino timore quartanam ſolvi ſcripſerit *Rhazes*, ratio eſt, quia repentinus timor calorem auget in præcordiis, ob ſanguinis ad interna recurſum. Scribit *Livius* Quintum Fabium maximum, apud flumen Iſaram prælio commiſſo adverſus Allobrogum Regem febre quartanâ liberatum eſſe. Quod cibum & potum ſpectat, quatuor in eo conditiones Avicenna requirit, *prima* ut non ſit crudus & refrigerans,; quin potius cruditates reſolvat, quæ fovere ſolent humores craſſos quartanæ authores; *ſecunda* non incraſſet, ſed attenuet; *tertia* non adſtringat, ſed alvum potius fluidam ſervet; *quarta* ſanguinem procreet laudabilem. Talis erit victus calidus & humidus. Sed ſcribit *Galenus 1. ad Glaucon.* quartanis nocere refrigerantia & humectantia. *Trallianus* ideo Galenum damnat, quod humectantia prohibuerit, cum melancholicus humor ſit ſiccus, propterea humectari poſtulet, quod cum videret *Leonicenus* loco ὑγραινόντων correxit ξηραινόντων, quem ſequutus eſt *Andernacus Pauli Æginetæ* interpres. Sed hæc difficultas nullius pretii mihi eſſe videtur, nec antiqua *Galeni* lectio immutanda, cum eam ſervent *Oribaſius, Aëtius*, qui de febre quartanâ *Galeni* verba tranſcripſerunt. Quin etiam malè Leonicenus *Galenum* corrigere auſus eſt, quia ſiccantia ut piper & ſinapi etiam concedit. Dicendum igitur Galenum prohibuiſſe non quæ humectant ſimpliciter, ſed quæ ſimul refrigerant & humectant,

mectant, quia crudus est humor, multo copiosoque sero abundans, corpus quartanarii debile est, propterea refrigerantibus & humectantibus cruditas augeretur, quæ fomes est istius febris. satius igitur est victum esse calefacientem, attenuantem, incidentem, humectantem. Distinguendum tamen est an fiat ab humore melancholico naturali, an ab eo qui ad atræ bilis naturam vergit, nam in hoc conveniunt quæ refrigerant & humectant, quibus utendum præcipiunt *Avicenna*, & *Trallianus*. Cibi sint concoctu faciles, ut aviculæ quæ in campis & collibus, non in aquis & paludibus degunt, ova tremula, juscula alterata radicibus aperientibus petrosel. fœniculi, asparagi, buglossi, borrag. &c. Fugiant verò omnes cibos glutinosos & crassos, ut carnem suillam, bubulam, aprugnam, cervinam, leporinam, pisces cetaceos, fumo induratos, salitos, tum etiam palustres, sed minus nocent saxatiles, molli carne præditi, qui pipere, sinapi, nuce moscatâ condiri debent. Sed tamen salsamenta laudant *Galenus & Alexander*, quia humores crassos glutinosque extenuant. Sane quæ nostro tempore salsa servari solent, ut carnes bubulæ, suillæ, & haleces, &c. nec recentia, nec salsa conveniunt. Quod si per salsamenta intelligat *Galen.* carnes, piscesve molles recenter salitos, ut eorum visciditas corrigatur, convenire possunt quartanis, quamvis satius fuerit ab iis abstinere. Vitentur præterea omnium leguminum genera, præcipuè lentes. Sed ex herbis conveniunt lactuca, buglos. borrago, melissa, ex fructibus olivæ, cappares, pruna, pyra, poma cocta. Rapas laudant aliqui elixas cum prædictis carnibus. Sed nocent fructus crudi, melones, cucumeres, castaneæ, nuces, tubera, brassica, acetum, & cætera, quæ humorem melancholicum flatusque generare possunt. Præterea sunt quidam cibi potusque, quorum materia adeo adversatur humori melancholico, ut nunquam in illum transmutari posse dicantur, inter quæ numerant quidam aquam ex vino & lacte distillatam, oleum amygdalarum dulcium, cum croco & aceto sumptum, quorum altero potu testantur quartanam posse sanari. Potus sit vinum album tenue, mediocriter calefaciens, quod tenuitate suâ humorem crassum attenuat, calore mediocri corpus calefacit, coctionem juvat, urinas provocat. Crassum verò & calidum humiditatem resolvit, crassos humores cumulat, ægrè concoquitur. Abstineat à copiosiore aquæ, pomacei, ptisanæ alteriusve cujuslibet refrigerantis potus usu, si sit abstemius utatur mulsâ aquosâ, aut aquâ decoctâ cum aniso,

fœniculo, cinnamomo. In pastu abstineat à variis cibis unâ tantum aut altera cibi specie contentus, nam varietas ciborum est cruditatis parens, cruditas autem febrem hanc fovet & diuturniorem reddit. Secundâ mensâ sumat poma cocta, aniso, aut fœniculo conspersa, passulas & hujusmodi bellaria. Cæterum etsi acetum in omnibus externis splenicis medicamentis commodè addatur, *9. κατ. τόπ. 14. method. & 5. simpl.* quia lieni opitulatur, cui fermentatio non est molesta, in quartanariis tamen & melancholicis per os parcissimè dari debet, sicut & oxymel, & syrupi qui acetum recipiunt, quia fermentationem facit, melancholiam attollit, & multiplicat, *ex Hippocrate 3. acutor.* Sed semper observandum cibum non debere exhiberi in die paroxysmi, ne natura coctioni cibi intenta humorem morbificum relinquat. Sed dubium est de victu, an in principio tenuis esse debeat, an plenus. Tenuem præscribit *Avicennas*, ut humor morbificus concoquatur, cruditas tollatur. Contrà in morbis chronicis in principio victus competit plenior, quem commendant *Galenus, Oribasius, Aëtius, Valescus.* Respondet Guainerius si corpus sit plethoricum, victus sit initio tenuis, si verò non fuerit, victus sit crassior. Satius est tamen mediocrem servare viuendi rationem, quæ corpus nutriat, humorum coctionem copiâ suâ non impediat, sed potius qualitate juvet. Quidam contra putant excessu & copiosiore meracioris vini potu, sanari posse quartanam, quod verum esse confirmat experientia, asseritque *Aristoteles primo problematum 2.* ubi tamen notandum an materia sit cocta si enim cruda esset, mors subsequi posset. Causa est secundum *Amatum*, quia natura calore vini excitatur, & humorem jam coctum per vomitum, sudorem, alvum ejicit. *Aristoteles* vero loco citato, causam tantùm generaliter reddit, cur morbi curentur, ubi quis abundè excessit. An quia causæ morborum & remedia inter se contraria sunt, hinc fit ut per unius excessum, alterum reduci possit ad mediocritatem : Sic per aquæ frigidæ potum largum synochus & ardens curari potest, quid mirum si quartana vini tenuioris maximâ copiâ curetur, cum inde augeatur calor nativus, humores crassi attenuentur, corpus humectetur, quod tamen remedium noxium esse crediderim, ubi melancholia paulò calidior est & adusta. Consilio Medici cujusdã vir mihi maximè notus, paulò largius præter morem se invitavit, mirum quam malè inde se habuerit, in quantam sitim devenerit, noctem insomnẽ duxit, & multò postea pejus se habuit, ut non sit huic remedio fidendum. Et hæc de victus ratione. *Historia.*

VII. Cu-

VII. Curationem autem quod ſpectat: cum quartanâ clementer agendum, neque catharticis fortiorique medicamento natura irritanda, ne ex ſimplici duplex, triplexve, aut etiam continua evadat ex *Aëtio, Paulo, & Galeno j. ad Glaucon. cap. xj.* ſed gradatim à debilioribus ad fortiora aſcendendum, nec nimis calidis, nec nimis frigidis, nec nimium ſiccis utendum. Ante omnia cauſæ habenda ratio eſt, quæ concoqui primùm dein evacuari poſtulat. Dein viſcerum habenda ratio eſt, hepatis ſcilicet, & lienis. Blandis ergo in principio medicamentis utemur. Alvus enim ex Galeni conſilio ſemper mollis eſto. Ad quod opportuni ſunt clyſteres primùm molles, dein in morbi progreſſu acriores. ℞ *malvæ, biſmalvæ, mercurial. betæ, bugloſſi ana* M. j. *paſſular. ficuum ana Paria quatuor. pruna* N. x. *ſem. aniſi, fœnic. frigid. major. ſem. apii, petroſ. ana* ℈ j. *medullæ ſemin. carthami, polypod. ana* ℥ j. *flor. chamæm. meliloti, ſambuci, tamariſci ana* P. j. *f. decoctio ad* ℔ j. *in colat. diſſolve catholic. ſacchari ana* ℥ j. *mellis roſati* ℥ ij. *olei chamæm. & violacei ana* ℥ j ß. M. *f. clyſter.* Aut propinentur levia cathartica ex mannâ, caſſiâ, ſennâ, electuario lenitivo, & ſimilibus. Poſt excrementorum communium eductionem, vena ſecari poteſt, ex *primò ad Glaucon. Paulo*, & *Aëtio.* *Venæ ſectio.* Jubet *Galenus* inſpiciendam eſſe ſanguinis qualitatem, nam ſi tenuis flavuſque fuerit ſtatim ſupprimendus, ſi verò craſſus & niger audaciùs mittendus pro ægrotantis naturâ & viribus. Sed raró mittitur ſanguis à principio, magis verò circa medium tempus augmenti, quando omnia conſentiunt, ex importunâ enim venæſectione inquit *Avicennas*, partes debilitantur, melancholia redditur ferocior, vacuato ſanguine qui ipſi utraque qualitate adverſatur. Unde potius frænum melancholiæ quam bilis dici debet. Mirum eſt Galenum ſecundum recentiores in tertianâ prohibere venæſectionem, & eam concedere in quartanâ, cum in utraque humor putreſcat extra venas. Sed reverâ *Galenus* in utraque febre ſanguinis miſſionem conceſſit, & ſæpius obſervatum etiam venarum ſanguinem alteratum fuiſſe & infectum à calore præternaturali quartanæ. Secunda autem eſt ex *Aëtio*, vena interna aut mediana dextri brachii, ſi affectum ſit hepar, aut ſiniſtri ſi lien afficiatur. Non enim ſemper ex lienis vitio dependent quartanæ, ſed interdum earum fomes in hepate eſt. Et quamvis ſemper ex liene dependerent, nullam rationem video cur potius in ſiniſtro quam in dextro vena ſecari debeat, cum utriuſque brachii venæ ab hepate oriantur. Sed tamen refert

ſert *Valeſcus* multos ſectione ſalvatelæ manus ſiniſtræ in horâ acceſſionis fuiſſe ſervatos, quod fieri poſſe credo, cum ſalvatela à venis brachii oriatur, ſed ſanguinem mittere in acceſſione eſt contra regulas artis, & malum. * Quod ſi hujus venæſectio curavit quoſdam, veriſimile eſt eodem potuiſſe ſanari eadem venâ in brachio ſecta. Quod ſi hæmorrhoidibus olim æger laboravit, eæque ſuppreſſæ ſint poterunt provocari, ſicut & menſtrua in mulieribus.

VIII. Poſt venæſectionem præparandus humor eſt & purgandus, & quia morbus longus eſt qui remediis non cedit, iterandæ ſunt præparationes purgationeſque, atque interea quieſcendum per aliquot dies à primâ purgatione, victus optimâ ratione interim ſervatâ, alvumque lubricam ſervando, clyſtere præſcripto, aut alio ejuſdem naturæ.

Melancholiam præparantia.

Melancholia igitur quæ fæx eſt ſanguinis craſſa, ſicca, terreſtris, obſtructiones rebelles & indomitas parit, quare ad præparationem eget, calefacientibus, humectantibus, attenuantibus, meatus aperientibus, quod præſtabunt ſequentia, in quorum cenſu ſi quædam ſicciora videntur, humectantium admiſtione temperanda. Atram autem bilem quæ præparent dictum eſt capite de tertianâ nothâ. Eadem enim atræ bili qua humoribus æruginoſis conveniunt. Ex prædictis igitur, ut alibi diximus, fiant præparantia in formâ julepi, Apozematis & ſyrupi. ℞ *ſyrupi de ſcolopendrio, capilli veneris de bugloſſo ana* ℥ j. *aquarum fumar. fœnic. endiviæ ana* ℥ ij. *fiat julep.* Vel ℞ *oxymelit. ſimpl. bizant. de fumariâ ana* ℥ j. *aquarum borrag. bugloßi, lupulorum ana* ℥ iij. *cremoris tartari* ʒ j. M. *f. julep.* Si ad atram bilem vergat. ℞ *florum violar. borrag. bugloſ. florum pomorum redolent. ana* M. ij. *meliſſæ* M. j. *macerentur horis xij. in* ℔ ij. *aquæ tepidæ, ſuper cineres calidos, in expreſſ. diſſolve ſacchari* ℔ ß. *f. julep.* Vel ℞ *aquar. violar, bugloſ. borrag. ana* ℥ iiij. *ſucci pomor. redolent. ſacchari albi ana* ℥ v. M. *f. julep.* Demum eadem quæ bili conveniunt. Apozemata autem ad melancholiam quæ eſt fæx ſanguinis ſic fiant. ℞ *radicum bugloſ. ruſci, aſparagi, cichorii, ſatyrion. fœnic. apii, petroſ. enulæ, glycirhiſæ ana* ℥ ß. *corticis citri ſicci* ʒ iij. *corticis cappar. tamariſci ana* ʒ vj. *paſſul.* ℥ j. *herbar. capillar. meliſſæ, cichorii, chamæd. chamæp. lupuli, fumar. borrag. bugloſ. cardui bened. thymi, beton. mercur. ana* M. ß. *prunor. dulcium* N. x. *capparum* ℥ j. *quatuor ſeminum frigid.*

frigid. majorum ana ʒ ß. *sem. petrosel. endiviæ, acetosæ, ana* ʒ j. *cicerum rubror.* P. j. *tartari vini albi* ʒ j. *florum genistæ, hypericon. violar. borrag. sambuci, anthos ana* P. j. *f. decoctio ad* ℔ j ß. *In Colat. dissolve syrupi de pomis simplicis* ℥ ij. *syr. bizantini, capilli veneris ana* ℥ j. *sacchari* ℔ ß. *aceti caryophillati* ℥ j. M. *fiat Apozema clarificatum, & aromatisatum* ʒ j. *cinnamomi in plures doses.* Crato decoctum raporum valde extollit, dicitque proprietate quadam melancholiæ aduersari, sicut prodest tartarum vitriolatum *Crollii*, crystallum cremorque tartari. Commendant alii radices juglandis cum aliis coctas. Sed his præparantibus utendum est diutius, ut per dies duodecim, quindecim, pluresve.

IX. Post præparationem purgandus humor est. Sed *Galenus*, & cum eo recentiores fortioribus non utuntur, sed tantùm benignis, humor enim rebellis non cedit carthartico, sed exasperatur. Sic Plato in Timæo, morbos melancholicos leniter tractandos docet, sive sint interni, sive externi, sicut cancri fortioribus remediis curati deteriores evadunt. Attamen quartana levi medicamento non cedit scribit *Hippocrates aphorismo nono libri quarti* melancholicos plenius per inferiora esse purgandos. *Per inferiora* quidem quia humor gravis est qui deorsum vergit, ideo quo natura vergit ducendum, quamvis *Avicenna*, *Galenus*, *Paulus* vomitum imperent in quartanâ, sed non respexerunt ipsam causam morbi conjunctam, sed antecedentem, ex qua multa fæx in sanguine pullulat, quæ quartanam fovet; etsi ut experientia docet vomitu sæpe cessavit quartana, vacuato non tantùm humore crudo & pituitoso, sed etiam bilioso. *Plenius verò*, quia humor gravis, contumax, vehementi impulsore eget, aliàs turbatio fit in corpore & agitatio, potius quam vacuatio scribit *Hippoc. lib. de aëre, aquis, & locis*, eos qui utuntur aquis stagnantibus validis medicamentis debere purgari, sunt autem ii ut plurimum melancholici & lienosi. Quod si *Galenus & alii* vetant usum validiorum, intelligendi sunt tantùm in principio, ante coctionem & præparationem humorum, ante quam si cathartica exhibeantur, sæva inducuntur symptomata, humores terrestres non cedunt medicamento trahenti, quod si semel fuerint præparati & edomiti, tunc valido medicamento eradicantur. Id docent Galenus & Paulus. *Galenus enim primo ad Glaucon.* elleborum album exhibet, tum cum radiculis tum per se, *sed si vomere nequeant, vehementius* inquit *per inferiora purgentur.* Paulus vero post concoctionis notas exhibet melanagoga, non semel, sed etiam sæpius, & *post validam*, inquit,

Purgatio.

quit, *purgationem, medicamentum ex viperis exhibeto.* Ubi purgantia non levia, ſed fortia imperant. Gordonius cap. de quartanâ optime rem hanc explicavit, validum medicamentum tale eſt ratione quantitatis ſuæ, vel qualitatis, in principio non competit forte medicamentum, ratione quantitatis & qualitatis, reſolveretur enim tenuius craſſiori remanente. Sed ſi debile ſit in qualitate, detur in majori quantitate, & contrà ſi validum ſit detur in minori doſi. Et ſanè repetitæ purgationes per Apozemata noſtra in plures doſes inſtituta valde utiles ſunt humore præparato. *Averrhoes* prohibet helleborum nigrum 7. *Collig.* 14. & plurimi Medici ab eo tanquam à veneno abhorrent; Attamen *Meſue* ſcribit helleborum nigrum clementer utramque pituitam & bilem purgare, quod experientia quotidiana oſtendit eſſe verum, eoque utendum cum ſeminibus aniſi, citri, ſpicâ, floribus nympheæ. *Aëtius* helleborum præſcribit, quod citra moleſtiam evacuet, ſicut & vinum dulce in vacuum colocyntidis calicem infuſum, Addit *apium, aniſum, dauci ſemen* ad jucunditatem. Non eſt igitur adeo à validis medicamentis abhorrendum in hoc morbo. ℞ *decocti epithymi Meſue* ℥ iij. *rhabarb. in aqua borrag. infuſi & expreſſi* ʒ ij. *ſyrupi roſar. ſolut. vel de pomis compoſiti* ℥ j. *f. potio.* ℞ *confect. hamech* ʒ iij. *elect. indi* ʒ ij. *pulveris mechoacan* ʒ ß. *cremoris tartari* ℈ j. *f. bolus.* ℞ *folior. borrag. bugloſſi, violar. ceterach, ſummit. thymi ana* P. j. *paſſul.* ℥ ß. *folior. ſennæ, epithymi, ſeminis carthami ana* ℥ ß. *tamarind.* ℥ ß. *prunor. dulcium Par.* iij. *myrobalan. indar.* ʒ j ß. *ſeminis aniſi* ʒ j. *ſeminis citri* ʒ ß. *florum cordial. calend. ana* P. ß. *f. decoctio pro doſi. In quâ diſſolve ſyr. de pomis ſolutivi* ℥ j. M. *f. potio.* Vel ℞ *decocti præſcripti Apozematis præparantis* ℔ ij. *Incoque myrobalanor. omnium ana* ʒ ij. *epithymi* ℥ j. *ſennæ* ℥ ij. *helleb. nigri* ℥ ß. *jalap.* ʒ j. *mechoacan* ʒ j. *hermodact. turbith ana* ʒ ij. *ſeminis carthami contuſi* ℥ ß. *agarici* ʒ ij. *florum nymphea* P. j. *ſantali citrini* ʒ ß. *zinzib. ſpicæ ana grana* v. *Infundantur omnia ſimul ſecundum artem & parum ebulliant. Colaturæ adde ſacchari* ℔ j ß. *mannæ* ℥ ij. *rhabarb. in aqua endiviæ infuſi & expreſſi* ʒ ij. *f. ſyrupus, cujus doſis ſit ad* ℥ iij. *blande evacuat, & ſine torminibus.* Pilulis quoque uti poſſumus, ſed quia humor ſiccus eſt, quidam ſatius eſſe putant potionibus uti, quamvis quoque pilulæ non ſint adeo repudiandæ. Sequentes utiles eſſe poſſunt. ℞ *aloes* ℥ ij. *ammoniaci aceto diſſoluti, myrrhæ ana* ʒ j ß. *maſtiches, gentianæ ana* ʒ ß. *rhab. electi, extracti hellebori nig. ana* ʒ j. *trochiſcor. de capparib.* ʒ ß. *extracti croci* g̃. iij. *ſalis abſynthii & fraxini ana* ℈ ß. *cum ſyr. roſar. ſoluti-*

ro f. massa, cujus dosis sit ad ℈ ij. *vel* ʒ j. Electuaria quoque fieri possunt. ℞ *syrupi præscripti q. s. adde catholiconis, confect. hamech ana* ℥ j. *pulpæ cassiæ* ℥ ij. *folior. sennæ* ℥ j ß. *epithymi* ʒ iij. *elect. de citro soluti- vi* ℥ ß. *seminis anisi* ℈ j. *olei piperis, succini ana guttas* iij. *pulpæ passu- lar.* ℥ j. *f. elect. cujus dosis sit ad* ʒ vj. *vel in formâ boli, vel cum sero ca- prino dissolutum.* Addi possunt agaricus, turbith, extractum hellebori nigri.

x. Nec tantùm per alvum vacuare convenit, sed etiam per vomitum, ut jubent & suadent *Galenus* j. *ad Glaucon. cap.* xj. *Paulus, Aëtius, Alexander. Avicennas,* maximè si æger ad vomitum sit pronus, secus per inferiora purgandum. Quamvis enim humor melancholicus videatur potius per inferiora quam superiora debere expurgari, ex 4 *aphorism.* IX. quia crassus est & terrestris, tamen quia quartanarii ob coctricis debilitatem, & morbi longitudinem plurimos coacervant in ventriculo crudos humores, qui vomitu debent expurgari, sic fomes subtrahitur quartanæ, quin etiam humor melancholicus aliene sæpe regurgitat in stomachum, unde commodè potest evacuari. *Saxonia* singulis fermè paroxysmis vomitum movet, summo cum fructu, & ostendit experientia nihil hoc remedio utilius esse. Utebatur autem *Galenus* hellebro albo primum cum raphano, dein solo. At recentiores blandis suis vomitoriis utuntur, ut oxymel. cum decocto raphani, attriplicis, anethi & similium ℞ *seminis erucæ, attripl. raphani, ana* ℥ ß. *azari* ʒ j. *florum genistæ anet. anthos ana* P. j. *f. decoctio, in cujus* ℥ vj. *dissolve oxymel.* ℥ ij. *bibat tepidum.* Quidam in quartanis commendat succum verbenæ igne depuratum, ad ℥ ij. melior erit si succus mense Majo educatur. Operatur eâdem violentiâ quâ Antimonium, sed aqua benedicta, seu infusio croci metallorum propinari potest, quamvis potius biliosos quam melancholicos humores evacuet. Nec inutile erit vitriolum Crolli vomitivum administrare. Multò fœlicior, minusque molesta ex illis succedit evacuatio. quam ex vegetalibus, quæ si magis arrideant diasaron *Fernelii* usurpetur. Novi quasdam qui infusione foliorum siccorum tabaci commodè susque deque purgantur, sed est remedium supra modum violentum, & formidabile. Quod si valdè robusti sunt patientes Helleborismus Heurnii poterit in usum vocari, estque extractum Hellebori albi per decoctionem paratum, quam præparationem *Heurnius* sibi malè attribuit, cum sit *Aëtii*, & forsan aliorum ante *Aëtium*, ut ut sit aut nunquam, aut saltem rarissimè in

Vomitus.

*

*

Oo usum

usum veniat. Jubet autem *Galenus* vomitum cieri à cibo. *Avicennas* verò & ante cibum, & post cibum, & omni *horâ*. *Trallianus Galenum* reprehendit, quod vomitum præscribat à cibo, quum meliùs provocetur in principio paroxysmi ante cibum. *Altimarus*, utrumque authorem conciliare nititur, dicendo vomitum à cibo futuram accessionem prohibere, quia materiam ejus minuit; Si verò fiat ante cibum crassos humores accessionem facientes evacuat. At hoc nihil est, hinc enim sequitur & à cibo, & ante cibum utilem esse vomitum, nec determinat *Altimarus*, utrius consilium sit sequendum. Deinde supponit vomitu evacuari causam febrilem, qnod etsi verum esse credam, repugnat tamen tum veteribus, tum recentioribus, qui à solâ melancholiâ febrem quartanam fieri volunt, ajunt enim vomitum præscribi non ad melancholiam vacuandam, quæ potiùs per inferiora purgatur, sed ad cruditatem stomachi exhauriendam, quæ fomes est quartanæ, cui sententiæ ipse *Altimarus* consentit, cum tamen ut alibi diximus non sit semper vera, nam ut docent *Aëtius & Trallianus*, assiduo vomitu plurimi perfectè curati sunt, quod ostendit etiam causam conjunctam febris fuisse evacuatam. *Mercurialis* quoque *Altimarum* reprehendit, quia vomitus à cibo ventriculum tantùm, humoresque in illo contentos evacuat, non autem quæ sunt in venis, nisi maximo naturæ conatu. Igitur satius erit *Avicennæ* consilium sequi, qui vomitum præscribit à cibo, & ante cibum; A cibo quidem facilius vomit æger, sed minori cum fructu, si vero sit ad vomitum propensus, satius erit ante cibum, sic attrahit meliùs ex venis, quoniam emetici vis cibi permistione non hebescit, ut *capite de tertianâ nothâ* diximus. Optimum igitur est non semel, sed & sæpius vomitoriis uti, & die intervalli si præbeatur, facilius à cibo vomitur, minorique cum molestiâ. Sed die paroxysmi quoniam humor facilè movetur,& cibum dare noxium est, satius erit jejuno dare, secundum *Alexandri* consilium, unde male faciunt Angli, qui potum quamplurimum hauriunt, quando vomitoriis utuntur, in ipso paroxysmo, quod est valdè nocivum, ut experientiâ ostendit sæpius inde paroxysmos fieri graviores, & longiores, stomachumque debilitari.

An in die paroxysmi purgandum.

XI. Cum itaque viderimus quartanarios tum per alvum, tum per vomitum debere expurgari, id expendendum nobis est, an in die paroxysmi id fieri debeat, quæ quæstio est maximè utilis & necessaria ad medendum. Vomitum quidem in die paroxysmi & ante paroxysmum

ſmum commendant *Avicennas*, *Alexander*, omnes denique recentiores, quia tunc humores moventur. Nam cum atra bilis humor ſit omnium maximè purgationi rebellis, minùs trahenti medicamento repugnabit, circa acceſſionis initia, quoniam in paroxyſmo humor agitatur, commotus autem facilius expurgatur, & ut dicit *Alexander* humores tunc ad ſtomachum confluunt, illum rodunt, nauſeamque excitant. Purgationem autem in ipſo Paroxyſmo quidam præſcribunt, alii die paroxyſmi ut *Amatus Luſitanus*, *Arculanus*, *Gentilis* ex opinione Mauri cujuſdam Medici. Alii contra id negant, quamvis de vomitu concedere omnes videantur. Quapropter majus dubium eſt, de evacuatione per alvum. *Avicennas fen. primâ 4. cap. 7. Non moveas*, inquit, *in die paroxyſmi quantum poſſibile eſt, nec cures febrem.* Quibus addi poteſt ratio. *Primò* non debemus ſimul jungere duos motus violentos, ne natura nimis agitetur, & debilitetur, & à pharmaco, & à paroxyſmo. *Secundò* vel evacuatur cauſa antecedens, vel conjuncta. Non conjuncta, quia hæc movetur à centro ad circumferentiam, medicamentum vero à circumferentiâ ad centrum. Nam quos humores natura pellit in habitum corporis, eos medicamentum retrahit in alvum, ſicque motus fit naturali contrarius. Nec etiam purgatur cauſa antecedens, cum hæc nondum peccet, nec debeat evacuari, imo ex ejus evacuatione natura nimis agitatur, dies igitur quietis expectanda eſt. *Tertiò* venam ſecare non licet die paroxyſmi, multò minus purgare, nam purgatio majus faceſſit naturæ negotium: Et quidem venam non eſſe tunc ſecandam, docet *Galenus, de ſang. miſſione 21.* Sed febris declinationem expectandam. His verò rationibus reſpondent contrariæ ſententiæ authores, naturam nimis non agitari, nam vacuato humore noxio paroxyſmus leviùs fatigat, ſi enim vomitorium, quod naturam magis fatigat, conceditur, quidni catharticum leve & benignum, nam eadem ratione emeticum eſſet repudiandum. Evacuari autem dicunt portionem cauſæ conjunctæ vel antecedentis, nec fieri motum contrarium naturæ, cum in acceſſionis principio humores ad centrum ferantur, non ad circumferentiam, atque eandem eſſe rationem de vomitorio, quod tamen ab omnibus conceditur. Demum venæſectionis aliam eſſe rationem, ſiquidem phlebotomia plus ſpirituum exhaurit, materiam proximam paroxyſmi non ſubtrahit, cum ſit extra venas, quod tamen medicamentum facit.

Ratio prima partis negativa.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

Solutio prædictarum rationum.

Affirmans pars. *Prima ratio.* XII. Alii igitur his omninò contrarii in ipſo Paroxyſmo catharſin imperant per inferiora, variiſque utuntur rationibus. *Primò*, *Avicennas* loco citato, *Cave*, inquit, ne paroxyſmus contingat ventre pleno, providendumque vult ut ventrem habeat vacuum. Ergò licebit ſaltem *Secunda.* clyſtere, aut leviori medicamento uti. *Secundò* quando humor melius movetur, tunc facienda evacuatio eſt. Sed in paroxyſmo materia *Tertia.* melius movetur, ergo tunc quoque facilius evacuabitur. *Tertiò Avicennas, Alexander*, omneſque fermè recentiores conſentiunt vomitum utilem eſſe inſtante paroxyſmo: Ergò multo utilior erit purgatio, quæ *Quarta.* ſecurior eſt, minuſque agitat quàm vomitus. *Quarto*, natura vacuat in acceſſione Ergò & Medicus qui eſt naturæ imitator. Scribit enim *Galenus 3. de criſib. cap. 4.* criſin concurrere cum die acceſſionis, idque ſecus factum ſemel tantùm ſe vidiſſe refert. *Et 1. Epidem. ſect. 3. textu 13.* Qui diebus paribus accidunt, paribus judicantur, qui verò imparibus exacerbantur, imparibus judicantur. *Galenus* in comment. cauſam reddit cur in acceſſionibus contingant criſes, quia tunc humores mouentur, & veluti ebulliunt, natura gravata & oppreſſa irritatur ad ejuſmodi expulſiones, tum demum agitatis humoribus facilior fit illorum evacuatio. Cum ergo pateat naturam vacuare in ipsâ ac- *Quinta.* ceſſione cur Medicus idem non faciet? *Quintò Gentilis* affert authoritatem Mauri cujuſdam Medici, qui vacuare præcipit, horâ motus humorum: At cùm potiſſimum moveantur in acceſſione, in eâ erit *Sexta.* purgandum, *Sextò* Hippocrates *lib. de humor.* ſolutiva præſcribit diebus paribus, ſi acceſſiones diebus paribus contingant, ut in quartanâ fiunt acceſſiones diebus paribus. Si verò diebus imparibus fiant paroxyſmi per ſuperiora vacuandum jubet, quia bilis imparibus diebus *Septima.* movetur. Ergò in quartanâ die paroxyſmi purgandum. *Septimò* Avicennas ad ſedandum rigorem utitur agarico, diaphœnico, pilulis fœ- *Octava.* tidis, diacitonio quæ validè purgant. *Octavò* Hippocrates *libro de affectionibus* ſcribit. *Si quartana apprehenderit, ſiquidem impurgatus eſſe videbitur, primum caput. purgato, & interpoſitis tribus, aut quatuor diebus medicamentum ſurſum purgans dato in ipsâ acceſſione, & interpoſitis diebus aliud deorſum, purgans dato in ipsâ acceſſione.* Ubi præcipit Hippocrates purgationem in ipſo paroxyſmo.

Reſolutio prioris difficultatis. XIII. Videndum igitur nobis, quid in hac re ſit ſentiendum. Sanè in ipſo paroxyſmo purgare minime tutum videtur, ut rationes ſuperioris ſententiæ probarunt, nec ullus opinor eſt, qui id facere unquam auſus

ausus fuerit, addere scilicet afflictionem afflicto, natura enim satis turbatur ab humore morbifico. Sed si purgationem præscribamus non instante paroxysmo, verum quinque vel sex horis ante accessionem, ita ut omnino completa sit vacuatio ante aduentum paroxysmi, id maximè fuerit ægris utile, sic enim materia accessionem factura imminuitur, natura oneris parte levatur, præcipuè si catharsis instituatur ex medicamentis benignis quæ naturam minimè exagitant. Nec metuendus est motus pharmaci contrarius motui humoris quia duo hi motus diversi simul non concurrunt, purgatio enim finiri debet ante accessionis invasionem. Idque vult *Gentilis*, *quæstione* xj. *in primam Fen. lib. 4. tract. 2. cap. 7.* Idem senserunt *Arculanus, Amatus Lusitanus curat. 8. centur. primæ.* Probat quoque purgationem & vomitum die paroxysmi judiciosus *Riolanus* adversus Turquetum in historiâ Simonis le Tourneur. Sed *Fernelius* doctissimè id universum explicat *cap. 12. libri 3. methodi. Tranquillo die tutior purgatio, expeditior perturbato. Quum enim morbus minus fatigat, & collectæ vires melius constant, facilius medicamenti vis & impetus tolerari potest, at quo die morbus exasperatur, agitataque ejus materia in motu est, promptius detrahitur.* Et paulò post, *In febrium intermittentium quiete, medicamentum tanto ante accessionem tempore offerendum, quo possit purgatio compleri; Per accessionem quippe materia non in alvum, sed sæpe in diversum ruit, & plerumque accessionis vehementiâ purgatio subsistit, præstat tamen ante accessionem, quam mox ab eâ, & pridie quartanæ, quam postridie medicamento uti.* Hæc Fernelius, quibus nostram sententiam confirmat, quod in intermittentibus tantùm convenit, & præcipuè quartanis aut tertianis nothis, in exquisitis vero aut continuis non licet, quia perpetuò morbus ægrum fatigat, viresque ejus deterit, ita ut non possit motum medicamenti, & exacerbationis morbi simul perferre. Id innuit *Hippocrates* 4. *de morb.* ubi veteres Medicos reprehendit, quod diebus imparibus purgarent, quia illis diebus humor movetur, non mirum igitur si corpori à motu humoris perturbato, accedens novus è pharmaco labor, ægrum in certam perniciem præcipitet, quod quidem præcipuè in ardentibus verum, & reliquis continuis, sed in intermittentibus non semper locum habet ratio *Hippocratis.* quia medicamenta habemus, quæ non adeo naturam exagitant, sed benignè purgant, quibus carebat *Hippocrates*, qui helleboro similibusque validis purgabat, quæ quidem si darentur tempore paroxysmi, non dubium quin magnâ illâ agitatione natura tanto

oneri ferendo impar ſuccumberet, ſed noſtra paulò mitiora die paroxyſmi innoxiè dari poſſunt, modo univerſa ipſorum operatio ante adventum paroxyſmi completa ſit. Hinc patet malè à quibuſdam purgationem in ipſo paroxyſmo præſcribi. Propterea ipſorum rationibus reſpondendum. *Ad primam* igitur Reſpondeo, locum Avicennæ eſſe intelligendum de cibo, ut ſcilicet ità inſtituatur victus ratio, ut paroxyſmus non niſi plenè concocto cibo contingat, aut ſi intelligendum id ſit de purgatione, ſequetur tantùm purgandum eſſe ante adventum ipſius paroxyſmi, ita ut eo accidente ſit venter vacuus, & ab excrementis repurgatus, quod nos etiam concedimus. *Ad ſecundam* Reſpondeo, & *ad tertiam*, quamvis humor moveatur in paroxyſmo, non eſt tamen catharticis expurgandus, tum quia motu ſuo lædit naturam, & propterea metuendum ne afflictio detur afflicto, tum quia motus naturæ contrarius eſt motui Pharmaci. Nec eadem eſt ratio emetici, & cathartici. Emetici enim operatio citò perficitur, intra unam horam vel alteram, unde præſcribi commode poteſt in ipsâ acceſſione, ſed catharticum non niſi poſt horas plures perfecit opus ſuum, interdumque totum diem perdurat, unde ſi in ipſo tantùm paroxyſmo præbeatur, antequam incipiat operari, tranſit acceſſionis principium, quo humores moventur ad centrum, & quando ſuccedente augmento Natura humores ad circumferentiam pellit, eoſdem in alvum retrahit medicamentum, unde ſimul adſunt duo motus contrarii, duplexque accedit ægrotanti labor, & à pharmaco, & à paroxyſmo. Quod ſi medicamentum intra horam unam aut alteram operationem ſuam abſolveret, ſicut vomitorium, poſſet forſan utiliter in ipſo paroxyſmo præſcribi, ſicut Antimonium, quod non tantùm per ſuperiora, ſed per alvum evacuat, utiliter tunc propinatur. Præterea vomitus ea levioribus tantùm præſcribitur, faciliorque eſt ob communionem ſplenis cum ventriculo, quibus in locis humor in ἐπισημασίᾳ agitari incipit, tuncque vomitus facilè ſuccedit. Deinde vomitus ſæpe non cauſam febris conjunctam, ſed tantùm humores quoſdam in ventriculo corruptos evacuat, qui corruptione ſuâ calorem febrilem augent, fomentumque morbo ſuppeditant. At catharticum non tantùm humores ventriculo contentos, ſed & reliquos exagitat, naturæque motum interturbat. Demùm tutius eſt vomitum ipſum non ipsâ acceſſione, ſed horâ unâ aut alterâ ante ipſam præſcribere, quod ſi verum eſt de vomitorio, multo verius erit de cathartico, ob rationes prædi-

Solutiones rationum contrariarum. *Solutio prima.* *Solutio ſecunda, & tertia.*

prædictas. *Ad quartam* Respondeo, concedendo naturam evacuare criticè & salutariter tempore paroxysmi, sed negamus consequentiam, Natura enim evacuat utendo spiritu & virtute partium. Medicus verò vacuat, utendo medicamentis, quæ naturam fatigant & debilitant, quia purgantia qualitatem habent naturæ inimicam, propterea non est par ratio purgationis criticæ à naturâ factę, & artificialis quę fit à medicamento. Instabit quispiam, quoniam *Avicenna* capite citato, *si natura non movet move tu horâ motus ejus.* Sed hora motus est paroxysmus. Ergo Medicus in paroxysmo debet vacuare. Resp. *Gentilis*, tempus motus naturæ esse duplex, primum generale post coctionem perfectam, & particulare scilicet principium paroxysmi & diem criticam. Non vult autem *Avicennas* purgationem fieri aut instante paroxysmo, aut in die criticâ, quam sæpe prohibuit, sed si natura coctione absolutâ non evacuet, tunc jubet nos vacuationem moliri, sic hora motus intelligitur de generali tempore, ubi scilicet coctio est perfecta, non de particulari. Vel dicamus posse purgationem institui die paroxysmi, ut diximus, etsi non in ipsâ accessione. Ad *quintam*. Respondeo sententiam illius Mauri Medici quam affert *Gentilis* nullius esse apud nos authoritatis, qui vix Galeni ipsius authoritate movemur. Præterea intelligi potest de tempore motus humorum, qui motus fit secundum quatuor diei partes, non autem de motu qui fit in paroxysmo, qui est motus præter naturam. Ad *sextam & Octavam* Respondeo hinc tantum probari ex sententiâ *Hippocratis* posse catharticum die paroxysmi propinari, modo ipsius actio ante paroxysmum compleatur. Ad *septimam* Respondeo Avicennam præscribere agaricum cum opio & paucâ quantitate, non tanquam solutivum, ut diximus *cap. de rigore*; Cætera autem purgantia quod attinet ut diaphœnicum, ait *Gentilis* præscribi ea ab *Avicennâ*, ante paroxysmum, quod rationi convenit, aut in ipso paroxysmo, quando magnum imminet periculum viribus, nullaque alia ratio est quâ æger ab imminenti bericulo liberari possit. Sed quicquid dicat *Gentilis* periculosius est morbo remedium, cumque alia ad rigorem curandum tutiora suppetant, posthabitâ *Avicennæ* authoritate à purgantibus in accessione abstinebimus. Sed ante accessionem prædictis purgare possumus, tum emeticis, tum alvum subducentibus. Infusum *bellebori nigri* secundum *Mesuen* cum pulvere cymini omnibus febribus longis convenit, quicquid contra scripserit *Averrhoes*. Cujus loco succus *radicis lauri* in vino albo extractus convenit, sursum enim deor-

Solutio quarta.

Instantia.

Solutio.

Solutio quinta.

Solutio sexta & octavæ.

Solutio septima.

deorſumque purgat, Idem facit ſuccus corticis mediani ſambuci, in vino albo extracti, ſi per triduum initio acceſſionis exhibeantur. Et de hac quæſtione ſatis.

XIV. *Quercetanus* deſcribit pilulas quaſdam ex ſagapeno, diagridio, ſale gemmæ, colocyntid. quas attribuit *Camillo* cuidam Medico Genuenſi quarum una ſi horâ ante paroxyſmum detur omnes quartanas ſanari poſſe teſtatur, quia diſſolvunt tartareos humores & craſſos. Eaſdem deſcribit & laudat *Stoferus* in Empiricâ ſuâ, nam præter purgantia ordinaria quidam requirunt ad curationem diſſolventia dicta, Id quod aiunt præſtare gummi ſagapen. ammoniacum, myrrham, ſulphur, mercurium dulcem, oleum ſuccini, gagatis, piperis, quæ reliquis catharticis ſi admiſceantur, tutius evacuabitur humor. Addunt etiam quidam *Saccharum & Spiritum Saturni, ſaccharum Martis dictum*, quibus ad edomandos hos humores maximam vim tribuunt. Ex oleo quoque ſive tincturâ Antimonii medicamentum componit Tyrocinii chymici commentator *pagina 176*. cum aloe, croco, & ambrâ gryſia, qui videri poterit.

Diuretica. XV. Sed præterea apparente humorum coctione laudant *Galenus, Aëtius*, Paulus diuretica ex mulsâ, cum apio, anetho, rutâ. Sed ante coctionem his non eſt utendum, ne obſtructiones augeant contumacioreſque reddant.

Balnea. XVI. Balneum etiam commendatur, quia humectat, reficit, conceditur que quolibet morbi tempore ab *Avicennâ capite de curâ quartanæ*. In principio quidem ante humoris coctionem ex aquâ dulci moderatè calidâ, in quâ diutius non ſedeat æger, nec ſudet, ne humores crudi vi caloris in cutem rapiantur, & augeatur obſtructio, ſed tantummodo ut hâc coctione corpus humectetur. Apparente verò coctione licet diutius in balneo immorari, & ſudare, quia ſic humores evacuantur, corpuſque etiam humectatur. Ingrediatur autem balneum vacuo ventriculo ante paroxyſmum, pareturque ex aquâ dulci, in quâ herbæ emollientes & humectantes coquantur, aut etiam *Chamæm. melitot. Stoechas, origan, meliſſa, anethum, pulegium*, & ſimilia. Aut etiam loco balnei ſtuphas quidam imperant, ex prædictarum herbarum decocto, cujus vaporem calidum excipiens æger ſudet. Balneis autem & ſtuphis utebantur olim frequentius, nos verò rarius, niſi quod in Germaniâ familiaris ſolet eſſe uſus hypocauſtorum. At quia balneo uti non ſolemus, ſolis frictionibus ex conſilio Galeni contenti eſſe poſſumus, qui quamvis

vis in reliquis febrium speciebus balnea valdè commendet, in hâc tamen febre ea non admodum probat, sed illis præfert frictiones. *A frictionibus*, inquit, *ambulationibus, balneis, omnino arcendi non sunt. Verum si à balneis omninò abstinere possent, solis contenti frictionibus plurimum juvarentur.* Ubi *Galenus* non probat usum balneorum, eaque tantùm ex indulgentiâ quadam ægris ob consuetudinem concedit, quod si tamen ægri abstinere possent, frictiones utiliores esse declarat. Cum igitur balneis non simus assueti, illisque ideo facile carere possumus, solis frictionibus contenti esse debemus.

XIV. Post concoctionem Galenus præscribit calida medicamenta, ut diatrionpip. diaspolit. piper ipsum cũ aquâ, theriacam, mithridatium. Hæc enim humorum reliquias dissipant, & coctionem juvant, sed maximè commendat *Galenus* medicamentum ex succo cyrenaico, cujus hanc affert descriptionem *Aëtius*, ℞ *succi syrenaici, piperis, myrrhæ, ana partes æquales, seorsim trita succo rutæ, & melle excipiantur.* Fiantque pilulæ quarum ʒ ß. sufficit in dosin. Sed *Gal. lib. de tremore* ex succo cyrenaico & castoreo componit, ideo utile erit prædictis adjicere castoreum: imo *Altimarus* testatur se per duas ante accessionem horas post concoctionem *castorei & myrrhæ ana* ʒ ß. *cum vini albi aquâ borraginis diluti* ℥ iij. exhibere consuevisse fœlici cum successu. Quid autem sit succus cyrenaicus nunc dubium est. Esse autem succum silphii, vel laserpitii vult *Galenus*. Silphium aliud est ex Cyrene, aliud ex mediâ & Persiâ. Cyrenaici silphii succus odorus est, quidam nostrum volunt esse benjoinum: silphii autem Persici & Medici succus fœtet admodum, quem assam fœtidam esse putant *Matthiolus & Amatus*. Angelicæ radicis succum cyrenaici loco poni posse putat *Ruellius*, tum quod Angelica silphio admodum similis existat, tum quod ejus vires omnes æmuletur, ut videri potest apud Matthiolum. Quicquid sit vero succo cyrenaico caremus. Horum calidorum usum improbat *Alexander*, cum enim humor melancholicus sit frigidus siccus humectantia non siccantia postulat. Sed respondendum *Galenus* hæc concessisse apparentibus signis coctionis, & corpore jam purgato, ad reliquias humorum dissipandas, humores crudos concoquendos, ventriculum roborandum, coctionem juvandam. Vetat enim *Galenus*, ne hæc dentur ante coctionem in principio, ne ex simplici quartanâ fiat duplex, triplexve aut etiam continua. Quod si piper præscribit omni tempore, aquâ dilutum præbet, quomodo minùs calefacit, minusque exsiccat, & præterea in paucâ quanti-

Calidorum usus in quartanâ.

tate datur. Docet enim *Galenus 4. de ſanit. Tuenda* diatrionpipereonis calorem circa primas venas extingui, quia ut inquit *Amatus Luſitanus*, eorum calor in materiâ eſt craſsâ & terreſtri, & ideo alteratione ipſius medicamenti facilè extinguitur, aut ſaltem ad ſecundam corporis regionem non pervenit, ſed crudos humores qui ſunt in primis viis alterat & educit. Tempus autem dandi hæc medicamenta eſt quibuſdam horis ante paroxyſmum, aut in ipſo rigore. Id tamen ſemper obſervando, non convenire ejuſmodi medicamenta in quartanâ, quam bilis aſſata & in atram verſa generat. Quidam tamen his calidioribus utuntur etiam in principio, quia tunc humores ſunt & crudiores, & frigidiores. At quò quartana ad ſtatum magis accedit, eodem materiam habet tenuiorem, calidiorem, acriorem, vehementiaque tunc apparent ſymptomata; Ideo ſi tunc calefacientia præſcribantur, facilè duplex, triplexue quartana fiet; Cui tamen repugnat *Galenus*, ut diximus, & experientia oſtendit ea non conferre. Igitur in principio calefacientia quidem conveniunt, ſed minùs quam in ſtatu & declinatione, quia humor tunc facilius educitur, & diſſipatur edomitus jam à Naturâ. Quod ſi ſolam alterationem ſpectaremus, ſanè minus in ſtatu calefaciendum videretur. At hic non tantùm alterationem, ſed humorum reſolutionem attendimus, quæ non poteſt ſtatim in principio fieri, ob humoris craſſitiem qui à nimium calidis forſitan magis incraſſaretur. Præterea eſt humor rebellis, qui facilè exaſperatur, proinde debet ſenſim & blandè edomari, & vinci. Ubi igitur ſigna coctionis apparauerint, poſt purgationem ſequentibus uti licebit, & ad corpus roborandum, & ad febrem propulſandam. ℞ *conſervæ anthos, Zinziber. conditi ana* ʒ j. *theriacæ* ʒ ß. *benjoini* ℈ j. *pulveris angelicæ* ℈ ß. *croci* g̃ ij. *olei piperis guttas* iij. *cum aqua cinnamomi f. bolus, in duas doſes.* ℞ *ſyr. de calamentha* ℥ j. *confect. alkermes* ℈ j. *aquæ cinnamomi* ℥ j. M. *fiat potio.* ℞ *pulveris aromat. roſ. diamoſchi ana* ℈ j. *piper. Zinziberis ana* ℈ ß. *myrrhæ grana* v. *croci granum unum, benjoini* ℈ j. *ſacchari* ʒ iij. *f. pulvis.* ℞ *rad. gentianæ, angel. ana* ʒ iij. *ſummit. centaur. minoris, ſerpilli ana* P. ß. *nucis moſcatæ* ℈ j. *caryophillor.* ℈ ß. *bulliant in vino albo. Colatura propinetur calida.* Plura videri poſſunt capite de rigore.

Narcotica. XVIII. Obſervo autem à veteribus addi ſolere narcotica, ut opium. *Galenus* theriacam & mithridatium probat, quorum compoſitionem opium ingreditur. *Aëtius* præſcribit ſequens ℞ *piperis longi, myrrhæ, opii, caſtorei ana, detur oboli dimidium, cum aceto mulſo duabus horis ante acceſſionem.*

nem. Idem alibi addidit ſemen hyoſciami. *Avicennas* cum agarico miſcet opium. Inter recentiores Seillerus in Epiſtolis Scholtzii Philonium commendat ante paroxyſmum. Angelus ſala laudanum die acceſſionis poſt purgationes. Fit autem ipſius laudanum ex opio, per acetum diſtillatum extracto, tum ex aloë, myrrhâ floribus ſulphuris. Ipſe *Hippoc. 2. de morb.* poſt repetitas purgationes præſcribit *ſemen hyoſciami, milii magnitudine, mandragoram pari portione, laſeris ſuccum trium fabarum quantitate, & trifolii parem modum ex vino meraco bibendum*. Geſnerus in Epiſtolis obſervat veteres opium antidotis ſuis admiſcere ſolitos, atque opium aſſerit promovere ſudores. Sane puto poſſe nos commodè poſt purgationes ante paroxyſmum uti his opiatis, ſic enim ſedatur motus humorũ ab opio, deinde calore medicamenti edomatur, & vincitur. Sed ab his cavendum eſt in principio, & ante coctionem.

XIX. Roborandæ præterea ſunt partes nobiles, præcipuè ſplen, & jecur, quæ ſolent obſtructione laborare, idque præſtabimus conſervis borrag. bugloſſi, anthos, cortice citri, pulveribus diarhod. aromat. roſati, diamargar. theriacâ, trochiſcis de capparibus, dialacca, & ſimilib. ℞ *conſervæ bugloſſi, borrag. violar. ana* ℥ j. *conſervæ florum geniſtæ*, ℥ ß. *corticis citri conditi* ʒ iij. *theriacæ, mithrid. ana* ʒ ß. *confect. alkermes, pulveris elect. de gemmis, & lætificantis Galeni, ana* ℈ ij. *croci martis* ʒ j. *cum ſyr. de pomis f. opiata*. ℞ *conſervæ anthos, capilli veneris, ſcolopend. tamariſci ana* ℥ ß. *pulveris aromat, roſ. diarhod. ana* ℈ j ß. *pulveris diamoſchi dulcũ, diamb. ana* ℈ j. *pulveris diamarg. frig.* ʒ ß. *trochiſcor. de cappar. de eupat. de abſynt. de rhabarb. ana* ʒ ß, *cum ſyr. conſervat. corticis citri fiat electuarium*. Fotus quoque fiat hypochondriorum ℞ *rad. altheæ, liliorum ana* ℥ ij. *rad. bryon. enulæ camp. corticis mediani fraxini & tamariſci, capparum ana* ℥ j. *quatuor remollient. fumar. rutæ ana* M. j. *ſeminis lini, fœnug. viticis ana* ℥ ß. *flor. ſambuci, geniſtæ ana* P. ij. *f. decoctio pro fotu*. Deinde ungantur oleo ammoniaci chymicè deſtillato, addito aceto acri. Unguentum & emplaſtrũ deſcribuntur à Bauderono in Pharmacopœâ ad viſcerũ obſtructiones optima, quę huc referantur. Plura in affectibus ſplenis dicemus, & videatur caput de tertianâ nothâ. *Roborantia.*

XX. Antequam finem imponamus, addere lubet plurima quæ proprietate conferre dicuntur. Quidam probant hunc pulverem ℞ *cineris cancrorum fluviatilium, cranii humani, eboris uſti ana* ℈ j. *cinnam.* ʒ ß. *croci* g̃. v. *fiat pulvis, detur* ʒ j. *cum vino*. Alii laudant decoctum agrimoniæ, aut verbaſci, aut ſuccum radicis ejus datum in ipsâ acceſſione. Commendat *Rondeletius*, uſum vini albi in quo ſalvia per noctem maduerit, idque ad *Empirica*

omnes morbos melancholicos certum esse remedium affirmat. Alii laudant vermem repertum in carduo qui labrum veneris dicitur, appensum collo. Scarabæum vivum fulvo linteolo appensum commendat *Trallianus*. Alii probant cor leporis præparatum, ut solet pulmo vulpis, dividatur in tres partes æquales, dentur ægro cum vino ante paroxysmum. Varignana laudat succum plantaginis minoris cum mulsâ & saccharo, duabus horis ante paroxysmum, item quatuor semina heliotropii cum vino pota, & semen hypericonis ante paroxysmum. Idem laudat nectar suum, cujus solo usu quartanam se solvisse affirmat. ℞ *epithymi, folior. sennæ, flor. borrag. ana* ℥ j ß. *cinnam.* ℥ ij. *caßiæ ligneæ, macis, spicæ, cardam. ana* ℥ ß. *zinzib. carioph. seminis anisi ana* ℥ j. *f. nectar cum vino subtili, dosis cyathus unus mane.* Alius commendat vinum sequens ℞ *rad. enulæ* ℥ iiij. *rad. capparum* ℥ j. *rad. Angel.* ℥ ß. *summitatum absynt. vulgaris sicci*, P. ij. *vini albi* ℔ j. *serventur in loco tepido per quatriduum, dosis sit ad* ℥ iij. Amatus Lusitanus laudat haustum aquæ rosarum ante paroxysmum, ut vomitum cieat, nam nisi vomitu rejiciatur valdè nocet, insignemque angustiam circa præcordia excitat. Sal ammoniacus sublimatus ad g̃ vj. à quibusdam chymicis præscribitur. Experimentum sequens ad omnes febres, sed præcipuè quartanas laudatur. ℞ *aceti optimi pintam unam, panis albi è furno calentis crustâ detractâ* ℔ j. *pulveris bombardici* ʒ ij. *caryoph. cinnam. ana* ʒ ß. *croci* ℈ ß. *aquæ centaurei* ℥ iiij. *sacchari* ℥ vj. *dosis sit ad* ℥ ij. *vel tres.* Visci quercini ʒ j. cum vino ante accessionem sudores movit, & ægrum quartana liberavit. Scribit *Platerus* camphoræ in spiritu vini dissolutæ ʒ j. ad idem prodesse, quod falsum esse novi. Decoctum ligni hederæ per plures dies exhibitum commendatur. Pariter in fictile non plumbatum pone aceti fortis pintam unam, cum salis cerussæ venetæ quartario uno, cooperiatur vas, servetur in loco humido, & quotidie crebrò moveatur. Tandem quiddam salis instar penètrabit vas, cujus si ℈ j. cum vino albo accessionis initio exhibeatur, secunda aut tertia accessione febris evanescet. Idẽ fit ex sale vitrioli, alumine, & sulphure. Item ℞ *succi polygoni cochlearia* vj. *piperis longi* ʒ ij. sumat sæpius jejunus. ℞ *seminis sinapi cochlearia duo, terantur cum aceto albo optimo, addendo macis* ʒ j. *expreßio exhibeatur paulò ante acceßionem, oscitationibus supervenientibus*, decumbat æger & tegatur. Primò erumpunt sudores, mox vomitus febrem tollens, si non tollat repetatur. Decoctũ quoque abrotani & centaurii minoris ante paroxysmum confert. Semen Aristolochiæ longæ ad g̃ xij. exhibitum susque deque operatur. *Aëtius* laudat bitumen, myrrham,

rham, castoreum, semen trifolii bituminosi, absynthii decoctum, hederæ corymbiferæ folia v. cum myrrhâ ex aquâ mulsâ pota. Plantaginis radices quatuor potas, verbenacę rectę quartū è terrâ geniculū potum, seminis smyrnii ʒj. Iridis, calaminthæ, & chamædryos decoctum, sulphur, aliaque plurima, quæ apud eum legi possunt. Radicis bryoniæ ℥j. infunde in vino albo, colatura propinetur in paroxysmo, vomitum provocat, sed debiliori sufficit ℥ß. Petrolei guttæ aliquot è liquore conveniente ante paroxysmum propinatę valdè conferunt. Mirū est sequens: subige farinā cum urinâ ægri ad formam placentulæ, coquatur in furno instar panis, objiciatur piscibus, ut ab iis devoretur, abit febris maximè quartana. Idē refert *Reusnerus* de ovo in urinâ ægri decocto. Irritis aliis remediis profuit linteum madidum aquâ vitæ ventriculo impositum. plura ejus farinæ remedia legere licet in practicorum libris, quæ quia non ratione, sed solâ experientiâ nituntur, amplius describere nō libet.

XXI. Quod spectat quartanas spurias quę fiunt aut ex mistione cū aliis humoribus, aut bile per adustionē in melancholiam degenerante, (si ea spuria dici debet) tractandę erūt pro ratione humoris admisti. Posterior verò vere refrigerantibus & humectantibus, ut tertiana, addēdo ea quę melancholiam respiciunt, ut lupulus, fumaria, scolopendrium, &c. quæ impensè non calent, nā ab omnibus calidis & siccis cavendum, quibus tamen utimur in melancholiâ naturali. Cognoscitur autem præcipue ex formâ febris, ut si quarto quoque die exacerbetur, tùm ex causis prægressis, ut si tertiana pręcesserit, si æstate juvenis calidis usus cibis quartanâ laboret, maximum signum est eam ex bilè adustâ genitam esse. *Cura quartanæ notha.*

XXII. Si vero quartana continua sit admodū periculosa est, & gravis, ut ægri vix mortem evadant. *Avic. cap. de curâ quartanæ continuæ*, tria commemorat in quibus differunt, continuæ & intermittentis curationes. *Primum* quod magis refrigerandum sit in continuâ quam in intermittente, ut sunt syr. *de lactucâ, portul. borrag. de fumariâ, de limonibus, de pomis, violatus* & similes. *Secundum*, quod sanguinis missio magis convenit in continuâ quam in intermittente: *Tertium* victus ratio tenuior sit quam in interpolatâ. Præterea purgandus est humor blandis & lenientibus, ut cassiâ, catholico, sennâ. Dein viribus est consulendum, ob morbi gravitatem restaurantibus & conditis ex conservis *buglossi, borrag. violarum, capilli veneris, cichorii*, pulveribus *diamarg. frigidi, de gemmis*. Fiunt etiam potiones cordiales ex confectione alchermes cum aqua violarum, borraginis, syrupo violato, de limonibus, & si vigiliis æger torqueatur, syrupo de nymphcâ, de papavere. Et hæc de febre quartanâ. *Cura quartanæ continua.*

CAP. XI.

De febre quintanâ, ſextanâ, nonanâ.

Galeni opinio.

I. AD quartanas febres longiores periodi referri ſolent, quarum meminit *Hippocrates 1. Epid. ſect. 3. textu 2.* Galenus in *commentario* hæc verba non eſſe *Hippocratis*, ſed à quibuſdam addita putat; Malè quidem meo judicio, non enim febris quintanæ, ſextanæ, nonanæ mentio fit, ſed etiam prognoſtica harum febrium ſubjiciuntur. *Septana*, inquit, *longa eſt non lethalis, nonana longior, nec lethalis, quintana & ante tabem, & jam tabificis ſupervenit.* Galenus negat ſe unquam vidiſſe nonanam, aut ſeptanam, quintanam verò admodum obſcurè, unde has periodos dari negat. *Primò* quia unaquæque periodus ſequitur peculiarem humorem, ſed tantùm ſunt quatuor humores, ergo ſaltem tantùm erunt quatuor periodi. *Secundo Hippocrates* ſigna non deſcribit quibus dignoſcantur, quia non credidit tales dari periodos. *Tertiò* nullum in Epidemiis ægrum propoſuit, qui prædictis febribus laborarit.

Avicennæ opinio.

II. *Avicenna* verò has periodos confirmat, authoritate *Hippocratis*, qui fuit vir ſanctiſſimus, neque has febres unquam propoſuiſſet, niſi eas aliquando obſervaſſet. Deinde quidam eaſdem ſe vidiſſe retulerunt. Sic *Gentilis* narrat ſe vidiſſe quintanam & ſextanam. *Amatus* nonanæ febris meminit. *Gorrhæus*, quintanam obſervavit cujus fuerunt acceſſiones quindecim. Refert quoque *Salius* ſe vidiſſe bis octavum circuitum. Quamvis igitur eas *Galenus* nunquam obſervarit, non tamen illas negare eam audacter debuit. Eſt enim, inquit *Avicennas*, poſſibilitas res ampla, præſertim cum ejuſmodi febres dari rei naturæ non adverſetur. Nam ſi paucitas & craſſities humoris melancholici facit quartanam periodum, paucitas & craſſities major faciet & quintanam, & ſextanam, & nonanam. *Galenus* nec lapidem vidit inteſtinorum, nec dracunculos, quos tamen morbos plurimi recentiores obſervarunt.

Cauſa

III. Cauſa igitur harum febrium eſt eadem cum causâ quartanæ, humor ſcilicet craſſus, viſcoſus, & in paucâ quantitate. Paroxyſmorum enim redintegratio fit ex copiâ materiæ, quæ ubi naturæ gravis eſt agitatur, & paroxyſmum facit, quando igitur pauca eſt & tardè cumula-

mulatur, antequam paroxyſmum poſſit excitare, quinque, ſex, interdum etiam dies plures excurrunt. Accedit craſſities quæ facilem motum impedit, hincque fit ut tardius accedant paroxyſmi. Humor autem iſte craſſus & paucus vocatur ab *Avicennâ* melancholia phlegmatica, quæ à quibuſdam ſumitur pro melancholiâ ex pituitâ genitâ, non autem ex aliis humoribus, quia non ſunt adeo tenaces, ut quamvis in melancholiam degenerare poſſint, tamen vix poſſunt tam lentè moveri: Secus eſt de pituitâ quæ viſcoſa eſt & craſſa, ideoque cum putreſcit tardè progreditur. Alii per melancholiam phlegmaticam intelligunt melancholiam miſtam cum pituitâ, vincente tamen melancholiâ, ex quibus fit unus quaſi humor, qui ob viſcoſitatem quam ab humore pituitoſo recipit, adjuvante paucitate tardiùs movetur, unde fit quintana pro majori aut minori humoris craſſitie, aut copiâ. Hinc ſolvi poſſunt rationes *Galeni*, melancholia enim non quâ melancholia eſt, generat quartanam, ſed qua pauca eſt & craſſa, unde non ſolum melancholia, ſed etiam pituita facere poteſt has periodos, ac etiam rariores, ſic epiala quarto quoque die movetur. Aliam præterea harum febrium cauſam ex mente *Galeni* aſſignat *Avicennas*, ſcilicet malam victus rationem, quâ fieri poteſt ut qui à febre liber erat, cumulatis malis humoribus, nono aut decimo die in febrem recidat, ſed tunc non erit febris nonana, ſed potius recidiva. Eſt etenim revera morbi circuitus, quando exactè ſervatâ victus ratione febris eodem conſtituto die redit, ut in tertianâ & quartanâ patet.

IV. Signa autem ipſarum peculiaria non dantur, quia â peculiari humore non fiunt, tantùm cognoſcuntur ex circuitus ordine. Ex quibus patet ſolutio ad duas poſtremas rationes *Galeni*. Prognoſtica verò deſcribit Hippoc. loco citato. Quintana pejor ſtatuitur, nonanâ, aut ſeptanâ, quia ſequitur phtiſin aut precedit, quod non eſt univerſim accipiendum de omni quintanâ, ſed de ea quæ eſt cum phtiſi. Nonana longa eſt, ſed non lethalis, pariter & ſeptimana, circa quæ multæ moveri poſſent quæſtiones, ut num quartana præcedat quintanam in phtiſicis, numque ſit lethalis, cur quintana periculoſa exiſtat, cum quartana ſit ſalubris, num ſeptimana & nonana hecticæ copulari poſſint, & ſic fieri lethales, quas quæſtiones omittimus, cum ſint inutiles, quia hæ periodi rarò aut nunquam videntur. *Signa.*

V. Quod ſi contingant, curentur ut quartana, & quotidiana. Laudat *Avicennas* tenuem victus rationem, ſomnum digerentem in principio, *Curatio.*

pio, deinde ad pleniorem victum transit. Commendat quoque vomitum die paroxysmi ex validioribus ut helleboro albo, nuce vomicâ, tum purgationem, calidorum ut theriacæ, mithridatii usum, sudoris provocationem, balneum resolutivum, ut prius in quartanâ dictum. Monet *Rhazes* semper alvum esse leniendam aut clysteribus, aut aliis medicamentis, ante paroxysmi adventum. Advertit autem *Arculanus*, si febres hæ præcedant hecticam & phtisin, ut solent secundm *Hippocratem*, cautè esse utendum tùm calefacientibus, tùm vomitoriis, tùm purgantibus, tum sudorificis, ne citius tabes accersatur, quod si illis utendum sit leviora esse debent, humectantia verò magis conveniunt, tum ratione ipsius morbi, tum ratione ipsius tabis.

CAP. XII.

De febribus compositis.

I. ABsolutâ simplicium febrium tractatione, ad compositas veniendum, de quibus multas agitant quæstiones inutiles, ideo eas omittemus, & necessaria tantùm tractabimus. Sed in principio notandum est magnum esse inter spurias & compositas febres discrimen: spuriæ enim ex diversis fiunt humoribus eodem loco, eodemque tempore putrescentibus, propterea simul incipiunt, simulque desinunt, nec peculiaribus dignoscuntur symptomatis, sed habent omnia signa confusa, ut tertiana notha, quartana notha, speciemque & nomen sortiuntur ex vincentis humoris naturâ, & tertiana notha in quâ plus est bilis quam pituitæ, quod si æqualis fovet homorum putrescentium copia, nullo peculiari & proprio nomine sunt definitæ.

II. Compositæ autem febres sunt, quæ ex diversis humoribus consistunt, qui nec eodem loco, nec eodem tempore putrescunt, unde & diversis horis incipiunt, diversisque desinunt, quamvis interdum quædam paroxysmorum partes simul concurrant: Unde Erravit *Gordonius*, qui Epialon scripsit esse febrem compositam ratione materiæ putrescentis, & non putrescentis, quem optimè refellit *Rondeletius*. *Primò* quia febrium differentiæ sumuntur à materiâ putrescente, non autem ab eâ quæ non putruit, nam sine putredine aut inflammatione non fit febris. *Secundò* omnes putridæ essent compositæ, nulla enim est febris

febris putrida, quæ materiam non habeat putreſcentem & non putreſcentem. Nec dicendum febrem dici compoſitam ob mixtum ſenſum caloris & frigoris, nam in principiis intermittentium interiora calent, exteriora frigent, & tamen una tantùm ſimplexque febris eſſe dicitur. Nec propriè dicuntur compoſitæ cum accidentibus, nam accidentia ſequuntur morbos, tanquam umbra corpus. Nec ex diverſorum humorum miſcelâ, nam febres nothæ iſtæ dicuntur non compoſitæ. Componuntur autem febres vel diverſi generis vel ejuſdem. Diverſi generis ut putrida cum hecticâ, ephemera cum putridâ, ſuppoſito quod ejuſmodi compoſitio dari poſſit, cum ephemera ſit ſalutaris & breviſſimâ.

III. Ejuſdem vero generis febres componuntur, ut putrida cum putridis, quod contingit trifariam, vel continuæ cum continuis, vel intermittentes cum intermittentibus, vel intermittentes cum continuis. Suntque vel ejuſdem ſpeciei vel diverſæ, Ejuſdem ſpeciei, ut duæ tertianæ; Diverſæ verò ſpeciei, ut tertianę cum quotidianâ. Continuæ cum continuis confundi duntaxat non componi poſſunt, quia materia in venis eſt majoribus, unde in uno eodemque loco ſimul putreſcit. Attamen, *dicet quiſpiam*, in venis majoribus diverſi ſunt loci in quibus humores diverſi putreſcere poſſunt, ſicquæ duæ continuæ conjungentur. Contraria tamen ſententia verior eſt, quam ſequuntur *Fernelius, Augenius, Mercurialis*, ſcilicet duas continuas tantùm confundi, non componi, non quidem duæ continuæ ejuſdem generis, ut duæ tertianæ, quia duo accidentia ejuſdem ſpeciei non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto, ut in corde. Non poſſunt ergo duæ tertianæ continuæ ſimul eſſe compoſitæ. Quod ſi febres ſint diverſæ ſpeciei, ut tertiana & quotidiana, eæ in venis majoribus confundi queunt, ſed non implicari, quia bilis & pituita in diverſis locis non putreſcunt, aut quamvis putreſcere poſſe concedamus, tamen fuligines, quæ de putreſcente materiâ ſuſcitantur, ſimul concurrunt & confunduntur, propterea confuſam non compoſitam febrem faciunt. Unde concludo confundi tantùm ſimul, non complicari. Quod tamen intelligendum eſt de continuis primariis, nam ſymptomaticæ, quæ omnes continuæ ſunt, poſſunt complicari; Quid enim obſtat quin cum febre ab inflammatione obortâ humores in majoribus vaſis putreſcant, duæque continuæ conjungantur. At quia id admodum inſolens eſt, ſigniſque vix perceptibile, ideo Medici qui ſenſibus ut plurimum reguntur, negarunt continuas ſimul componi poſſe.

IV. Intermittentes verò complicantur, aut cum aliis intermittentibus, aut cum continuis, tùm ejusdē speciei, tum diversæ. Intermittentes simul componuntur, quando humores distinctis in locis putrescunt, si sint ejusdem generis, ut si bilis distinctisin locis putrescat, erunt duæ tertianæ, duplex tertiana, Si melancholia duobus aut tribus in locis putrescat, erunt duæ aut tres quartanæ. Duplex quotidiana dicitur quum singulis diebus accessiones duæ contingunt, quod admodum rarum est. Frequentior est duplex tertiana, quæ in modum quotidianæ procedit, ejus enim accessiones singulis diebus contingunt, sed nec pares sunt, nec iisdem horis fiunt. Duæ verò tertianæ dicuntur secundum quosdam, quando eodem die bis contingit accessio, altero quiescente, & tertio die repetunt. Fiunt à bile in locis diversis putrescente, sed eadem die commotâ, verum non iisdem horis, quamvis quidam non ponant hanc distinctionem inter duas tertianas & duplicem tertianam. Triplex verò tertiana est, quando bis unâ, die alterâ semel febris occupat, servatâ semper proportione de tertio in tertium diem. Incipiunt autem duæ tertianæ primum à simplici, ut notat *Fernelius*, cui dein succedit altera; & harum una prior terminari solet manente alterâ, ut notat etiam *Amatus Lusitanus*: unde in hujusmodi febribus ex urinæ concoctione, non semper prædicenda febris terminatio & solutio. Pariter complicantur simul quartanæ, unde fit duplex quartana, triplexque. Duplex quartana est, quando duobus successivè diebus exercet, uno intermittit: Triplex quartana singulis diebus accessiones habet, servatâ proportione motus de tertio in tertium diem. Hæ febres procedunt in formâ quotidianæ, sed ab eâ distinguntur, quod quotidianæ accessiones sint similes, harum verò dissimiles, & quod symptomata flavam bilem aut melancholiam, non pituitam arguant, Causæ pariter non sunt eædem, quamvis absurdum non sit & vero quam simillimum, à bile & melancholiâ posse fieri periodum quotidianam, ut prius diximus.

V. Intermittentes etiam complicantur cum intermittentibus diversæ speciei, quamvis rarò, ut tertiana cum quotidianâ, quâ qui laborant singulis quidem diebus febricitant, altero tantùm semel, altero bis; Tertiana aut quotidiana cum quartanâ, quibus febribus qui conflictantur singulis diebus febricitant semel, & quarto quoque die bis, si adfuerit quotidiana, aut si fuerit tertiana tertio & quarto quoque die laborant, imo accessiones tertianæ & quartanæ in eundem diem con-

concurrunt, servatâ proportione tertiani & quartani circuitus, ut si hodie invadat tertiana, cras vero quartana, tertio die redibit tertiana, quartus erit sine febre, quinto die fiet accessio tertianæ & quartanæ, sexto nulla erit febris, septimo accessio tertianæ, octavo accessio quartanæ, nono tertianæ, decimo apyrexia, undecimo duplex iterum accessio tertianæ & quartanæ simul, ac sic deinceps. Si vero quartana præcedat, sequenti die adsit tertiana, tertio nulla erit febris, quarto duplex accessio quartanæ & tertianæ, quinto apyrexia, sexto accessio tertianæ, septimo quartanæ, actavo tertianæ, nono nulla febris, decimo duplex accessio, & sic in posterum eodem ordine. Sed si eodem die tertiana & quartana inceperint, tertio erit accessio tertianæ, quarto quartanæ; quinto iterum tertianæ, sexto nulla febris, septimo duplex erit accessio, octavo nulla, Nonò tertianæ, decimo quartanæ, undecimo tertianæ, duodecimo nulla, decimo tertio duplex accessio, & sic de cæteris. Sed hæ compositiones quamvis sint possibiles, tamen ob raritatem à Medicis parum considerantur.

VI. Harum autem intermittentium paroxysmi secundum *Avicennam*, vel sunt subintrantes, vel communicantes, vel coalternantes; Subintrantes dicuntur quando ante prioris finem, alter supervenit, ita ut febris videatur continua: Verum reditus horroris, rigoris, frigoris & nova pulsus coarctatio, eam esse compositam indicant. Communicantes sunt qui simul incipiunt, fiuntque quando contingit diversos humores diversis in locis putrescentes simul moveri, unde eorum paroxysmi simul contingunt. Quando vero inter duos paroxysmos intercedit quies, vocantur coalternantes. Denique componitur intermittens cum continuâ, vel contra continua cum intermittente, ut tertiana cum quotidianâ, aut quartanâ. Cognoscuntur quando in continuanâ adest rigor, posteâ sudor contingit, nec tamen febris desinit, certum est compositionem adesse intermittentis à quâ fit rigor, quæque in sudorem desinit, & continuæ quæ nunquam intermittit. Et hæ sunt compositionum præcipuæ formæ. Inter quas cum nobilis sit ea quæ ex tertianâ & quotidianâ constat, quam vocant hæmitritæum, paulo diligentius venit explicanda, cum reliquæ more simplicium curentur. hæ verò periculosa sit admodum, quamvis rariùs contingere dicatur, aut probè non cognoscatur, siquidem eam *Galenus* Romæ suo tempore fuisse familiarem scripserit,

CAP. XIII.

De semi-tertianâ.

I. AD hujus igitur morbi pleniorem intelligentiam, quædam nomina sunt intelligenda, quæ tria sunt, *hæmetritæus*, φρικώδης πυρετὸς, & τριταιοφυής. Hæmitritæus, Latinis Semi-tertiana dicitur, servatâ ad verbum nominis etymologiâ *Galenus 1. Epidem. com. 3. textu 5.* miratur cur veteres hanc febrem semi-tertianã vocarint, iis enim tantùm attribuimus dimidii vocabulum, quæ integram consummationem non habent, sic semi mortuum, semideum, semi asinum vocamus; At hæmitritæus tantùm abest ut dimidia sit tertianæ febris, aut symptomatum multitudine, & viribus, aut utrisque, ut potius tertianâ pejor existat, ita ut satius fuerit hanc illius dimidiam statuere, quam illam hujus. Attamen hujus nominis varias rationes affert, quod cum tertiana duas habeat conditiones, *primò* quod tertiò quoque die invadat, *secundò* quod incipiat cum rigore, hæmitritæus quidem tertio quoque die invadit, sed incipit cum horrore, qui medius est inter rigorem & frigus, nec desinit in ἀπυρεξίαν. Præterea hemitritæus excretione non finitur, nec diem unum habet integrum ut tertiana, ideo ex parte tantùm tertianam æmulatur, hinc fit ut semitertiana vocata fuerit. Sed & aliam addit rationem *Galenus cap. 8. lib. 2. de febrib.* ex generationis modo, quoniam scilicet ex tertianâ, & quotidianâ componitur, propterea partem habet prædictarum febrium, sicut semi-asinus, & semideus dicuntur, ita & hæmitritæus. Mulus enim partim equum refert, partim asinum, & tamen ab eorum altero tantùm denominationem desumpsit, ea amissa quâ equum refert. Pariter semi-tertiana quamvis non minus ad quotidianam quam ad tertianam accedat, tamen à tertianâ tantùm nomenclaturam accepit. Pars autem altera semper intelligitur particulâ *Semi*, quæ ostendit ipsam non esse absolutè tertianam, nec omni ex parte.

Horrifera febris. II. Quia verò his febribus horror familiaris est, ideo φρικώδεις πύρετοι vocantur hemitritæi, non simpliciter, quia cum horrore invadunt, id enim aliis quoque commune est, sed quia per totam accessionem horroris extenditur symptoma, idque tertio quoque die, quando pituitæ & bilis paroxysmi concurrunt. Fit autem hic horror, vel bre-

vibus

vibus intervallis, per inæqualem incrementi motum, vel longioribus, per reduplicationem, *com. 1. in 1. Epid. textu 22.* Nam quando horror in eâdem accessione sæpius repetit, & brevibus intervallis, vocatur ejusmodi motus inæqualis ἀνώμαλος ἀνάβασις cum videlicet Natura conatur humorem excludere, sed aut propter crassitiem, aut cutis densitatem, aut virium imbecillitatem, id perficere non potest. Tunc tardissimè incalescunt, accessionisque principium & incrementum, longiùs producuntur. Aliis autem cum bilis motus remissus est, novus redit horror, novusque insultus, quia dum calor in universum corpus expanditur, frigidi humores putrescentes & agitati novam accessionem commovent, inde frequens fit reduplicatio, quam ἀναδίπλωσιν vocant, sicque succedens accessio est deterior præcedente, quia virtus priore accessione defatigata est. In his, scribit *Hollerius*, mala esse omnia. Sudores mali sunt, etenim vi exprimuntur, non victoriâ naturæ, idque vel propter crudorum copiam, vel virium imbecillitatem. Frigent extrema, uruntur interiora idque per vices, soporosi fiunt, ventris cruda dejiciunt, urinæ crudæ, decolores, tenues, aliàs turbulentæ, & crassæ, nullo sedimento, aut malo, inæquali divulso, fastidia animi, deliquia, syncope, convulsiones, mala omnia. Pessimæ enim febres sunt, in quibus crudorum copia bili permista est, inquit loco citato post *Gallenum*, Hollerius.

III. Quod spectat nomen τριταιοφυῶν, generaliter omnes febres intelligit *Galenus* quæ tertio quoque die invadunt, comment. *2. in 6. Epid.* At Erotianus, vult dici τῆς τριταίας ἐκφανσίας χάριν. Magis tamen accedere videtur ad Philonidis Siculi sententiam, ut τριταιοφυεῖς eas esse velit, quæ cum insultuum significationes habeant, inordinata tamen habent intervalla, neque ad integritatem desinunt, sic autem eas vocari, quod magnam habeant cum tertianis similitudinem, & esse parvos hæmitritæos dictos, ut *aphor. 43. lib. 4. febres quæcunque non intermittentes tertiâ die fortiores fiunt, magis periculosæ*, Semitertianas intelligit, non tertianas continuas, quæ etsi tertio die exacerbentur, non sunt tamen ardentibus periculosiores, sed hemitritæos, quarum proprium est tertio quoque die cum horrore fieri fortiores, quia tunc accessio fit tertianæ & quotidianæ, at die intermedio sola quotidiana fatigat. Dicit autem *Hippocrates* fieri fortiores non autem habere accessiones, quia sæpe confunduntur paroxysmi, ut nullum evidens sit principium, sed solùm omnia symptomata vehementiora fiunt, & febres ipsæ, Tales

Febris τριταιοφυής.

ex pituitâ & bile putrescentibus, Autumno sæpe generantur quæ diebus imparibus graviùs habent, quia tunc accessio fit tertianæ, paribus verò non item quia sola quotidiana fatigat. Die autem quo utriusque febris accessio contingit fiunt ἀναδιπλώσεις propter inæqualem humorum motum, pituitæ tardiorem, bilis celeriorem, hinc fiunt incompositi & velut errabundi rigores, ut docet *Foesius j. Epid. cap. 19.* In medio scilicet cursu frequentes fiunt ingeminationes, ut veluti quædam novarum accessionum significationes ex vagis & incertis rigorum insultibus, qui faciunt ἀναδιπλώσεις & ordinem perturbant, hic frequentia sunt animi deliquia, resolutiones, interdum convulsiones maligni morbi indicia. Quamvis igitur non sint veræ semitertianæ, tamen ad eas referuntur, fiunt enim ex bilis & pituitæ permistione, habentque in principio horrorem, & propè ad integritatem veniunt, unde habent multa cum semitertianis communia, ideo hemitritæi parvi dicuntur *Eratiano.*

IV. His nominibus explicatis, ad ipsius hemitritæi explicationem veniamus. Est autem febris composita ex tertianâ & quotidianâ, quarum una est continua, alter intermittens. Tertiana autem & quotidiana quatuor modis componuntur. Aut enim continua tertiana cum quotidianâ continuâ componitur, aut intermittens cum intermittente, aut tertiana intermittens cum quotidianâ continuâ, aut quotidiana intermittens cum tertianâ continuâ. At ex his omnibus non potest fieri semitertiana. Quod ut intelligatur sciendum est semitertianam esse & horrificam, quod horrores maximam accessionis partem occupent, & continuam secundum *Hippocratem*, Galenus Archigenem, & Agathinum reprehendit, quorum ille semitertianam inter intermittentes, hic verò in eodem genere cum tertianâ collocavit. Et sanè erravit *Archigenes*, cum enim hæmitritæus sit periculosa non potest esse intermittens, quæ naturâ suâ salutaris est. Quod si aliquando *Galenus* eam intermittentem vocat, id facit ex Agathini sententia, aut saltem quemlibet implexum quotidianæ & tertianæ vocavit hemitritæum. At vera semitertiana semper continua est ex 1. Epid. *febris horrifica, continua, acuta, omnino non intermittens, modus autem hæmitritæus erat, uno die gravius, altero levius se habens.* Cum ergo semitertiana sit continua & horrifica, ex duabus continuis tertianâ scilicet & quotidianâ componi non poterit, continuæ siquidem nullum rigorem horroremve per se pariunt, quia humor venis contentus partes sentien-

Quod sit semitertiana & quomodo fiat.

tes

tes non ferit & vellicat, proinde quæ ex his componitur horrifica non erit, proinde neque ſemitertiana. Pariter duarum intermittentium commiſtio, non poteſt continuam, ſed tantùm intermittentem parere, quæ propterea ſemitertiana non erit, cum non ſit continua. Reſtat igitur complicatio continuæ cum intermittente, quæ neceſſaria eſt ut horrida ſimulque continua febris fiat. Parum autem videtur intereſſe utra harum continua ſit, utra intermittens. Nam ſi bilioſæ continuæ jungatur quotidiana intermittens, febris erit continua & horrifica, nam continuitatem habebit à bile, horrorem à pituitâ, anadiploſin ex pugnâ mutuâ. Sed aderit hic tantùm frigus, non horror, quia pituita non ſolet horrorem parere, deinde hic caſus admodum rarus eſt, cum pituita rarò pariat intermittentem. Præterea ut docet *Rondelet.* ſi quotidiana intermittit, & tertiana continuò affligit, ſingulis diebus fient acceſſiones quotidianæ, quæ cum longiſſimæ eſſe ſoleant, altera dies non erit levior, qui tamen eſt verus character hemitritæi. Quamvis igitur prædicta febris à *Galeno* ſemitertiana vocetur, alia tamen eſt quæ propriè & exquiſita dicitur, quæ ſcilicet ex quotidianâ continuâ, & tertianâ intermittente conſtat, habetque continuitatem à quotidianâ, horrorem verò à tertianâ, unde tertio quoque die exacerbatur. Eſt autem duplex *ex 2. de febribus* ejus differentia. Aut enim exquiſita eſt, in quâ æquales ſunt utriuſque febris vires, neuterque humor vincit, ſuperatue, aut non eſt exquiſita, in quâ alter prædictorum humorum præpollet, quos duos poſteriores modos agnovit *Archigenes*, ex Galeno, loco citato, non autem primum, in quo æqualis bilis & petuitæ permiſtio eſt, quæ ſane æquabilis duorum humorum miſcela rariſſimè contingere poteſt. Cum itaque triplex ſit ſemitertianarum forma, exquiſitæ principium eſt cum horrore, eo ſcilicet die quo tertiana & quotidiana ſimul invadunt, qui horror medicis eſt inter rigorem tertianæ, & refrigerationem quotidianæ, propterea mixtis hiſce duobus humoribus, horror generatur. Poſtea in incremento caleſcit à bile, ſed nonnunquam interrumpitur à pituitâ & retardatur, adeſtque pugna inter hos affectus, ægro interdum incaleſcente propter victoriam bilis, cujus motum pituita lenta & tardigrada detinet, & ad interna retrahit. Tunc ſuperante humore frigido redeunt horrores, contractiones, extremorum refrigerationes, ita ut altera acceſſio videatur renovari, ſed ſtatim ferme redit ardor, & expanditur in univerſum corpus, videturque febris in ſummo eſſe, cum redeunte ad pituitam victo-

victoriâ, iterum horrent & refrigerantur, tamdiuque durat ejusmodi certamen donec febris ad summum perveniat, quod citiùs accidit quam pituitosi humoris motus fert, tardius verò quam bilis natura postulat, quoniam bilis motum pituita detinet, at bilis segnem pituitam exacuit. Ejusmodi horrorum crebras repetitiones, si brevibus fiant intervallis ἀνώμαλοι αἰνησεις vocantur, si vero repetant per longiora intervalla ἀναδιπλώσεις & ἐπαναλήψεις dicuntur, quoniam bilis pituitam sed inæqualiter accendit, ita fit ingeminatio, horrorque inæqualis & inordinatus, ἄτακτοι vocat *Hippocrates* & febribus tritæophyis attribuit. Hic stomachi adest labor, totiusque nervosi generis. Quando verò exquisita non est, sed alteruter humor exuperat, ejus signa se produnt. Si enim bilis præpolleat, febris erit magis horrifica, atque horror ad rigoris naturam accedit, & in accessione celeriùs & ardentius incalescit, citiusq; ad summum pervenit, & in fine aliquid bilis per alvum, vomitum, & sudorē, potiusve madorem excernitur, & reliqua symptomata magis bilem quam pituitam arguunt, vigiliæ, sitis &c. Si verò pituita prævalet horror minor erit ad refrigerationem accedens, sed longior, pulsus contractio major, lentè accessio procedit, non tamen sitim efficit, neque ardorem magnum infert, nec vomitus, neque dejectio biliosa fatigat.

Duplex autem est generationis semitertianarum modus, nam vel duæ accessiones statim à principio simul concurrunt, & sic per totum febris decursum durant, quæ propriè semitertiana est, aut duæ accessiones in unum tempus concurrunt, quia una anticipat, altera postponit, ut si quotidiana duabus horis anticipet, tertiana verò totidem postponat, concurrent duæ accessiones uno die tantùm, quia accessiones anticipantes unius & postponentes alterius à se recedunt. Sed hæc non est vera semitertiana, quæ continua est semper habere debet saltem paroxysmos communicantes, aliàs non fieret horror, nisi tertianæ & quotidianæ paroxysmi simul concurrerent.

Dubium. V. Cum autem continuam illam esse dixerimus, mirabitur quispiam quomodo accessiones possint concurrere, cum continua non habeat paroxysmos. *Gorrhæus in definitionibus* dicit non esse ex eo genere continuarum, in quibus unica est à principio in finem accessio, quas continentes vocamus, sed de genere earum quæ accessiones habent & remissiones. Ut autem accessiones simul concurrant, non satis est febres esse mistas & complicatas, verùm ità confusas ut utriusque paroxys-

paroxyſmus eodem tempore accedat. Id quod perpetuum eſſe poteſt acceſſionibus eundem ordinem ſervantibus, ſicque intelligendus venit *Galenus*, quando vult duas acceſſiones concurrere, eſtque hæc febris hæmitritæus toto morbi decurſu: vel hoc non eſt perpetuum, ſemelque tantùm vel bis in compoſitione febrium contingit, quando unius paroxiſmi retardant, alterius verò anticipant, ut vult *Galenus* loco citato: Quo in caſu febris non eſt propriè hæmitritæus, ſed ejus tantùm paroxyſmi, qui ſimul concurrunt, ſimulque invadunt, erunt hemetritæi, ut explicat *Gorrhæus* in voce ἡμιτριταῖος. Sed quæres quomodo miſceri hæ febres poſſint, cum pituita intra, bilis extra venas putreſcat. Reſpondet *Amatus* permiſceri paroxyſmorum tempore, tum fuligines pituitæ bili permiſcentur, ipſiuſque acrimoniam retundunt, inde pro rigore fit horror. Addo ego bilem dum tempore acceſſionis pellitur extra venas, deducere ſecum aliquid pituitæ putridæ, unde acceſſio contingit horrifica. Hinc patet diſcrimen inter tertianam notham, & hæmitritæum, quod ſit intermittens, hæmitritæus continua, quod in illâ putreſcant bilis & pituita extra venas, in hâc vero pituita intra, bilis extra venas contineatur. *Dubium.*

VI. Reprehendit *Galenus* Agathinum, qui tertianam extenſam ſemitertianam nominabat: Eſt autem tertiana producta tertiana notha, quæ ſcilicet excedit tempus exquiſitæ tertianæ, cujuſque paroxyſmi interdum ad 40 uſque horas extenduntur. Unde ea diviſio ſemitertianæ, quam *Galenus affert libro de typis*, potius ex Agathini ſententia, quam ex rei veritate traditur. Parva viginti quatuor, media triginta ſex, magna quadraginta octo horarum ſpatio finitur, quæque continuæ jam proxima eſt. Sed hæc tertiana notha eſt, non ſemitertiana, quæ continua eſt. *Diviſio hæmitritæi ſecundum Agathinum*

VII. Sed inſuper notandum alias eſſe diviſiones ſemitertianæ allatas ab Arabibus, quas *Gentilis in Avicennam, cap. de hæmitritæo*, dicit introductas fuiſſe antequam *Galeni* & *Avicennæ* ſcripta ad nos perveniſſent. Devidebant ſcilicet hæmitritæum in majorem, minorem, & medium, & quidam quartam ſpeciem addebant, quam vocabant *hæmitritæum nondum baptiſatum*. Major hæmitritæus eſt, quando quartana continua jungitur tertianæ intermittenti, qui caſus admodum rarus eſt. Minor eſt ea quam ex *Galeno* deſcripſimus, quamque exquiſitam vocat, quando tertiana intermittens quotidianæ continuæ copulatur. Medicis contra quando tertianæ continuæ connectitur quotidiana in- *Diviſio ſecundum Arabes.*

Rr ter-

termittens. Sed hæmitritæus nondum baptisatus est quando tertianæ continuæ quartana intermittens adjungitur, quam divisionem sequitur *Guainerius*, sed est præter Galeni mentem, qui tantùm hæmitritæum agnovit compositum ex tertianâ & quotidianâ. Reliqui tamen implexus quartanæ & tertianæ sunt possibiles, & à Galeno probantur, *cap. x. de diff. febrium, lib. 2.* *Ex iis*, inquit, *quæ diximus de febre pituitosâ, & biliosâ invicem permistis, licebit hæc ad atram bilem transferre, & de implexu cum utraque ac temperamento conjicere, implexum nominantes ubi diversis horis incipiant, temperamentum verò ubi initium eodem tempore fit.* Ubi probare videtur *Galenus* implexum quartanæ cum aliis febribus. Sed hæmitritæi nomine non sunt donandæ, nec Galenus unquam eas ita vocavit. Itaque illis omissis ad verum hæmitritæum redeamus.

Causa. Cujus causa bilis est & pituita, quarum hæc intra, illa extra vasa putrescit, succedere potest tertianæ extensæ & nothæ, quæ ex eisdem humoribus fit, sed extra venas putrescentibus, hinc putredo in majora serpens vasa semitertianam concitat, propterea quæ bilem pituitamque generant, etiam huic febri occasionem præbent, ut victus promiscuus & inordinatus, immutatio vitæ à negotio ad otium, ab otio ad negotium: Autumnus ob antegressum æstum qui succos adurit, ob subitam ad frigus mutationem, & plurimorum fructuum esum, qui crudis humoribus materiam suppeditant. Frequens est Romæ, & in Æthiopiâ cæterisque locis, ubi cœlum calidius cum adventitiâ humiditate: Sedes ejus ventriculus est & hepar, ventriculus ratione pituitæ, hepar ratione bilis.

Signa. VIII. Diagnostica signa ex prædictis haberi possunt, scilicet si in febre continuâ tertio quoq; die contingant exacerbationes, cum horrore, hæmitritæus est, tùm quæ differentias ejus distingunt ex prædictis colligi possunt, sed præterea lethargicæ adsunt affectiones, & veluti mentis stupores, stomachus dolere consuevit, lingua arida est, pulsus quam in febre quotidianâ major & frequentior, minùs tamen velox quàm in tertianâ, urinæ variæ & semper crudæ, in quibus signa coctionis tardissimè apparent. Vomitus adsunt interdum biliosi, interdum pituitosi, rarò finitur cum sudore copiosa, sed sæpius alvi excretione, urinarum copiâ, vel parotidibus.

Prognostica. IX. Prognosin autem quod spectat, hemitritæus est valdè periculosa & lethalis, tum propter varium contrariorum conflictum, tum quia nullum tempus relinquit ad corpus alendum coquendos cibos, humo-

humores noxios edomandos, vires reparandas, unde excrementa copiosè cumulantur, tùm demùm ſtomachum, nervoſaſque partes lædit, unde frequens ſyncope ſuccedit. Scripſit *Hipp. 1. Epid. ſect. 8. textu 5.* In ſemitertianâ morbi fiunt acuti, unde præter cætera eſt lethalis, ac tabidi & qui longis morbis laborant, præcipuè tenentur. Mirum hic quomodo inter acutos & diuturnos numeret ſemitertianam. *Avicennas* eam ſcribit extendi uſque ad ſeptem menſes, *Galenus libro de typis* ſecundum Hippocratis mentem vult eam non ſolùm acutis, ſed etiam diuturnis eſſe annumerandam. Reſpondet *Mercurialis* id fieri quia ex diuturnâ degenerat in malignam, Maligna enim eſt & naturâ ſuâ & gravium ſymptomatum acceſſione, & quia febri quæ nunquam intermittit nova febris ſuccedit. *Parum remitti, & ex levi remiſsione violentius exacerbari maligni morbi inditium eſt.* Malignitatem augent partis affectæ conditio, humoris copia, variuſque motus. Igitur ratione ſui morbus eſt acutus, quamvis interdum chronicis morbis accidat & tabidis, quia propter coctricis debilitatem humores crudos copiosè congerunt, qui à calore febrili aduruntur, & putreſcunt, ſicque hemitritræus contingit. *In Coacis* τὸ φρικῶδες, καὶ τὸ διαπαντὸς ἐν τοῖσι πόνοισι, σημεῖα φθινώδεα horrent enim tabidi, quia acris humor thorace contentus membranas vellicat, unde ex ſympathiâ quam partes inter ſe habent reliquæ concutiuntur & horrent: Et hoc modo acuta dici poteſt & diuturna. Periculoſam autem eſſe docet *Galenus libro de typis* quod non ſolum ſtomachum & nervoſas partes lædat, ſed lethargicas paſſiones attonitaſque vigilias invehat, animi defectionem, ſyncopenque inferat, humores in alto latitantes commovens; In univerſum typus hic ferus & periculoſiſſimus eſt, *Febres non intermittentes, quæ tertio die fortiores fiunt, magis periculoſæ, aphor. 43. lib. 4. & in Coacis febres* τριταιοφυεῖς *cum anxietate conjunctæ malignæ ſunt.*

x. Curationem quod ſpectat, miſta eſſe debet ex iis quæ pituitam *Curatio.* bilemque præparant & purgant, qualem curationem deſcripſimus capite de tertianâ notha. Eodem enim prorſus modo curandæ ſunt omnium authorum conſenſu, niſi quod in hemitritæo major pituitæ habenda ratio eſt, magiſque cardiacis utendum & roborantibus. *Cornelius Celſus* ſanguinem mittit, niſi quid impediat, *Sed Galenus & Arabes* illius remedii non meminere, & ſane niſi adſit ſanguinis copia venæ ſectione abſtinendum, vires enim maximè laborant; Circa purgantia monet *Avicenna*, ut præparemus, purgemus, vomitum urinaſque cieamus,

mus, ſed blandis medicamentis, tum ut accedente ſtatu demus abſynthium ad ventriculum & viſcera roboranda, quæ propterea roborari poſſunt, aſſumptis & admotis, ut prius fuit explicatum. Cum duæ hic ſint febres quidam conſiderant in quo ſint tempore, nam ſi ambæ increſcant, purgandum, ſi continua ſit in ſtatu nihil movendum, ſed ſi bilioſa ſit in ſtatu, poterit vacuatio blanda concedi ad pituitam vacuandam. Et hæc de compoſitis febribus.

Caput XIV.

De Symptomaticis febribus.

I. Febres diviſimus in primarias & ſymptomaticas, Illæ à nullo alio morbo dependent, hæ vero morbum aliquem tanquam umbra corpus ſequuntur, cur autem ſymptomaticæ dicantur explicavimus *capite de diff. febr.* Nunquam autem docente *Galeno* à veteribus febres vocabantur. Sunt autem omnes continuæ, nunquam intermittentes. Eſtque earum cauſa non in venis majoribus concluſa, ſed parte quapiam contenta, ex quâ calor febrilis in univerſum corpus dimanat. Earum genera ſunt quam plurima, *Vnum* ſequitur inflammationes, quæ ſi externæ ſint, & à corde longiùs diſſitæ tantùm faciunt ephemeram, ut in bubone, quia ſolâ partium continuitate cor alteratur. Internæ verò cordi proximæ putridam febrem concitant, ut in pleuritide, peripneumoniâ & cæteris, quas varius nominibus diſtinxit *Aëtius*, in lipyriam, typhoden, crymoden, ut diximus *capite de lipyriâ.* Nam ephemeræ docente *Gal. 2. aph. 18.* nec ex putredine, nec ex internâ inflammatione ortum habent; Attamen ſi inflammatio ſit exigua, fieri poteſt ut nec acutâ, nec putrida febris ſuccedat, ſic docet *Gal. 2. prorhet. 17.* ex jecoris inflammatione non ſemper fieri febrem acutam, aut ſi pars à corde ſit remotior. Differunt autem febres ſymptomaticæ à ſeſe invicem & cauſis & parte affectâ, nam quæ fiunt ab ereſypelate fortiores ſunt iis quas phlegmone parit, quanto bilis ſanguine ferocior eſt, tum quæ propiùs ad cor accedunt, vehementiores ſunt iis quæ longiùs âbſunt; Item quæ ſunt in partibus ſanguineis benigniores ſunt iis quæ nervoſis partibus inflammatis ſuccedunt, nam ſymptomata ex nervoſis partibus ſunt multò graviora & maligniora, ut dolores, vigiliæ, convulſiones, quamvis in ſanguineis ſoleant tumores

Primum genus ſymptomaticarum.

mores fieri majores, ſicque ſæpe calor erit vehementior, ſed minùs periculoſus. Præterea febres quæ ſequuntur tumores partium arteriis refertarum, ſunt fortiores iis quæ fiunt ex aliis partibus, in quibus tantùm ſunt venæ, quod tamen capiendum eſt cæteris paribus, poteſt ſiquidem tumor ex parte venoſâ majorem febrem inferre quam arterioſâ, ſi venoſa ſit cordi propinquior, nobilior, majorique inflammatione laboret, ſic inflammatio cavæ hepatis vehementiorem febrem concitat, quàm inflammatio ſplenis, & tamen ſplen arteriis refertus eſt. Dicuntur autem febres ſymptomaticæ ſequi motum humorum ex quibus generantur, ut in pleuritide febris videtur tertiano circuitu exacerbari, etſi nunquam intermittat, ex *Galeno & Tralliano.*

II. Deſtinguitur à primariâ quod nullis periodis exacuitur, urinæ raró putredinis habent indicia, niſi interdum ex affectâ ſede putredo obrepat in venas, diſtinguitur etiam inflammatæ partis ſignis, qualia ſunt actiones læſæ, excreta, qualitates mutatæ. Actiones ſunt pulſus, dolor, laſſitudo; Pulſus durus eſt & inæqualis uſque ad declinationẽ. Dolor comes eſt inflammationis, partemque læſam oſtendit, & qua parte ſentitur laſſitudo, ea ſedes eſt morbi; Actio quoque partis alicujus læſa oſtendit eam affici, ſed præterea pars unaquæque propria ſua habet ſymptomata, quibus ipſius affectus dignoſcuntur. Urinæ ſi parùm à naturali ſtatu ſint immutatæ febris oritur à parte determinatâ, oſtendunt enim vitium non eſſe in venis. Sudores quâ parte erumpunt affectam partem indicant, *4. aph. 38.* & quâ parte corporis calor eſt, vel frigus, ibi morbus *aph. 39. lib. 4.* Sed inſuper inflammationibus fiunt aliquando rigores, refrigerationes, horrores, maximi & longiſſimi *4. aphor. 48.* *Signa.*

III. Solent autem hæ inflammationes reſolui intra 14. vel 20. diem *ex 1. aphor. 12.* Sed ſi febris vigeſimum ſuperet expectanda ſuppuratio eſt, tum ſi quo tempore illam ceſſaturam ſpes erat, ſymptomata augeantur, & ſi rigor ſæpiùs accidat, abſceſſum fieri veriſimile eſt *2. pronoſt. 38. & 4. de locis affectis*, pulſatio poſt vigeſimum diem, aut increſcens, aut perſeverans, pariter ſpirandi difficultas aucta, ſuppurationem minantur. Monet quidam non ſemper has febres ſequi inflammationem, quin potius eas inflammatio ſequitur, unde potius comitatas quam ſymptomaticas illas *Platerus* vocandas cenſet, incipit febris primaria, cujus humor orgaſmo continere ſe non poteſt in venis, ſed ob copiam, tenuitatem, acrimoniam effundit ſeſe in viſcera, *Prognoſtica.*

 ibique

ibique phlegmonen, vel eresypelas concitat, à quibus postea febris fovetur & conservatur. De quibus febribus intelligendi sunt multi Hippocratis loci in *Coacis & prorheticis*, *Præcordiorum dolores in febribus si sine sudore solvantur cum loquendi impotentiâ, maligni sunt. In his dolores ad coxendices, & alvus soluta perniciem ostendunt*, *prorhesi 90. lib. primi*. Id repetit *coaca 297. & 299*. Item in febre palpitationes circa ventrem, ecstases pariunt, & Hæmorrhagia cum horrore accidit *Coaca 298. & prorhesi 144.* addit hypochondrii ξύντασιν ὀγκώδη, ut intelligatur hypochondriorum inflammatio quæ horroris sensum sæpe inducit, acribus humoribus præcordiorum membranas lacescentibus, nam *1. Epid.* inter hæmorrhagiæ futuræ signa recensetur hypochondriorum ἔντασις, ut videri potest apud *Galenum* in comment. Periculum designat Hippocrates cum scribit *febres implacidas*, id est in quibus ægri eodem loco jacere nequeunt, cum *hypochondriorum contentione*, ab inflammatione obortâ, multâ curâ & custodiâ indigere, fiunt enim ab inflammatione in intimis visceribus conceptâ, ut alibi diximus.

Curatio. IV. Curatur eodem prorsus modo quo tumor à quo dependet, & quamvis refrigerari & humectari febris postulet, à balneo tamen & aquæ frigidæ potu abstinendum, quia balneum humores commovet ad locum affectum, aqua frigida coctionem remoratur, ut docuimus propriis capitibus. Sed *Trallianus* scribit se frigidæ potu eresypelata & febrim extinxisse, & sanè in eresypelate non nocet, sed in phlegmone. *Aëtius* vero balneum prohibet, sed post statum & coctione peractâ frigidissimam aquam & multam imperat, cui consentit *Paulus cap. 31. lib. 2.* Uterque applicat præcordiis refrigerantia, ut lactucam, intybum, sempervivum, portulacam, attriplicem, solanum, plantaginem, cum pane trito, rosaceo & omphacio, ac sæpe renovant ne incalescant, Historiamque narrat *Aëtius* mulieris cujusdam quæ frigidis potibus ex diacodio, cum vino & aquâ curata fuit, cum mors fermè instare videretur. Et de hâc satis.

Secundum genus symptomaticarum. V. Est aliud genus symptomaticarum febrium, quod febrem lentam non acutam complectitur, propterea non ex partis inflammatione aut eresypelate, sed vel obstructione, vel visceris alicujus putrefactione generatur. Obstructio fit ex crassis viscosisque humoribus in aliquo viscere latentibus, præcipue in mesenterio ob venarum exilitatem, quia est universi corporis velut sentina, interdumque in jecore, splene, pancreate, ventriculo, imò & toto corpore, ut in cachexiâ, pal-
lidisque

lidisque virginum coloribus; Hi crassi lentique humores cùm putredinem sortiuntur, febres has ingenerant, placidas mitesque, nulloque gravi symptomate infestas, sed diuturnas, quas videtur sub febris laticæ nomine *Avicennas* intellexisse, atque ut in hecticis, æger vix se febricitare percipit, tamen debilitatur & contabescit. Putredinis quædam vestigia urinæ proferunt, pulsusque nec magnus est, nec vehemens ob virium imbecillitatem, sed tamen celer & inæqualis, viresque sensim & sine sensu labefactantur, ac quantumvis eupepton, euchymon, polytrophum, copiosumque sumatur alimentum, corpus tamen eo non sustinetur, sed universa illius moles absumitur & colliquescit. Oritur autem interdum per se, aliàs acutis febribus succedit, quando humor intempestivè refrigeratus, ita retunditur & incrassatur, ut quasi pituitescat, nec facile deinceps aut concoquatur & ardescat, sed solet ejusmodi febris iterum redire ad pristinam ferociam, accensoq; ut prius, humore. Igitur quando ex inscitiâ Medicus aut frigidæ potum intempestive præscripsit, aut coquendi purgandive occasionem neglexit, morbus acutus retusus in lentam febrem hanc degenerat. Quoties igitur hujusce febris suspicio est, diligenter omnibus expensis signis investigandum, quænam pars præcipuè affecta sit, morbique hujus fomitem contineat, sæpissimè tamen, ut diximus, mesenterium affligitur, ob humorum crudorum copiam, quæ illic stabulatur, atque dejectionibus liquidis, chylosis, subalbis cognoscitur, quia non potest chylus obstructis viis ad hepar deduci. Ad curationem humores crudi & crassi incidi debent & præparari syrupis aperientibus de quinque radicibus, bizantino & similibus, de quibus cap. de quotidianâ satis diximus. ℞. *Radicum aperient. cichorii, oxalid. ana* ℥. j. *folior. agrimon. capilli venera betoniæ, chamad. ana* M. j. *flor. Stoechad. centaur. minoris ana* P. j. *spicæ nardi* ℈. j. *sem. anisi, apii, fœnic. ana* ʒ. j. *f. decoctio ad* ℔ j. *quæ dulcoretur sacchara, clarificetur, & sæpius de die ægro propinetur.* Dein purgetur catholicone, agarico, rheo, sennâ, cuscuta. Postea partes idoneis remediis roborandæ, opiatis, conservis aliisque superiùs in reliquarum febrium curationes recensitis. Celsus cap. IX. lib. 3. *Nonnunquam inquit lentæ febres sine ullâ remissione corpus tenent, neque ulli remedio, neque cibo locus est. In hoc casu medici cura esse debet ut morbum mutet, fortasse namque curationi opportunior fiet,* ad id utitur balneo, aquæ mulsæ potu, inunctione ex oleo & sale. Sed an per lentam febrem nostram intellexerit ignotum est, quicquid sit non est temerariè hoc consilium sequen-

ſequendum, ne acuta febris ſuccedat ægro jam debili, quæ vires omnino proſternat, interdum tamen ut idem ait, quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat.

VI. Eſt alia lenta ſymptomatica, quæ non ex viſcerum obſtructionibus, ſed ex ipſorum putredine corruptioneque emergit, de quâ *Fernelius* primus omnium doctiſſimè ſcripſit. Fit autem non ex humore ullo putri, ſed à tetrâ expiratione, quam putreſcentia viſcera in cor emittunt, eſtque continua, & inſtar hecticæ mitis & lenta, ideoque illam hecticam plurimi eſſe volunt, talis eſt ea quæ pulmonum ulcus in phthiſicis ſequitur, quam *Fernel.* non vult eſſe hecticam, ſed putridam ex putreſcente viſceris ſubſtantiâ prognatam. Dignoſcitur autem quod ſenſim invaleſcit, multoque tempore procedit, aliiſque ferè morbis ſuccedit, rarò per ſe incipit, vacuationibus non miteſcit, & remediis potius exacerbatur, corpus ſenſim marcore conficit, & extenuat, ſyncopenque accerſit. In primo principio forſan ſiſti poteſt, ne ulterius procedat, ſed in progreſſu ſanari non poteſt, ideo remedia adhibenda potius protrahendæ vitæ causâ, quam ſanandi ſpe, pars enim interna, & princeps corrupta redintegrari non poteſt, nam putredo eſt interitus ſubſtantiæ, & privatio à quâ ad habitum non datur regreſſus.

CAP. XV.

De ſymptomatis febrium & primum de dolore capitis.

I. FEbris omnis ſymptomata quædam habet, quæ vel ideam, vel malignitatem vel magnitudinem demonſtrant. Atque quando intenduntur, morbum augent, vireſque labefactant, ad ſe curationem trahunt, aliàs ſpontè evaneſcere ſolent. Graviora autem ſymptomata reddit humoris ſitus, partiumque imbecillitas, ſi quæ enim pars veteri quodam malo afflicta ſit, in febre prima ſolet indoleſcere. Omnia autem ſunt, vel actiones læſæ animales, naturales, vitales, vel ſpiritales, vel qualitates mutatæ. Quædam tantùm explicabimus, à dolore capitis initium ſumentes.

II. Variis autem ex cauſis dolor capitis in febribus adeſſe ſolet.

Primò

Primò ob retentas fæces, unde mittuntur vapores in cerebrum, & huic clysteribus medemur. *Secundò* per consensum aut partis cujusdam, aut totius corporis. Consentit caput stomacho, lieni, utero, jecori, si in illis humor putridus lateat & effervescat. Toti vero corpori in febribus continuis, in quibus tenuior sanguis sursùm impulsus, membranas feriens, dolorem concitat, fitque ab omnibus humoribus & flatibus, cognosciturque ex doloris specie, nam erodens & pungens à bile est & acri vapore, distendens cum gravitate ab humorum copiâ, sine gravitate verò à flatibus. Rationem verò doloris capitis elegantem reddit *Hippoc. lib. de flatib. sanguinis viis angustia in capite contingit, quia flatu replentur, repletæ autem distentionem pariunt, & dolorem à vaporoso spiritu, sanguis autem vi impulsus cum calefactus sit per angustam viam non potest celeriter permeare, multa enim impediunt & obstruunt, inde pulsationes fiunt circa tempora*; quæ ratio vera est in febribus à calidis humoribus generatis quales sunt synochi inflativæ dictæ. Observandum autem quod scribit, *Fernel. cap. de feb. sympt.* dolorem omnem ex febre genitum aut tempora, aut frontem, prioremve capitis regionem occupare, eum vero qui in vertice, aut occipitio, aut circum aures figitur, etiamsi cum febre excandescat, peculiarem habere causam in capite, neque esse symptoma febris: sæpe enim vetus dolor quasi sopitus cum febre irritatus excandescit. *

III. Ad curationem autem scire necesse est, an criticus sit, an symptomaticus; critico enim remedia non sunt adhibenda. Docet *Galenus* I. *ad Glaucon.* criticum distinguere 1. ex specie febris, an calida sit & ardens, nam excretione solvitur, an mitis & diuturnior, abscessu enim terminatur. 2. An sit salutaris vel lethalis, nam in morbo perniciosо bonam crisin nemo speraverit: sunt autem morbi vel naturâ suâ lethales, vel salutares, vel ambigui, quorum eventus ex coctionis & cruditatis signis, viriumque naturæ & morbi consideratione cognoscitur. Coctio salutem, cruditas verò morbi longitudinem, vel perniciem designat. Quod si cætera signa bona affuerint, ut pulsus laudabilis, facies similis sanorum, facilis spiratio, decubitus decens, animus fortis, æqualis totius corporis calor, certius salus significatur. At si cum cruditate contraria prædictis apparuerint, morbus lethalis est. *Tertiò* videndum an in principio dolor invaserit, & ante signa coctionis, tunc enim criticus non est. Adjungenda quoque sunt reliqua signa crisin comitantia, & antecedentia, ut dysphoria crisin præcedens. *Signa doloris critici.*

dens. Solet autem portendere crisin per hæmorrhagiam, vel vomitum. Hæmorrhagiæ futuræ signa sunt, splendores ante oculos obversantes, oculorum hebetudo, rubedo, lachrymæ; malæ naresque rubicundæ, hypochondriorum sine dolore tensio, respirandi difficultas, dolor capitis gravans, distendens, pulsans, narium pruritus, *ex 1. Epid. sect. 2. textu 55. & 3. prognost. textu 37.* Quibus addere possumus consuetudinem, ætatem, regionem, cœli statum, anni tempus, cæteraque humorum calorem indicantia. Vomitus verò critici futuri signa sunt stomachi vellicatio, dolor capitis, vertigo tenebricosa, labii inferioris agitatio, ptyelismos. His signis criticus dolor à symptomatico discerni potest. Futurum autem capitis dolorem ostendunt urinæ instar subjugalium perturbatæ, *ex aphor. 70. lib. 4.* propter vaporum caput petentium multitudinem.

Curatio. IV. Dolorem autem hunc si criticus non sit, curare oportet. Si sit ab humoribus feruidis vitanda lux est, humores enim agitat, vitandus pariter omnis calor à carbonibus, sole, fumo, item quilibet injucundus odor, *ex Aëtio lib. 5. cap. 11.* Ubi quoque ait vitandum esse omnem potum, orisque collutionem, nam statim ab ore, aut humecto stomacho vapores ad caput jam ignitum deferuntur, quod tamen non est absolutè verum, nam potu frigido humor calidus delatus in cerebrum temperatur. At cum curandi ratio optima ea sit, quæ causam tollit, clysteres, venæ sectio, purgatio, ut in curatione febrium dictum, hunc dolorem potissimum demulcent. Sed præterea cucurbitulæ occipitio & cervici applicentur, sine vulnere, si tantùm vapor est, cum vulnere verò si subsit humor. Probat etiam hirudines *Paulus* quæ venis sedalibus utiliter applicabuntur. Parti autem affectæ topica apponantur, ex refrigerantibus. Celsus rosas aceto madefactas imponit, addere possumus *lactucam, portulacam, nympheam, sempervivum, papaver.* unde quidam imponunt farinam hordei cum succo sempervivi subactam, vel cum hyosciamo, papavere, psyllio, contritam, addito oxyrhodino, Embroche ex oleis vel decoctis rerum prædictarum, & oxyrhodino. Cavet autem à repellentibus istis *Avicennas*, si cum cephalalgiâ catarrhus adsit tussisve, ne humor in subjectas partes repellatur, propterea frigidis admiscere possumus temperatiora, ut chamæmelum, lac muliebre, crocum nam cataplasma anodynum ex lacte, croco, micâ panis, oleo rosato, plurimum commendatur, ℞ *florum chamam.* P. j. *flor. violar. rosar. nymphea, furfuris ana* P. j. ß f. decoctio, materia sacculo ex-

cipiatur,

cipiatur, & capiti applicetur. Oxyrhodino quoque oleum chamæmel. addatur. Sed in doloris acerbitate narcotica uſurpentur tum aſſumpta, tum admota, ut laudanum, oleum mandrag. papaverinum, &c. quæ ad vigilias & delirium ſequenti capite præſcribemus. Sed de lacte dubitatur an conveniat, nam lac prohibet *Hippocrates* capite dolentibus & febricitantibus, & *Avicennas* lac prohibet quando multa adeſt humiditas cum inclinatione ad ſomnum. Reſpondeo lac admotum non improbari, præterquam in duobus caſibus. *Primò* ſi materia ſit humida ſomnum inducens, *Secundò* ſi reſolutione indiget, lac enim poros obſtruit, vaporeſque intus cohibet. Igitur optimè convenit in febris declinatione.

V. Si dolor ſit ab humoribus frigidis, remedia debent eſſe diſcutientia, ex decoctis rerum calidarum, oleo chamæmelino, anethino; & ſimilibus, de quibus capite de dolore capitis agemus.

CAP. XVI.

De vigiliâ & delirio in febribus.

I. Vigilias inferunt ſecundum Galenum tres cauſæ, dolor, calor, ſiccitas, quibus totidem contraria opponuntur, refrigerantia, humectantia, anodyna: in febribus igitur vigiliæ fatigant à calido acrique vapore cerebri ſubſtantiam feriente, quam exſiccat, calefacit, ſpirituſque attenuat, & mobiles reddit. Mala autem eſt excedens vigilia, *aphoriſmo 3. lib. 2.* & ut cauſa, & ut ſignum. *Vt cauſa* quia coctionem cibi potuſque impedit, cruditates parit, ob evocationem caloris ad externa, cerebrum ſpirituſque exhaurit, corpus deſiccat, & infirmum facit, humores ferociores reddit. *Vt ſignum* verò, quia cerebri ſiccitatem, humoris acrimoniam, ejuſque in cerebrum delationem arguit. *Vigilia.*

II. Ab iiſdem cauſis ſit delirium, fervidâ ſcilicet bile cerebri temperiem evertente, tuncque ſolent urinæ eſſe albæ & puriores ex *Aphoriſmo*, ob raptum & aſcenſum bilis ad ſuperiora. Cognoſcitur futurum, ex importunâ loquacitate, geſtu immoderatiore, aut effrænatâ quavis laborantis impudentiâ, hinc à *modeſto & prudenti viro ferox reſponſio malum*, ſicut contrâ in omni morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur bonum. Ideo in causâ ſitiferâ non ſitire ma- *Delirium.*

lum, ſicut in causâ dolorificâ non dolere, nam qui aliquâ parte dolentes dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat. Inſaniæ autem & phrenitides in principio acutorum apparentes ſunt funeſtæ, & quæ ſuperveniunt internis inflammationibus, ut peripneumoniæ, pleuritidi *aphor. 12. lib. 7.* propagatâ ad cerebrum uſque causâ morbificâ. Quæ autem contingunt in ſtatu poſt ſigna coctionis non ſunt formidandæ, ſicut tutiores ſunt quæ accidunt cum riſu, quam quæ ſerio, & cum feritate contingunt.

Curatio vigiliarum.

III. Quando igitur vigiliæ infeſtant, quia morbum augent, viresque labefactant, illis citò occurrendum, ſicut & delirio, internis & externis, quod ſæpe non eſt adeo facilè; Occurrerunt ſæpe mihi tales vigiliæ quæ nullis narcoticis cedere poterant. Conveniunt igitur refrigerantia primùm & humectantia, dein narcotica, ut *emulſiones, ſyrupus de papavere, de nymphea, diacodium, cum aquis vel decoctis lactucæ, nymphea, portulacæ & ſimilium.* In quorum uſu id obſervavi, cum vigiliæ rebelles ſunt, non tantùm horâ ſomni ad parvam doſin debere propinari, ſed ſæpiùs de toto die, ſicque tandem æger in placidum ſomnium labitur. Tandem ad *Philonium, pilulas de cynogloſſâ*, veniendum, ſi cætera non ſufficerent; Laudanum creditur eſſe prædictis tutius, quia magis extractione correctum, ſane minore doſi datur, & id tantùm habet commodi, aliàs prædicta non minùs tuta ſunt, ut *cap. de vigiliis tomo ſecundo* pleniùs demonſtrabo, ubi ineptas Quercetani circa laudanum cautiones refutabo. *Gentilis* laudat opium vino diſſolutum & potum. *Hollerius* aquam ſtillatitiam è floribus croci ad ℥. iiij. propinatam, quæ mihi ſuſpecta eſt ob vim croci deleteriam, quæ in qualibet illius parte magna eſt, in radicibus & flore; Syrupus ſequens ſomniferus mihi eſt inſtar omnis ſyrupi. ℞. *capitum papaveris albi recentium & contuſorum* ℥. x. *florum nymphea* ℥. iij. *florum papaveris rhoeados* ℥. j. ß. *florum violar.* P. ij. *foliorum lactucæ, ſempervivi, portulacæ ana* M. ij. *ſeminis lactucæ, portulacæ ana* ʒ. ij. *opii grana* vj. *aquæ* ℔. v. *coquantur lento igne dum capita contabuerint, dein cætera addantur, & cum Sacchara fiat ſyrupus.* Præſtantior eſt ſyrupis de papavere officinalibus. ℞. *Confectionis alchermes* ʒ ß. *ſyr. de papav. de nymphea ana* ℥. j. *aquar. vel decocti lactucæ, portulacæ, nymphea* ℥. iij. *f. potio danda horâ ſomni.* Foris fiunt lotiones tibiarum ex decocto foliorum *vitis, arundinis, lenticulæ aquaticæ, ſalicis, portul. lactucæ, cucurb. cucum. melon. nymphea, roſarum, violarum, ſolani, mandragoræ, hyoſciami, ſempervivi, papaveris albi,* & ſimilium,

quo

quo decocto foveri quoque poteſt caput, addito coriandro, floribus chamæmeli, & roſar. & ſeminibus frigidis, ſicut quoque prædictorum vapor naribus excipi poteſt, quibus illini quoque poteſt oleum aliquod narcoticum, cum quibuſdam granis opii. Succum memithæ, ſive chelidoniæ agreſtis laudat *Gentilis* ſupra omnia. ℞ *ung. populeon.* ℥ ß. *olei papav. nymph. ana* ʒ ij. *opii g.* iij. *Miſce f. linimentum, quo tempora & nares illinantur.* ℞ *flor. violar. nymph. papav. ana* P. j. *corticis mandrag.* ʒ iij. *opii g.* vj. *croci grana* iiij. *ligentur in ſyndone, fiatque nodulus, naribus ſæpe admovendus.* Suntque linimenta ſæpiùs renovanda, quia ſtatim incaleſcunt; Non eſt autem utendum narcoticis inſtante criſi, ne naturæ motus inhibeatur, atque intùs aſſumpta nocent mulieribus, corporibus mollioribus, memoriam lædunt, & ſæpe lethargum excitant. Quidam ipſi ano admovent ſuppoſitorium ex opio, aut compoſito narcotico cum melle. Præter hæc *Paulus* ad ſomnum conciliandum præſcribit frictiones & ligaturas extremorum, ad ægros defatigandos, quas ſtatim ſolvit, ut poſtea æger in ſomnum labatur, ſed ligaturæ debent eſſe leves, ſæpiùs repetitæ, cavendumque ne æger ſit arthriticus. *Aëtius* laudat crocomagma & trochiſcos cypheos, quæ tamen capite noxia ſunt ob crocum, & cyphi, & quamvis iiſdem *Galenus* utatur ad dolores qui fiunt ex humoribus acribus, hoc tantùm verum eſt quando ſejuncti ſunt à febre, in febribus autem quibus refrigerantia competunt, non ſunt ſatis tuta hæc remedia.

IV. Delirio eadem conveniunt, ſed præterea utendum clyſteribus refrigerantibus, ſanguinis miſſione, cucurbitulis ſcarificatis, purgationibus, repellentibus, refrigerantibus, iis denique omnibus quæ in verâ phrenitide utilia ſunt. Plurimi commendant pulmones animalium, pullos gallinaceos vel columbarum recenter necatos, & calentes capiti impoſitos, nam blando ſuo tepore cerebri fervorem temperant. Quidam etiam adhibent extremis partibus veſicantia, quæ *Mercurialis* non improbat, ſi valde urgeat delirium, ita ut curationem ad ſe trahat febre relictâ. Cavere autem debent adſtantes ne iraſcendi occaſionem ægro dent, quin potiùs omnia illi concedant, non enim audiendi ſunt qui durius illos tractari volunt. Conſideranda quoque pars ea eſt è quâ delirium procedit, ne illi noceamus, ut in inflammatione pulmonis abſtinebimus à ſyrupis adſtringentibus, *de agreſtâ, de granatis*, & ſimilibus qui ſputi eductionem non promovent, ſed remorantur, quorum loco utimur *ſyrupo jujubino, violato de papavere.* Sed in *Curatio delirii.*

 hepatis

hepatis inflammatione timere non debemus adſtringentes ſyrupos, quia partes pectorales non ſunt in vitio. Topica ſint epithemata varia partibus affectis apponenda, inter quæ laudat *Rondeletius* ſequens ℞ *decocti hordei & violar.* ℔ j. *olei violati qr.* j. & panni intincti applicentur, convenit pleuritidi, peripneumoniæ, febribus ardentibus, hecticis, colliquantibus, nam refrigerat, humectat, thoracem lenit, reſpirationemque liberam reddit.

CAP. XVII.

De ſomno in febribus.

I. NAturalis ſomnus cauſas arguit moderatas, præternaturalis contrarias, ut in lethargicis; ſomnus ſi modum excedat, ſicut & vigilia noxius eſt, *aphor. 3. lib. 2.* præcipuè ſi laborem ægrotanti afferat. *In quo morbo ſomnus laborem facit lethale, aphor. 1. lib. 2.* Nam ſomnus ex naturâ ſuâ viſcera omnia roborat, ſpiritus reparat, cauſas morbificas concoquit. Funeſtum igitur eſt ſi ſymptomata, febris, dolor, delirium, gravitas capitis, inflammatio, cæteraque ingraveſcant & exacerbentur, aut ea ſomnus accerſat, ſicut contra, quando ſomnus delirium ſedat bonum, *aphor. 2 lib. 2.* ubi paraphroſynes exemplo reliqua intelligit ſymptomata; Delirium quidem facere poteſt & dolorem, quia vapores acres & calidi in cerebrum ſublati lædunt phantaſiam, vaſa diſtendunt, & exagitant. Auget verò febres & inflammationes internorum viſcerum, quia per ſomnum intrò revocantur humores, ſicque febri & inflammationi materiam ſuppeditant, unde & initiis acceſſionum, & in internis inflammationibus, & in peſte ſomnus noxius eſt, præcipuè ſi multa ſit cacochymia, nam ſymptomata auget materiâ in intimum corpus cenfluente *aphor. 1. lib. 2.* Malus eſt igitur ſomnus immodicus & ut cauſa, & ut ſignum. Ut *cauſa* quia torpidum diſſolutumque corpus reddit, capitis gravitatem parit, excrementorum omnium effluvia cohibet. Ut *ſignum*, quia arguit imbecillitatem caloris nativi, qui non potuit materiam evincere & edomare, tum indicat cerebrum eſſe nimium refrigeratum, & humectatum, materiamque morbificam contumacem. Ideo excitationes ipſas è ſomno turbulentas & feroces valdè exhorreſcit *in prorhet.* & convul-ſionis

ſionis prænuntias eſſe exiſtimat, potiſſimùm ſi cum ſudore quodam appareant, qui ſymptomaticus vel diaphoreticus eſt, oſtendit enim ejuſmodi ſomno humorem morbificum non fuiſſe edomitum, ſed potius exacerbatum. Ideo febres ſomniculoſas non minus periculi plenas eſſe ſtatuit, quam pervigiles, nam temperari ſomnus & vigilia debent, ſiquidem ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt. Non eſt tamen omnis ſomnus longior lethalis, nam *Coaca 151.* ſomni profundi & non turbulenti criſeos firmitatem denuntiant, quos ibi diſtinguit à comate & cataphorâ. Placidi ſomni ſunt quando inter dormiendum non perturbatur æger, aut commovetur, nugatur, delirat, aut turbulentis inſomniis divexatur. ſcribit *Actuarius* ſomnos accedentes qui antea deerant ægrum à languoribus levare, & in phrenitide ac febribus judicii firmitatem ſtabilire, nam contingit interdum ex *Galeno 2. prorhet.* ægros poſt criſin integrum diem placidè dormire, præcipuè ubi per plures dies inſomnes fuerint, idque maximo naturæ ſolatio. Sic pueri dormiunt nonnunquam per biduum, in quibus tamen ſomnus non dicitur eſſe immodicus, quia talem neceſſitas exigit, ac manifeſta utilitas excipit, iſque cauſis naturalibus ſuccedit. At quando præter neceſſitatem, cauſarumque præternaturalium vi ſomnus obrepit, profundior ille, immodicus, & noxius cenſendus eſt, atque excitatis laborem afferre ſolet.

11. Fit autem ſomnus in febribus, aut ob pituitæ copiam in cerebro putrefactæ, ut in lethargicis, aut ex vaporibus frigidis in cerebrum elatis, qui condenſati ſomnum accerſunt, Interdum contingit ob nimium uſum narcoticorum, aut ob ſummam debilitatem exolutionemque virium, unde calor ad ſenſoria uſque extendi non poteſt, ideoque talis ſomnus profundus cum pulſuum debilitate lethalis cenſendus eſt, in quo roborantibus calorem nativum, cibo potuque utendum eſt. Sed ſi fiat à pituitâ, aut vaporibus pituitoſis opus eſt diſſipantibus, quæ vapores aut reſolvant, aut revellant; Revellunt autem clyſteres acres, ſuppoſitoria, frictiones extremorum, ligaturæ dolorificæ, cucurbitulæ ſcapulis appoſitæ cum ſacrificatione, phœnigmi, veſicatoria; Vacuant verò *Sternutatio* ex helleboro, euphorbio *ſuffitus* ex aceto acerrimo tegulæ candenti inſperſo, odor panis cum aceto, *odoramenta* ex rutâ, caſtoreo, coriis peruſtis, extinctâ lacernâ, quem tamen odorem improbat *Aëtius*, quia nimis cerebrum ferit; *Apophlegmatiſmi* ex diſcutientibus, inunctio palati, ex *theriacâ, mithridatio, hierâ*

picrâ.

pierâ. Confert quoque olfacere peucedanum, thymbram, pulegium, ſpicam nardi, melanthion. Fotus capitis fiant, ſacculi, cucuphæ ex diſcutientibus, & reſolventibus. Repellunt verò oxyrhodina ex oleo roſato, aquâ & aceto. Sed *Avicennas* maximè probat librorum lectionem; At aliis librorum lectio tantùm abeſt ut ſomnum prohibeat, quin potius eum inducit. Reſpondet *Gentilis*, id fieri ex diversâ audientium legentiumve temperie; Quidam enim pituitoſis in cerebro ſcatent humoribus, qui ſi legendo agitentur & moveantur, ex commotione ſpirituum, meatus cerebri occludunt, unde ſomnus. Si verò humores fuerint calidi, tenueſque, motu illo ſpirituum agitati, vigilias reddunt deteriores, ut plenius explicabimus *capite de vigiliis tomo ſecundo*. Prædictis quoque remediis capitis gravitas, cum eâdem causâ contingat, curari poteſt.

Cap. XVIII.

De ſternutatione in febribus.

I. Sternutamenta in febribus incidentia tribus de cauſis moleſta ſunt ex *Paulo*. *Primò* quia caput replent, quoniam tali motu attrahuntur ad caput humores, maximè in morbi principio, nam in declinatione poſt humoris coctionem, arguunt virtutem naturæ quod noxium eſt expellentis. *Secundò* importuna ſternutatio virtutem reddit imbecilliorem ob motum concuſſivum; *Tertiò* ſanguinem è naribus elicit, qui fluxus ſi intempeſtivè accidat, potiùs nocet quam juvat, maximè ſi Natura hanc viam non affectet. Fit autem à vaporibus cerebro moleſtis quos omni conatu expellere nititur. Quare ſi nimium moleſtet, demulceri debet & temperari, quod fiet frictionibus palati, naſi, frontis, oculorum, colli, ex *Paulo*, aut etiam poſteriorum capitis partium, quibus perfrictionibus reſolvitur humor, ſternutamentum concitans; Pariter oleum anethinum, laurinum, auribus inſtillatum, ſpongia aceto macerata naribus admota eam ſedat, item muſculorum maxillæ ex oleis calidis perunctio, capitis in altum elevatio, inclinatioque ad latus, & pulvinum calidum mento ſubjectum proſunt, hæc enim humores reſolvunt ex *Paulo*. Caveri autem debet repentina à ſomno excitatio, fumus, pulvis & acriorum, ut euphorbii, caſtorei, odoratus. Menthæ verò, pomorum, & panis, vel polentæ odor

odor prohibet ſternutationem, & ſpongiæ ex mari recentes ſecundum *Paulum*; ut pleniùs explicavimus capite de ſternutatione; Symptoma autem rarum eſt in febribus, nec ordinariè cernitur: Ideo de hoc ſatis.

Cap. XIX.

De hæmorrhagia in febribus contingente.

I. SAnguis effluere ſolet ex naribus, vel per anaſtomoſin, vel per diæreſin, vel per diapedeſin, ſanguine tranſcolato, & ſudoris modo tranſmiſſo, quod tamē rarum eſt. Aperiuntur oſcula vaſorū, vel ſanguinis copiâ, vel ejuſdē tenuitate & acrimoniâ, vel ob partis ipſius debilitatem, quæ mediocri copiâ gravatur. Fit verò diæreſis, vulnere, contuſione, eroſione, ruptione. Vulnerant acuta & ſecantia, contundunt gravia rumpunt quæ diſtendunt, ut plethora, clamor, tuſſis; Erodunt verò acria omnia. Demum tranſcolatur ſanguis ſi ſeroſus fuerit, tunicoque ſit rarefacta. Raro autem in febribus, niſi ob copiam, vel calorem, vel utroque modo effluit, ſic juvenes qui ſanguinem fervidum plurimum habent, frequenter hæmorrhagiam patiuntur. Fluit autem ſanguis vel criticè vel ſymptomaticè, vel parcè, vel nimiùm. Eſtque ejuſmodi vacuatio febribus ardentibus inflammationibuſque internis familiaris, quæ debet eſſe larga & liberalis, & fieri ex directo partis laborantis, ut jecore inflammato ex nare dextrâ, liene affecto ex ſiniſtrâ, damnantur ideo ab *Hippocrate* ſanguinis ſtillæ 1. *Epidem*, quia nihil paucum eſt criticum, tùm quæ fiunt cum gravibus ſymptomatis, ut delirio, ſyncope, vel quæ illa accerſunt. *Si hæmorrhagiam ſequitur perfrigeratio malum*, ob extinctionem caloris nativi.

II. Igitur ſi die critico profluat, compeſcendus non eſt, niſi immoderatâ profuſione vires labefactet, ſed ſi parcius exeat, provocandus erit aquâ tepidâ, typhe, ſive gramine ſanguinario, pennâ naribus immiſsâ. Quod ſi nimis abundè profluat, vel criticè vel ſymptomaticè, omni arte ſiſtendus eſt. Idque vel ipſius affluxum prohibendo, vel locum apertum occludendo. Primum quatuor remediorum generibus perficietur, revellentibus, derivantibus, lipothymiam inducentibus, & refrigerantibus internis, nam externa refrigerantia locum apertum

occludunt, quam curandi rationem insinuat Hippocrates 6. Epidem. *Sanguinem è venis fluentem sistunt animi deliquium, figura aliò tendens, interceptio, linamenti in orbem convolutio, oppositio, deligatura,* quam sententiam admirabilem in commentario vocat *Galenus*, eamque fusè exposuimus *capite de hæmorrhag.* Primum igitur sanguis revellendus est, frictionibus partium externarum, deligaturis validis, imò ipsam præputii deligationem peculiari vi hæmorrhagiam compescere scribit *Paulus.* Quidam frictiones instituunt ex calefacientibus, pipere, pyrethro, & similibus, quorum calore humores potentius revelluntur. At sæpe inde sanguis fervidior redditur, & faciliùs caput petit. Utuntur alii lotionibus partium inferiorum, sed *Galenus 1. ad Glauconem 14.* docet Balnea sanguinis fluxum acriùs irritare, calore enim suo corpus universum calefaciunt. Revellunt pariter clysteres, purgationes, cucurbitulæ hypochondriis affixæ, jecori si ex dextrâ nare, lieni si ex sinistrâ sanguis dimanet, si ab utraq; utriq; visceri affigendæ; *Avicennas* mammillis è directo naris fluentis applicat, pariter quidã cruribus apponunt; sed venæ sectio omnium optimè revellit, quæ ideo sæpiùs repeti debet, parum singulis vicibus extrahendo. *Secundò* sanguinem derivant sectio venarum sub linguâ, in auribus, scarificationes, hirudines, cucurribitula scarificata cranio imposita, ut quibusdam placet, potius vero occipiti & principio spinalis medullæ. *Tertiò* lipothymia sanguinem compescit, nam ex animi deliquio sanguis ad interiora recedit, sicque avertitur à nare fluente. Inducitur autem variis modis, improviso fastidio, nuntio inopinato, dolore gravi, ut si digiti, manus, testes, mammæ in mulieribus arctè vinciantur, sed hoc remedium ad revulsionem referri potest. *Quartò* refrigerantibus internis & externis est utendum. Intùs conveniunt syrupi *de agrestâ, de portulacâ, de ribes, conservæ rosar.* nymphea &c. adstringentia. Sal prunellæ cum aquâ adstringente propinatum sanguinem undequaque fluentem sistit, nam eum abundè refrigerat, quo remedio sæpe usus sum fœliciter, edoctus primum à *Scharpio* Medicinæ apud Monspelienses Regio Professore, & quidem sequenti remedio hæmorrhagiam in quâdam muliere sedavi, omnibus aliis irritis. ℞ *syrupi de rosis siccis, de plantag. cytoniorum ana* ℥iß. *aceti vini albi* ℥ß. *aquar. symphyti, plantag. ana* ℥ iiij. *salis prunellæ* ʒ j. *Sp. vitrioli guttas x.* M. *fiat Iulep.* Si cætera non proficiant, ad narcotica confugiendum, ut *philonium, laudanum, requiem Nicolai,* & similia. ℞ *conservæ rosar. symphyti ana* ʒ j. *laudan grana* iiij. M. *f. bolus.* Externa refrigerantia sunt

sunt & adstringentia, quæ variis partibus apponuntur hypochondriis, testibus, capiti, naribus. Inter quæ laudatur oxycratum ore contentum, naribus attractum, fronti, facieique aspersum, quia constringit & repellit, & probatur ab *Aristotele sect. 9 problem. sect. 9.* At Cassius in problematis quærit cur aquâ frigidâ sanguinis fluxus augeatur. Respondet id fieri quia vasa constringuntur, sic replentur, distenduntur, & distenta reserantur. Rectè huic contradictioni satisfacit *Mercurialis*, si in principio aqua frigida affundatur, id fieri scribit quod ait *Cassius*, scilicet sanguis fervidus cohibitus vasa replet & frangit, sicque uberius postea profluit. Sed postquam sanguinis aliqua quantitas effluxit, nullum periculum impendet repletionis vasorum, propterea tutò aquæ frigidæ affusione reprimi potest. Loco simplicis, aquæ stillaticæ *rosarum, plantag. portul.* aut earum succi valdè prodesse possunt. Eadem epithemata capiti, testibusque admoveri possunt, probatque *Avicennas* aquæ frigidæ balnea, quæ tamen non sunt àdeo tuta in febribus, aut saltem non quolibet tempore, potius hepati & spleni lintea prædictis madefacta aut oleis adstringentibus imbuta apponantur. Possunt quoque eadem collo & venis jugularibus adhiberi. Fronti quoque & temporibus emplastrum ex bolo armenâ, argillâ, terra sigillatâ cum aceto admoveatur. Postremo in nares adstringentia immittantur, ut medicamentum *Galeni*, ex aloe, mannâ thuris, albo ovi & pilis leporis, quo quidam credunt etiam ex arteriis fluentem sanguinem posse cohiberi. Thrombus quoq; in naso factus, si non expurgetur, obturat orificia vasorum, & sanguinem cohibet. Idem præstat spongia poscâ imbuta, tũ hœdi coagulũ, vel leporis, instar turundæ inditũ. Proprietate conveniunt stercus asininũ, porcinum, vel capræ linteolo ligatum, cujus quoque pulvis si sanguini dracon. argillæ, thuri, mastiche admisceatur, præstantior erit. Præter hæc à proprietate conveniunt lapis hæmatites, corallus, jaspis. Victus sit refrigerans, sanguinem incrassans, vinumque prætermittatur, nisi ex immodicâ vacuatione vires prosternantur, nam solo aquæ potu plurimos curatos vidi, quibus familiariter sanguis proffluere solebat. Quæri posset quantum sanguinis homo innoxiè amittere possit, quod est cognitu necessarium, cum insignes hæmorrhagiæ Medicis & adstantibus formidabiles sæpe contingant. Sanguinis quantitatem metiri non est possibile, cum eadem non sit in omnibus. Sed historias habemus insignium hæmorrhagiarum, nam *Avicennas tertio Canon. fen. 5. tractat. primo, cap: ix.* hominem superstitem

Dubium.

Quæstio.

tem esse posse testatur emissis viginti quinque sanguinis libris. Refert *Brassau. aphor.23. lib.4.* illustri cuidam mulieri sanguinem effluxisse ad viginti duas libras quæ tamen sanata fuit. Idem *Amatus Lusitanus* de aliis prodidit. *Massariâ* quoque narrat puellæ annorum undecim profluxisse sanguinem ad libras duodecim, quæ tamen sanata quoque fuit. Curavi mulierem quæ per hebdomadas tres plusquam sanguinis libram unam singulis diebus amiserat. & de hæmorrhagiâ satis, de quâ, sicut & omnibus reliquis morbis, abundè scribemus sequentibus operum nostrorum voluminibus.

CAP. XX.

De linguæ scabritie, nigredine, deglutiendi difficultate, inappetentiâ, gustu depravato.

I. TUnicam habet lingua communem cum ore, gula, stomacho, ventriculo, quibus propterea facile consentit, nam in febribus sæpe exasperatur, & nigrescit. Idque vel à causâ extrinsecâ, vel ab internâ. Externâ ut ab immodico æstu, cum quis hiante ore dormit, aut ab immodicis querimoniis, planctibus, vociferationibus, tuncque nulla adest sitis. Internâ vero, calore immodico ventriculi, vaporibus acribus in os, fauces, palatumque elatis, à quibus lingua primùm exsiccatur, dein scabra nigraque efficitur, postmodum finditur, eademque affectio totum os, asperam arteriam, oesophagumque interdum occupat ex *Hollerio*. Hinc linguæ asperæ, multumque siccæ, atque alieno colore inbutæ passim phreniticæ ab *Hippocrate* vocantur. Valde notandum quod idem scribit, si in medio linguæ ubi linea linguam per medium dividens excurrit, post ejusmodi alienos colores, appareat saliva alba ob edomitos scilicet & mitificatos humores, securitatem in morbis pollicetur. Quod si contra bullæ quædam ferventes, aphtæ & velut ecthymata appareant in superficie linguæ pessimum, ob magnum incendium fervoremque in visceribus conceptum. Quod si præterea præcordia mollia reperiantur, periculosius signum est ex *Aëtio*. Vapores autem hi crassiusculi, sive è cerebro, sive è ventriculo in os & palatum delati, vi caloris crassescentes lentores pariunt circa dentes, de quibus est *aphor.53. lib.4. Quibus in febribus lentores fiunt circa*

circa dentes, iis fortes fiunt febres. In Epidemiis addit *malum.* Celsus *lib. 2. cap. 4.* Ait morbi mali indicium esse habere humorem lentum & glutinosum dentibus inhærentem. Addidit in febribus, quia sine illis sæpe fiunt ejusmodi lentores, ex humoribus è capite delapsis, ut in sanis potissimum noctu contingit, & in lienosis, quibus etiam gingivæ computrescunt. In febribus autem mali sunt, quia resiccatur humor ab incendio febrili, interdumque aphtas generat. Iisdem quoque ex causis oritur deglutiendi difficultas, quando aut magna faucium siccitas, aut lenta pituita oesophagi introitum coangustat, etsi nunquam fauces omnino præcludat. Hi pariter humores vaporesque gustum depravant, appetitum prosternunt. Si biliosi sint lingua amarescit, nigrescit, si salsi, omnia salsa gustanti apparent, salvâ interdum appetentiâ, quod tamen rarum est.

Deglutiendi difficultas, appetitus prostratio.

II. Quibus symptomatis occurritur refrigerantibus, humectantibus, lenientibus, & interdum detergentibus, ut *aquâ tepidâ, hydrelæo tepido, decocto hordei, prunor. jujub. violarum, portulacæ, seminis cidoniorum, althææ, malvæ, psyllii, portulacæ;* similiaque humectantia & lenientia decoqui debent additis syrupo violato, granat. nenuph. oxycrato, aquâ lactucæ, prunellæ, sempervivi, cum sale prunellæ, Et si detergendum est addi potest *saccharum candum, mel rosatum*, quibus cum lingua abluta fuerit, vel linteo, vel spongiâ, vel cochleari, detergenda. Avicennas baculo rusci, vel salicis deterget, humectat oleo Amygdalino, vel lacte amygdalino, butyrum recens sæpius aqua rosarum ablutum cum saccharo commistum idem præstat. Aëtius laudat adipem gallinaceum lotum; Commendat idem portulacam, lactucam, symphitum, sumach quoque incoquit mulsæ ad scabritiem detergendam. ℞ *aquæ prunellæ, acetosæ, rosar. ana* ℥iij. *diamoron.* ℥j. *salis prunellæ* ʒß. *fiat gargar.* vel ℞ *hordei mundi* P. j. *tragac. albi, seminis malvæ; cidonior. ana* ℥ß. *liquiritiæ rasæ* ʒiij. *vel succi ejusdem* ʒß. f. *decoctio in aqua hordei, in colat. dissolve sacchari candi, violati ana* ℥j. *sacchari penid.* ℥ß. M. f. gargar. ex Hollerio, qui valet etiam ad cancrum oris. Valde quoque commendat sequens ℞ *sacchari albi, tragac. gummi arabici ana* ʒij. *sem. psyllii, cidon. portul. ana.* ʒß. *conservæ violar.* ℥ß. Uniantur omnia, dein dissoluta in quantitate sufficienti syrupi violati, fiat gargarisma, contra scabritiem arteriæ, & totius oris. Mucilago quoque psyllii humectat, & nigredinem aufert. Colli quoque illitionem commendant *Amatus, Hollerius,* ℞ olei violati ℥ij. butyri recentis ℥ß. prodest *ung. rosʃ. refrig.*

Gal. popul. aut folia *lactuce trita* & cum linteo imposita, ut & alia folia refrigerantia. Decubitus supinus & hiante ore factus multùm nocet, sed sternutationes valdè humectant, quia motu humiditas è cerebro in os excutitur.

III. Iisdem quoque remediis curantur gustus depravatus, deglutiendi difficultas, appetentia prostrata, quia ab iisdem causis generantur. Non omnino autem denegandum est quod æger appetit, nam *aphorismo 32. lib. 2.* deterior cibus & potus, suavis tamen præferendus, quia eum familiarius ventriculus amplexatur; quod si nihil appetat, clysteribus nutriatur ex *jusculis*, *Amygdalatis* cum saccharo, sed prius alio clystere intestina repurgentur, in potu dentur acida, & refrigerantia, ut syrupus de agrestâ, granator. rosarum, demum humor ut prius dictum purgetur.

Cap. XXI.

De spirandi difficultate, raucedine, tussi.

I. Spirandi difficultas in febribus non à distillatione, hæc enim inter febrium symptomata recenseri non debet, vel aliis ex causis generatur, quas quatuor recenset *Avicenna*; Prima est siccitas musculorum thoracem moventium; *Secunda* maximum incendium pulmonum & cordis, cum bilis in causo putrida, turgensque illos sedes occupavit. *Tertia* est humorum calidorum turgentia, tunc impetu irruunt in cor, pulmones, diaphragma, & dyspnoeam pariunt. *Quarta* est imbecillitas facultatis motricis, ut in moribundis, quando præ imbecillitate thoracem movere nequeunt, tunc respiratio frigida est, rara, exigua, sicut in delirantibus rara & magna. In morbis omnibus chronicis & acutis facilem spirationem laudat *Hippocrates*, 1. prognost. Quando autem in febre acutâ, difficultas spirandi adest cum delirio, lethale, affecto scilicet corde & cerebro, *aph. 50. sect. 4.* Quod si simul æstuosus valdè sit spiritus, periculosum, propter maximum febrile incendium; Pariter frigidus valdè exitiosus, quia denotat extinctionem caloris nativi qui in corde residet.

Raucedo. II. Raucedo iisdem fermè ex causis fit, ut plurimum ex humoribus acribus, sive à toto, sive à cerebro in tracheam arteriam demissis, aut

aut à nimiâ vociferatione & querelis ægrotantium, à quibus ipsi etiam sani raucescunt.

III. Tussis pariter affecto pulmone contingit, idque vel symptomaticè, quando tumor in aliquo viscere comprimit diaphragma, ut in jecoris inflammatione contingit, fit præterea in febribus continuis & intermittentibus, vel à tenui humore in pulmones è cerebro delabente, vel ab intemperie calidâ siccâ instrumentorum respirationi inservientium, vel ab eorundem asperitate, estque ejusmodi tussis sicca, talisque solet perseverare. Contingit etiam in principio intermittentium, propter diaphragmatis oppressionem, dum humores & vapores in principio accessionis agitati diaphragma & pulmones tetigerint, tussis illa generatur inanis & sicca, & quæ ægrum non assiduò, sed tantum cum rigore infestat, vaporibus siquidem à calore resolutis cessat: scribit autem *Hippoc. 4. aphor. 54. Quibus siccæ tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, illi parum siticolosi existunt*, quia irrigantur fauces humore tenui & seroso tussim excitante; Nam ut docet *Galenus* à quacunque causâ fiat tussis sicca, semper aliquis humor attrahitur in fauces, qui sitim demulcet. Nocet autem tussis, quia commoto corpore febrem auget, dolorem, vigilias, cæteraque febris symptomata exasperat. *Tussis.*

IV. Spirandi igitur difficultas, si fiat à siccitate musculorum, curatur refrigerantibus, humectantibus & emollientibus, oleo violato, butyro recenti, lacte muliebri, decocto maluæ, altheæ, lini, psyllii, & seminum mucilaginibus, similibusque partibus exsiccatis admotis. Si ab æstu & humorum turgentiâ fiat hæc difficultas spirandi, refrigerantibus internis & externis, venæ sectione, purgatione, aquæ frigidæ potu, epithematis, demum sanatâ ipsâ febre à quâ procedit, symptomata evanescunt. Tussis pariter quæ inchoante accessione contingit, peculiarem curam non postulat, siquidem in incremento & statu sponte cessat; Si perduret ℞ *diacodii* ℥ ß. *syr. violati* ℥ ß. *aquæ papaver. rhoead.* ℥ ij. *specier. diatragac.* ʒ j. M. f. *potio.* ℞ *lohoc sani & de papavere Mesue ana* ℥ j. *syr. viol.* ℥ ij. *Misce.* *Curatio.*

CAP.

CAP. XXII.

De syncope.

I. SYncopen in febribus parit vel morbi ſævities, vel ſymptomatum gravitas, Morbi ſævities contingit ob humores venenatos in febre malignâ & peſtilenti, vel ob eorundem acrimoniam, ut in bile praſinâ & æruginosâ, quæ ventriculi os ferit & vellicat. Si ſit ab humoribus venenatis, alexiteriis utendum; ſi ab humoribus acribus aut corruptis, curatio capite de ſyncopali, & de tertiana repetatur. Ex accidentibus morbi quamplurimis ſyncope ſuccedit, ſi ea nimis urgeant. Quatuor numerat *Paulus* poſt *Galenum*, dolores, vigilias, immodicas inanitiones, motus corporis & animi, præcipuè timores. Quibus tamen addere poſſumus victum tenuem parcumve nimis, qui ſpiritus exhaurit, Syncope autem quæ ſine manifeſtâ causâ contingit, perniciem minatur, præſertim ſi frequenter & initio morborum accidat, inde continuæ febres cum ſyncope ſunt valdè periculoſæ; Nam vel malignitas occultâ ſubeſt, vel interdum abſeſſus quidam latet, è quo teter vapor in cor effertur, qui ſi rumpatur repentinam mortem affert. Dolori, vigiliis, inanitioni, propriis remediis eſt occurrendum, ut alibi fuſius explicabitur; Timores ſedandi blandâ adhortatione, animuſque eſt erigendus, tum frictio extremorum, oculorum ex poſcâ aſperſio, nariumque vellicatio revocant. In gaudio contrà utendum aëre frigidiori, aquæ gelidæ aſperſione, herbis refrigerantibus. Sed paroxyſmus revocatur, frictionibus, optimis odoribus, faciei ex aquâ aſperſione, ſucco granator. Berberis, citoniorum, demum vini uſu, quod etiamſi febri admodum noceat, nihilominus in periculo imminenti levius damnum non eſt adeo formidandum. *Galenus* tamen quem ſequitur *Paulus* in quatuor caſibus vinum improbat, ſi ſit interna viſcerum inflammatio, ſi febris ardens, ſi delirium, ſi capitis dolor; *Avicennas* tamen in ſummo periculo nihil excipit, ut ſi adſit ſyncope, ſed in levi deliquio, prædictos caſus approbat, ut dicemus *capite de ſyncope*.

CAP.

Cap. XXIII.

De dolore Stomacho.

I. VAriis ex causis dolere Stomachus in febribus solet, vel ob malam victus rationem, si ægri se nimiùm potu cibove repleverint, vel ob biliosos humores in ventriculum aliunde transmissos, à quibus dolores atrocissimi, convulsiones, syncope, vomitiones, diarrhϾ contingunt, vel ob inflammationes, eresipelata, vel ob flatus quos cruditates pariunt. Prior causa exactâ victus ratione emendatur; Inflammationis & eresipelatis remedia propriis capitibus describemus. Humores biliosi primùm vomitu educantur, si æger pronus sit ad vomendum, tùm clysteribus, purgatione, dein contemperentur refrigerantibus, ut oxysacchar. succo granator. cidonior. mororum, epithematis, roborantibus electuariis, de quibus jam sæpius diximus. Victus ratio refrigerans sit, stomachusque *oleo rosato*, myrtino, cum santalis & similibus inungatur. Si fiat à flatibus, panis calidus stomacho applicatus, vinoque generoso immaceratus prodest; Pannus quoque lineus in decocto calente carminativo immersus fortiterque compressus apponi debet. Utendum quoque temperatioribusc arminantibus, non calidioribus, ne febrem augeant, ut puleg. fœnic. & de hoc satis. Plura ex proprio capite repetantur

Cap. XXIV.

De ulcere circa os sacrum.

I. SOlet in longis lentisque febribus ex longo decubitu fieri ulcus circa os sacrum, primùm rubescit locus dein inflammatur, ac deinde exulceratur. Ut ulcus præcaveatur cum rubescere incipit, circulum ex lanâ appone, dein emplastrum ex lithargyro, cerusâ cũ oleo rosaceo, myrtino; Quod si jam inflammatio facta fuerit, præter superiora, cataplasma fiat ex solano, polygono, plantagine, sempervivo, scabiosâ cum pane, vel farinâ hordei, sed si ulcus ulterius serpat, addatur lenticula cum malicorio ex *Paulo, & Aëtio*, imo reliquorum ulcerum more curetur.

Cap. XXV.

De Siti.

I. Sitis contingit in febribus vel à calore & ſiccitate ventriculi, totiuſve corporis, vel à copiâ humorum ſalſorum, bilioſorum, aut ab ingenti æſtu pulmonum. In hydropicis contingit vel ab humore ſalſo & putri, vel à ventriculi exſiccatione. Idem contingit iis quos vipera dipſas momordit, ob nimias vacuationes exſiccato ventriculo, ob purgationes immodicas, ob ſalſorum nimium uſum, aquæ marinæ, vini liberaliorem potum. Contrariis fermè ex cauſis in febribus etiam ardentiſſimis nulla ſitis interdum adeſt, aut quia ſentiendi facultas demortua eſt & extincta, aut quia tenuis humor diſtillat, aut ob delirium, unde ſitim non ſentiunt, etiamſi valde ſicci ſint. Unde in *Coacis* ſitis præter rationem ſoluta in morbis acutis malum, nam vel mentis errorem, vel extinctionem caloris nativi ſignificat. Pariter inexhauſta ſitis quæ largo & ſæpius repetito potu ſanari non poteſt, mala, ob magnam intemperiem partium interiorum ſupra modum æſtuantium, vel ob humidi ſubſtantifici maximam abſumptionem. Remedium autem in omni ſiti præſentiſſimum potus eſt. In paroxyſmi tamen principio & augmento potus prohibendus, quia calor tunc ſuffocatus eſt, & potus à materiâ morbificâ immutatur, unde acceſſio fit mali, nam ut ignis aquâ affusâ, ſic magis potu calor effervescit. In ſtatu collutionibus & gargariſmis utendum. In declinatione autem potus magis convenit, neque permittendum ut diutius ſitiant, ne cadant in hecticam, maximè ſi ſiccitas valdè infeſtet. Ideo ſi ſitis valde urget demulcenda eſt. Eam autem inprimis aqua compeſcit, pura, levis, omnis alienæ qualitatis expers, quæ amplius extenuabitur, vel agitatione crebrâ, vel immersâ panis medullâ, quæ fermenti acrimoniâ illam emendet. Cocta levior quidem ſed minus ſuavis, quod ignis vi fuerit immutata, incoqui ſolent hordeum, glycirh. paſſulæ, ſaccharum, maximè ubi pectoris aliquis affectus eſt, ſed ad humores frænandos, viſcerumque ſervandum, ſi dulcia ingrata ſint, addantur grana aliquot mali punici, vel citrii pulpa, vel baccæ oxyacanthæ, eorumve ſuccus expreſſus & defæcatus; Conveniuntque ejuſmodi potiones febribus malignis, peſtilentibus, ubi ventriculus, viſceraque ſunt debilia, ubi nauſea

nausea fatigat, alui profluvium, animi defectio, spirituum ac virium dissipatio adest, ut docet *Fernelius.* Utimur præterea syrupis ad sitim, & siquidem febris sit ardens citra obstructionem, datur syrupus violatus, quia refrigerat & humectat. Syrupis verò compositis raro utimur, quia ad humorum præparationem destinantur. In pestiferis syrupus de acetos. citri, in ardentibus ex aquâ rosarum & saccharro fit *Iulep. Alexandrinum*, sed in intermittentibus & quando obstructio adest, non est ex usu, ubi advertendum an alvus fluat, necne, nam si alvus liberior sit, loco violacei & lenientium, adstringentes usurpabimus, ut *granator. cidonior. myrtillor.* si verò alvus sit adstricta, lenientes, qui refrigerent & alvum faciant liberiorem. At in diuturnis febribus, & aliis morbis, quos jecoris, lienisque intemperies, & obstructio progenuit, ut in utero, cachexiâ, leucophlegmatiâ, pro potu erit decoctum radicis *graminis, acetosæ, cichorii,* si jecur in vitio est, quemadmodum asplenii, buglossi, tamarisci decoctum, ubi lien laborat. In malignis decoctum Cornucervi, cum vino granator. Julepo violato, sale prunellæ. ℞ *aquæ hordei* ℔ j. *incoq. sacchari candi* ℥ ij. *seminis citri* ʒ j. *rad. acetosæ, graminis, ana* ℥ j. *Cornucervi usti* ʒ iij. *flor. violar.* P. j. *vini granator.* ʒ i ß M. *f. potio pro potu ordinario.* Adde si vis conservam rosar. vitriolatam. Conservæ quoque violar. borrag, buglos. caules lactucæ conditi, pruna, cerasa condita, conserva berberis in aquâ dissolutæ prosunt, sicut eadem pruna & poma in taleolas divisa concoqui possunt, ad oris humectationem. Sed si adsint in ventriculo biliosi humores, vomitu & medicamentis sunt educendi, quod si post purgationem sitis non cessaverit, prædictis erit utendum & oxycrato, oxalidis, lactucæ seminibus & foliis in aquâ maceratis, emulsionibus seminum frigidorum; Præterea cidonia, pyra, cucumer, cucurbita in rotulas concisa, infunduntur in aquâ gelidâ; Somnus sitim sedat à siccitate, vigilia sitim lenit interdum, quia calorem evocat ad externa. Pilulæ hypoglottides sequentes commendantur à *Paulo.* ℞ *seminis cucumeris* ʒ viij. *gummi tragacant.* ʒ iiij. *dissolvatur gummi cum ovi recentis albumine, dein semina trita commisceantur, fiant pilulæ, quæ siccentur in umbrâ, paulatimque deglutiantur.* Gargarismata quoque conveniunt ex superiorum decocto. Tum ℞ *conservæ rosar. violar. ribes, ana* ʒ iij. *pulver. triasant. diatragac. ana* ʒ ß. *sacchari rosati tabulati ad pondus omnium.* M. Extrinsecus conveniunt inunctiones capitis ex oleis refrigerantibus *rosar. & nymph. de cucurbitâ,* μετ' κρεντμῶ, id est cum impetu in caput expressis,

ſuperfuſiſque, ex *Avicennâ*, *& Paulo*, quoniam ſtomachus capite conſentit per nervos ſextæ conjugationis, conveniunt autem ejuſmodi inunctiones, niſi quid prohibeat, ut catharrus, tuſſis. Fiant quoque gutturi epithemata ex oleo roſato, cum mucilag. ſeminis pſyllii, granis aliquot camphoræ, & ſuccis *lactucæ, ſempervivi, ſolani*, ſimiliumque refrigerantium, in quibus linteola madefiant, & frequenter gutturi apponantur. Probant alii detentionem & immerſionem manuum in aquâ frigidâ, propter maximum conſenſum manuum & jecoris.

Cap. XXVI.

De vomitu & nauſea.

I. Vomitus & nauſea contingunt in febribus, vel ob humorum malignitatem, putri vapore os ventriculi ſtimulante, & labefactante, vel ob crudorum humorum copiam, vel bilioſorum acrimoniam. Iſti autem humores vel in ventriculo ipſo generantur, vel aliunde in ipſum confluunt. Interdum quoque vomitus cauſa eſt ventriculi relaxatio à pituitâ dulci, unde ventriculus imbecillis nihil poteſt retinere. Eſt autem vel criticus, vel ſymptomaticus: Criticus ſi fiat die criticâ, præcedentibus ſignis coctionis, cujus futuri ſigna ſuperius expoſuimus, atque huic remedia non ſunt adhibenda, niſi modum excedat, ſymptomaticus vero curandus eſt. Utilis autem ille eſt qui bilem exhibet accuratè pituitæ permiſtam, ſincerus autem variiſque coloribus præditus malus eſt, ut ceruleus, viridis, niger, ob malignitatem horum humorum, & inter hos maximè lividus cum fœtore junctus ob maximam putredinem & caloris nativi extinctionem; Paucus quoque & laborioſus periculoſus, maximè ſi vigiliis torqueatur, eoque magis ſi multa adſit dejectio, lumborumque dolor, hinc in febre continuâ damnantur ab *Hippocrate*, nauſeæ & ægrorum faſtidia cum ſialiſmo; In *Coacis* quoque damnat ſingultum, perfrigerationem, ſudorem, convulſionem ſingultui ſupervenientem, quia indicant magnam exſiccationem & caloris nativi extinctionem.

II. Ad curationem autem revellendus fluxus eſt, vires ſunt inſtaurandæ, ſtomachus roborandus. Revellunt plurima ſuperius recenſita, frictiones, ligaturæ, balnea, cucurbitulæ ſtomacho affixæ, quibus etiam

etiam adhuc adhærentibus alimenta ſunt exhibenda. *Secundò* ventriculus roborandus, ſed non niſi purgatis prius humoribus, & præparatis. Roborant autem frigida adſtringentia ſi humor ſit calidior, ut conſerva *roſar. cichor. ſyr. de roſ ſiccis*, de agreſtâ, de Portul. de limonib. de berberis, ribes & ſimilia. Panis vino granatoru intinctus vulgò exhibetur. Quæ ſi non proſint narcoticis utendum, ut *laudano*, *philonio*, *theriacâ recenti*, ſed cautè admodum, nam non niſi magnâ cum neceſſitate iis uti oportet, & ſi quidem vires ſint imbecilles perpetuò abſtinendum.

III. Extrinſecus apponantur linimenta ex oleis *roſar. cidonior.* menthæ, maſtiches, fomenta ex decocto adſtringente abſynt. menthæ, *roſar. balauſtior. myrti, ſumach, granator.* Emplaſt. ex *cidoniis*, *acacia*, *hypocyſtide*, & ſimilibus. Emplaſt. *de cruſtâ panis* Montagnanæ, & *diaphœnicum*; Optima eſt cruſta panis aſſata & vino intincta cum nuce moſcatâ & ſimilibus; valdè quoque confert ſequens. ℞ *fermenti acerrimi* ℔ ß. *maſtiches* ℥ ß. *menthæ ſiccæ* M. j. *Carnis cidonior.* ℥ ß. *pulveris coralli rubri* ℥ j. *abſynt. nucis moſcatæ ana* ℥ ß. *cum oleo maſtichino fiat Cataplaſma.* Paulus ſequens imperat. ℞ *palmular. balauſt. acaciæ, ſumach, gallar. malicorii ana* ℥ j. *Coquantur dum contabeſcant, Tranſmittantur per ſetaceum, & ſtomacho applicentur.* Laudant *Avicenna & Paulus* ſpongiam aceto calido imbutam ſtomacho admotam. Si humor malignus ſit, addantur cardiaca, *bolus armena, terra ſigillata, Cornu cervi, theriacâ, mithridatium.* Si humores ſint frigidi, calida addantur, *abſynt. ſampſuchus*, *nux moſcata*, mentha, betonica, ſemina odorata. Poſtremo vires roborentur odoratis, aceto, aquâ roſarum, ambrâ, moſcho, ſed præcipuè vino generoſo, unde panis ex vino optimè & celerrimè nutrit, propterea vinum niſi quid prohibeat exhibeatur, ut febris ardens, viſcus inflammatum, capitis dolor, deliriumque in quibus caſibus vinum nocere ſuperius diximus. In victus ratione exhibeantur ovorum vitelli, teſticuli gallorum, mala cidonia, pyra, cavendo ſemper ab aquâ mulsâ & ptiſanâ, ex *12. methodi.*

CAP. XXVII.

De oppreßione, jactatione, inquietudine.

I. OPpreſſio & inquietudo in febricitantibus vel critica eſt, vel ſymptomatica; Critica non adeo mala eſt, ſi à principio non adfuerit, & poſt ſigna coctionis contigerit, *ſi criticus rigor ex inquietudine fiat, morbum ſolvit*, ſcilicet aut per ſudores, aut vomitus, aut alvi fluxum. Symptomatica vero in febricitantibus contigit ab humoribus acribus & putridis qui circum cor exeſtuant, ut bilis æruginoſa, praſina, vel circum viſcera firmantur, ut in hepate, præcipuè verò tunicis ventriculi imbibuntur, qui per febrem impulſi comprimunt diaphragma & cor, unde oppreſſio contingit ſuffocationis metum inferens, tuncque in tali cauſa hypochondria contenduntur, & contrectata indoleſcunt, ſitiunt, vigilantque, interdum poſt levem ſomnum delirant. ἄση pariter & jactatio unde febris ἀσώδης dicitur, in quâ perpetuò viget hoc ſymptoma, vel critica eſt, vel ſymptomatica, quando ægri omnis figuræ & loci ſunt impatientes, ἀλυσμὸς aliter *Hippocrati* dicitur; fit vel à fervore & æſtu febris, vel dolore aliquo viſcerum interiorum, ut phlegmone, vel in acutis cum humores in venis turgentes hùc illuc feruntur, unde homo nullam certam decubitus formam ſervat; *Sed aphoriſmo 34. libri ſeptimi* duplex cauſa redditur ἀλυσμοῦ prima quando os ventriculi à pravis humoribus mordetur, cujus ſignum eſt nauſea; cibi magnum faſtidium & ῥιπτασμὸς, unde Coacâ 2. *Anxietates cum perfrigeratione peſſima* & phrenitim portendere ait *prorheſi 27.* ut in ardente lipyriâ viſcerumque inflammationibus. Vel fit à virium omnium proſtratione, quando facultas à corpore ità gravatur, ut nullam facile ferat figuram, corpus enim amplius ſuſtinere nequit, atque hic nulla eſt nauſea. & de hâc extat Coaca 57. οἱ ἀσώδεες ἀνεμέτως παροξυνόμενοι κακὸν quod etiam repetit *prorheſi 76.* ob virium languorem corpus non amplius ſuſtinentium, unde mors inſtat, vixque poſſunt huic alia remedia quam cardiacâ & roborantia adhiberi. Critica periculoſa non eſt, ſi vacuatio ſequatur, nec quæ a cibo fit, nam eo concocto ceſſat, ſed quæ aut ab humorum malignitate, aut viſcerum inflammatione, aut virium debilitate contingit, periculi plena eſt, tum quia graviſſima hæc mala indicat, tum quia corpus agitat, vireſque proſternit, & labefactat, unde in acutis

acutis corpus nudare, nullam decubitus formam servare, malum signum est, 1. progn. 12. ob causas jam dictas. In priori autem iis utimur quæ adversus febres acutas & ardentes præscripta fuere. Obscuro loco jaceat æger, ne splendore spiritus agitati, majorem faciant anxietatem, mollisque sit lectus, in quo corpus contineat, minimumque disjiciat. Utatur oxysaccharo, syr. citon. ribes. limon. granator. Purgatio quoque levior sit ex rhabarbaro & similibus, victus refrigerans & humectans. Hypochondria secundum *Holler.* foveantur hydrelæo in quo semina lini, altheæ coxerint, vel farina hordei ex eodem hydreleo subacta præcordiis admoveatur. Si fiat ab humorum malignitate, ut in pestilentibus fieri solet, alexiteriis erit utendum.

CAP. XXVIII.

De alvi fluxu in febribus.

I. IN febribus fluxus alvi contingunt omnis generis, diarrhoea, dysenteria, lienteria, idque vel ab humorum acrimoniâ, vel copià, vel intestinorum exulceratione, vel medicamento effræni, à quibus natura vel excitata vel imbecillior reddita humores per alvum protrudit, interdumq; ventriculus prædictis ex causis languidior, cibum nec continet, nec conficit, unde lienteria. Est autem vel criticus vel symptomaticus omnis alvi fluxus. Criticus sinendus, non sunt enim naturæ motus interturbandi, nisi major abundantia vires labefactet. Criticus autem cognoscitur, si præcedentibus coctionis signis, & in die criticâ, contingant ructus, flatus, crepitus, rugitus, & inflationes in alvo, alvus fluere solet, ostendunt enim hæc humorum in alvum & intestina translationem, quibus addunt alii urinas suppressas, aut albas, translatâ bile in alvum. Symptomaticum autem quod attinet. Rectè dixit *Avicennas* nullum morbum esse salutarem qui ab alvo fluidâ inceperit, & cum ea perseverat, ob maximam humoris morbifici copiam; unde in *Coacis* perliquida dejectio & multa, neque quiescens in acutis valde mala censetur, potissimùm si abfuerit sitis, indicat enim caloris nativi extinctionem & facultatis debilitatem. Pessima quoque est alvi dejectio copiosa, cum ventre subtumido & excrescente, debet enim æger hypochondria habere mollia, & molis convenientis, non intumescentia, non dura, nec dolentia. Non est autem alvi fluxus statim supprimendus,

mendus, nam à corruptione & cruditate emanat, docente *Paulo*. Quod si sponte non cesset, tunc internis & externis adstringentibus utendum erit, quæ si non prosint, narcotica erunt in auxilium advocanda. Interna autem sunt cibi refrigerantes, boni succi, & crassioris, si humores sint fervidiores, aut sicci & calidiores quatenus febres permittunt, si humores sint pituitosi, ex *Paul.* Purgatio instituenda ex *rhabarb. & agaricò, & myrobalanis*, deinde convenient adstringentia *succus granator, torment. corall. camphora, cryßtal. bolus armena, terra sigillata*, & cætera ex materia Medicâ repetenda, clysteres sint adstringentes ex lacte chalibeato, vel decocto adstringent, Plura ex tractatu de alvi fluxibus repetantur.

CAP. XXIX.

De lumborum gravitate & incendio.

I. EX lumborum doloribus & gravitate multa præsagia desumpsit *Hippocrates*. fiunt autem isti dolores cum peccantis materiæ pondus in venam cavam, aut majorem lumbarem arteriam illabitur, Natura enim in lumbos tanquam in sentinam humores transmittit, illi neque per patentissimos meatus interdum ad inferiora usque se exonerat. Lumbis enim magna vena assidet, quæ in crura propagines mittit, unde lumbis crassorum humorum colluvie affectis, varices interdum contingunt, in inguinibus & poplite. Fiunt quoque ex humorum illorum incendio renum lumborumque ardores. Quod si pars quæpiam illorum humorum in minimas venulas quæ per habitum corporis disseminantur transmittatur, lassitùdines faciet, membrorum gravitates, artuumque dolores, hincque fiunt prædictæ jactationes & inquietudines, quæ si absque ullo dolore contingant, vel ex humorum malignitate, vel fervore & orgasmo contingunt. Cæterum *lumborum dolor* μετὰ καύματος ἀσώδεος κακὸν, *Coaca 323. & prorhesi 42.* ubi quidam legunt κώματος, & utrumque verum est. & Coaca 309. *Ex dorsi dolore initia morborum difficilia*, nam ob viciniam viscerum & spinalis medullæ verendum ne partes principes & cerebrum afficiantur, ideo jactatiónem & inquietudinem ex lumborum dolore malam esse pronuntiavit, maximè si tremor & gravia symptomata simul affuerint, ut sudores tenues, convulsio, delirium, vomitus, nigrorum dejectio, Nam

coacâ

coacâ 318. *Qui lumborum dolore conflictantur ii malè habent; Nam his tremores fiunt & maculæ in tibiis φώιδες cum rigore.* Nam sive lumborum dolor à tuberculo fiat & inflammatione spinalis medullæ, musculorum, membranarumque lumbarium, sive à malignis humoribus in magnâ venâ arteriaque latitantibus, sive à calculo & inflammatione renum contingat, semper malus est, multi enim morbi inde pullulant. His tremor interdum accidit spinali medullâ nervisque affectis, φώιδες vero apparent ex vitiosis ferventibusque humoribus sub cute latitantibus, & per rigorem impulsis & agitatis non autem exclusis aut sudore, aut alvi profluvio, aliâve vacuatione, unde fiunt macularum & exanthematum genera. Sunt autem φώιδες, maculæ rubentes ex ignis viciniâ in tibiis ortæ, & *Coaca 319. In lumborum dolore, cum anxietate citra vomitum, si ferociter desipiant, nigra per secessum prodire spes est.* Sunt enim hæc materiæ turgentis, maximique incendii symptomata. *Sic diuturni lumborum dolores in febre tritaophya, sanguinis grumosi secessum faciunt,* nam utplurimùm lumborum dolores alvi profluvio solvuntur, sed possunt etiam per urinas sanguinis grumi expelli, fit autem sanguinis secessus aut inflammatione suppuratâ, aut vasis humorum acrimoniâ erosis, inde contingit dysenteria sanguinea αἱμωπηρὰν vocat *Galenus*, quâ plerumque lumborum dolores materiæ depositione solvuntur, & ut docet coacâ 306. *lumborum dolores sanguiflui* in ipsis enim mulieribus lumborum dolor & calor, menstruorum eruptionem significant. In aliis sanguinis exertionem per alvum, hæmorrhoidas, aliasve partes, solent autem hæmorrhagiæ illæ esse liberales, quia lumborum vasa magna sunt, & magnam sanguinis copiam profundunt, & coacâ 312. addunt lumborum dolori cardialgiam, *dolentibus lumbis si cardialgia accesserit signum est sanguinis profluvii*, quod repetit prorhesi 130. Sed coaca 320. & prorhesi 106. *lumborum dolor, cardialgia cum forti screatione, est quodammodo convulsifica*, ubi convulsionem non sanguinis profluvium denuntiare dicit, de quo videri potest. *Galenus in comment.* Præterea coacâ 322. *lumborum dolor sine causâ manifestâ crebro revertens malignitatem denuntiat.* & coacâ 314. *Ex lumborum dolore revertente oculor. perversio mala*, quod repetit prorhesi 69. Et coacâ 317. *dolores circa lumbos, ilia, & hypochondria in febre cum cibi fastidio, si simul caput doleat, crudeliter cum convulsione interficit.* & coaca 316. *dolores lumbor. ad cor recurrentes cum febre, horrore, si tenuia, aquosa vomuerint, delirarint, muti fiant, post nigrorum dejectionem moriuntur.* Coaca autem 305. & prorhesi 130. *Quibus ex*

lumborum dolore recursus fit ad caput, manus torpidæ sunt, doletque ventriculi os, & aures sonant, iis sanguis erumpit, alvus solvitur, & ut plurimum perturbata mens est. Ostendit enim sanguinis motum ad superiora. Item coacâ 313. *Si ex lumbis dolor in cervicem & caput redundat, æger resolvitur, convellitur, mente aberrat.* Hic paraplegiam convulsio solvit, aluique solvuntur, explicationem vide apud *Galen. prorhesi 118.*

11. In lumborum igitur gravitate & incendio refrigerandum modicè, sed non adstringendum, ad quod conferunt oxyrhod. ceratum Galeni, olea papav. nympheæ, ung. popul. epithemata ex aquâ plantag. rosar. aceto, caphurâ, folia vitis aquâ rosaceâ irrorata. panni lacte macerati, albumen ovi cum aquâ lactucæ, & similia quæ ad renes temperandos præscribi solent. Sicut interius sumi debent clysteres refrigerantes, emulsiones, hordeata, amygdalata &c. de quibus abundè alibi dicemus.

CAP. XXX.

De sudoribus in febribus.

I. SUdores in febribus apparentes, vel sunt critici, vel symptomatici. *Critici* qui fiunt die criticâ, præcedentibus signis coctionis, qualitate tepidi, toto corpore manantes, sine ullo gravi odore, cum pulsu bono & undoso, à quibus levatur febris, ægerque melius habet. *Periodici* in fine febrium intermittentium accidunt. Quod si post sudorem febris in quietem non desinat, præcesseritque signum aliquod eorum quæ febri intermittenti accidere solent, ut rigor, composita vel confusa febris est, non omninò periculi expers. *Symptomatici* verò, qui alio morbi tempore emanant, qui febrem non minuunt, nec symptomata tollunt, sed potius vires prosternunt, ut *septimo Epidem, in principio.* Post caniculam multi sudores in febribus contingebant, nec morbum solvebant, erantque febres hæ & μακρὰι & δύσκριτοι. Est autem sudoris triplex materia, vel portio tenuior alimenti, vel serum humorum, vel colliquatio ultimi alimenti partium. Et quidem sero immiscetur biliosus, & febrilis humor, hinc in ardentibus, & intermittentium singulis paroxysmis sudoris eruptio solvit morbum, quia materia morbificâ unà evacuatur. In sanis quidem raro contingit sponte naturæ sudor, sed omnis externæ causæ vi cietur. Quod si in eo qui nondum

nondum ægrotat, ſponte prodeat, is vel plethorâ, vel cacochymiâ morbum quamprimum facturâ laborat, nec ſatis ſanus haberi poteſt. Quod ſi aliqua tantùm pars in ſano ſudore diffluat, affectum quendam in eâ aut eſſe, aut fuiſſe credendum, ut docent partes illæ quæ olim vulnera abſceſſuſve ſunt paſſæ, è quibus emanare ſudor levioribus ex cauſis ſolet, ſic ſi in coquendo cibo ventriculus laboret, circa illum ſudor emanat, & in magnâ reſpirandi difficultate circa faciem & cervicem, & ſi abſceſſus aliquis circa inferiorem maxillam olim fuerit, inbecilliori parte illâ redditâ inter maſticandum, levi ſcilicet ex labore, ſudor prorumpit. Idem de articulis, aliiſque partibus ſentiendum, quæ imbecilliores factæ excrementa cumulant; qui levi poſtea ex causâ effluunt. In ægris vero ſudor aut eſt humorum noxiorum ſero immiſtorum, aut partium alimenti ſoboles.

II. Cujus variæ differentiæ à Medico ſunt conſiderandæ, Alius eſt univerſalis è toto corpore manans, alius particularis à parte tantum quapiam effluens. Alius calidus, alius frigidus, alius fœtidus, alius odore carens; Alius copioſus, alius paucus; Alius tenuis & aquoſus, alius craſſus & viſcidus, quod tactu, interdumque & viſu dignoſci poteſt. Alius amarus, ſalſus, acris, alteriuſve ſaporis, nam ſudorem per ora copiosè diffluentem, interdum guſtari poſſe docet *Galen.* alius eſt flavus, ſanguineus, aquei coloris, virideſque ſecundum *Avicennam*, nam ſudoris ſanguinei meminerunt quidã authores, quamvis ſit rarus. Alius ſpontè, alius cauſarũ externarum vi cietur. Quæ ſunt præcipuæ differentiæ; in quibus ſpectandum an acuto, an chronico morbo laboranti contingant, an uno eodemque tempore, eodem modo plurimos ægros infeſtent, tum quotâ morbi die erumpant, quomodo æger illas ferat, facile, an difficulter, an aliquam ſalutarem, liberam liberalemque vacuationem ſequantur. His enim ritè perpenſis facile erit ſudorum univerſam naturam intelligere. Itaque differentiarum prædictarum cauſas quoque explicabimus & judicia. *Differentia.*

III. Univerſalis ſudor fit ob cutis raritatem, vel ob humorum in toto corpore redundantiam; Particularis vero materiam morbificam in parte quâpiam adeſſe, aut adfuiſſe ſignificat *aphor. 38. lib. 4. Quâ parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum.* quod tamen non videtur ſemper verum, nam toto corpore laborante, viribus exhauſtis ſudatiuncula pernitioſa apparet circa cervicem, thoracem, caput, in quibus materia morbifica non continebatur, atque ejuſmodi ſudatiuncula *Cauſa. Univerſalis.*

ſemper ab *Hippocrate* damnatur, & qui ſyncope ex ſtomacho corripiuntur, quamvis ventriculus laboret, tamen in facie ſudant; Et contra laborante tantùm parte quapiam, ut in interiori phlegmone, tamen ſudor ſalutaris etiam & univerſo corpore prorumpit. Niſi dicamus intelligendum eſſe *Aphoriſmum* non de ſudatiunculâ, ſed de ſudore copioſo frequenter, non ſemel tantùm, ex qualibet parte erumpente, vel de eo qui in principio morbi aut viribus conſtantibus accidit, ex quo diagnoſis tantùm, non prognoſis deſumitur. Aliter univerſalis ſententia eſſe non poteſt. Univerſales autem ſudores ut plurimùm laudavit *Hippocrates*, particulares vituperavit, Nam univerſales ſignificant Naturæ ſuper morbum victoriam, humoris morbifici tenuitatem, & per univerſum corpus diffuſionem. Particulares verò vim & conatum Naturæ ad humores noxios expellendos, vel facultatis imbecillitatem, humoris in aliquo viſcere collectionem denotant, à quâ pars opprimitur. Calidus ſudor omnis eſſe debet, qui ab interioribus partibus quæ calidæ ſunt promanat, nihil enim naturaliter conſtitutum in corpore actu frigidum eſt, ſerum, urina, humores omnes calidi percipiuntur, unde non mirum ſi in febribus, interno ſcilicet æſtu, & ardore, ab humoribus fervidis bilioſiſque calidus ſudor proveniat, qui ex ſe nihil ſiniſtri portendit. Frigidus vero ſemper malus eſt, fit autem vel in acutâ febre, vel in mitiori, idque vel ob caloris ad interiora retractionem, quando viſcera conflagrant, vel lippyria febris ſubeſt, cum habitu corporis refrigerato, vel ob caloris nativi paupertatem & extinctionem, ut in ſyncopticis & morituris, vel ob humoris frigidi copiam, hinc aphoriſmo 37. lib. 4. *Frigidi ſudores cum acutâ quidem febre mortem*, ob caloris ſcilicet nativi extinctionem, morbi ipſius ſævitiam, vel crudorum humorum copiam, qui à calore febrili ſuperari non poſſunt. *Cum mitiori vero morbi longitudinem ſignificant*, quia materia frigida multa non poteſt ſtatim ſuperari à calore, ut docet *Gal. in comment.* Qui odore caret ſudor naturalis eſt, atque ex optimâ concoctione promanat. At fœtens cruditatem humoriſque fœtidi & putris permiſtionem donotat, vel ipſius ſeri putrefactionem, ut in corporibus calidis & humidis, quorum excrementa omnia fœtent, tum in iis qui induſia non permutant, quibus ſudores exceperunt, ſic ſub axillis ſudores fœtere ſolent, ob defectum perſpirationis. Sed & cauſæ externæ malum odorem ſudoribus conciliant, ut ſcribit *Galenus* omnia acria ſudores fœtidos reddere, quia humores fœtidos commiſcent ſero. Eſt

Cauſa calidi & frigidi.

Cauſa fœtidi.

ro. Eſt autem rarus fœtidus ſudor, nam in febribus peſtiferis, aliiſque putridis, quamvis cætera excrementa fœteant, ſudores tamen non ſolent malè olere, quod mirum videtur ſi humores putridi & fœtentes ſero commiſcentur. Sed non omnis putredo eſt cum fœtore, ut ſanguine emiſſo in febribus putridis patet, vel putredo ſi ſit in vaſis intimis, & procul à cute diſſitis, fœtor non ſolet in ſudoribus adeſſe, ſed ſi eadem putredo ſit juxta cutim fœtor etiam contingit, ſi putredo magna ſit, aliàs non: ſic eorum qui humorum vitio laborant, leproſorum, & impudicorum hominum ſudor, hircum olere ſolet. Ideo talis ſudor è toto corpore manans, teſtis eſt cacochymiæ & putredinis interioris corporis, propterea non ſemper formidandus eſt ſudor malè olens, poteſt enim per ſudorem humorum fœtidorum excretio ſalutaris fieri, ut plurimum tamen malus eſt, maximè ſi in principio, aut ſaltem ante criſin contingat, ob humorum magnam corruptionem, quæ nunquam bona eſt, tum quia ſignum eſt eos non fuiſſe à Naturâ edomitos, nam ceſſante putredine poſt coctionem ceſſat quoque fœtor, unde ſudores critici raro aut nunquam fœtent, quod ſi fœtent vix poteſt evicta putredo fuiſſe. At qui ex alis, pedibuſve malè olentes promanant, nihil mali pronuntiant, id enim illis locis ſatis eſt familiare. Omnes autem ſudores quamvis primum nihil tetri aſpirent, tamen cum refrigerantur aliquid grave ſpirant, ut in iis qui ſudantes pectus denudant, quia tunc putreſcunt à naturali calore deſtituti. Copioſus ſudor in ſanis vel alimenti copiam, vel cacochymiam quandam indicat, *aphor. 41. lib. 2. Sudor multus ex ſomno factus abſque causâ manifeſtâ, corpus plurimo alimento uti, vel vacuatione indigere ſignificat.* In ægris vero acuto morbo laborantibus fit ob humorum copiam, vel tenuitatem, cutis raritatem, facultatis retentricis imbecillitatem, expultricis robur. Cutis raritas fit ex nimio calore aëris, balneorum, integumentorum, & violentis motibus. Humorum tenuitas fit ut plurimùm à calore febrili, humores liquante & diſſolvente. Retentricis imbecillitas ex caloris naturalis defectu, & intemperie frigidâ calori ſuccedente, tunc effluit ſudor frigidus ut in morituris. Expultrix irritatur vel copiâ, vel qualitate humorum. Contra autem paucus ſudor effluit, aut ob humoris paucitatem, aut ejuſdem craſſitiem, meatuum conſtipationem & adſtrictionem, aut retentricis robur. Bonus eſt copioſus ſudor ſi die critico contigerit, naturâ per criſes humorem excernente, unde æger melius habet, nam nihil paucum eſt criticum.

Cauſa copioſi.

Quod si initio morbi ante coctionem prosiliat, si vires sint robustæ, plenitudinem, copiam, morbi longitudinem, si imbecillæ mortem denuntiat. Nam critica ne statim appareant, hinc Coacâ 574. & prorhesi 58. *Copiosus sudor cum febre acutâ malus. & aphorismo 42. libri quarti* sudor copiosus sive calidus, sive frigidus damnatur, & *aphor. 56. lib.4. Febricitanti sudor superveniens, febre non deficiente malum, prorogatur enim morbus & multam significat humiditatem.* Unde dicit Avicenna, malum esse si à sudore ægritudo non desinat, nec æger levius habeat, sed potiùs morbus augeatur. Contra paucus sudor seu ἐφιδρώσια sæpe damnatur ab *Hippocrate*, prorhesi 39. si sit circa caput cum inquietudine & urinis nigris, *& prorhesi 68.* οἱ ἐφιδρῶντες ἄχρωτοι ἀνεθερμαινόμενοι κακόν.

Causa tenuis & crassi. Alius sudor est tenuis ex humorum tenuitate, & pororum cutis angustia, sicut aquis contingit eas fieri tenuiores, dum per terram percolantur. Alius crassus ex humoris crassitie, & meatuum amplitudine; Alius viscidus ex materiæ viscositate, & colliquatione ultimi alimenti partium, ut accidit hecticis, & paulò ante mortem, ad quem sudor miliiformis refertur tantopere ab *Hippocrate* damnatus.

De sapore sudoris. Saporem quod attinet, naturalis sudor mediocriter salsus est, in ægris vero si valde salsus sit, sanguinem aduri & assari significat, insipidus & dulcis serosum sanguinem, amarus, acris, bilem flavam indicat, sicque de reliquis saporibus judicandum. Pariter & de coloribus, nam referunt naturam humorum qui unâ evacuantur, utplurimum sudor aquei est coloris, quando nihil alienum sero admiscetur, aut quia humor crassior est, meatus sunt angusti per quos sudor percolatur. Sed flavus à bile, viridis à porraceâ vel atrâ gignitur. Ruber rarus est, quem tamen se vidisse refert *Rondeletius*, & Fernel. 6. Pathol. cap. 4. fitque vel à sanguinis tenuitate & serositate, vel à vasis rarefactis & relaxatis, vel apertis illarum osculis, aut imbecillitate retentricis, atque quoties ejusmodi sudor contingit semper pravus est, & toto genere præter naturam. Reliqui autem humores denotant à quibus fiunt.

Prognostica. Prognostica igitur quod spectat, *Sudores in febricitantibus boni, si cœperint tertio die, quinto, septimo, nono, undecimo, quartodecimo, decimoseptimo, vigesimoprimo, vigesimoseptimo, trigesimoprimo, trigesimoquarto, hi enim sudores judicant morbos, reliqui vero, dolorem significant, morbi longitudinem & recidivam.* aph. 36. lib. 4. quod non solùm de sudoribus, sed etiam de aliis vacuationibus criticis intelligi potest. quæ si die critico incipiant salutares esse solent. Totam sudorum τέκμαρσιν complexus est Hippocrates

tes 1. prognost. 29. *Sudores in acutis morbis boni sunt, si in diebus decretoriis proveniunt & febrem prorsus tollant, boni quoque qui è toto corpore manant, faciuntque ut homo facilius ferat morbum, qui autem nihil horum effecerint, haudquaquam commodi videntur. Pessimi autem sunt frigidi, & qui circa caput & faciem tantùm oriuntur. Isti enim cum febre quidem acutâ mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem significant.* Criticus autem sudor cognoscitur, si præcedentibus signis coctionis calor æqualiter per totum corpus expandatur, credibile est sudorem criticum, die critico futurum. Ante cujus eruptionem sentitur pulsus magnus, mollis & undosus, cum faciei quodam rubore, & tumore, cui succedit levis mador; Præcedit quoque frequenter horror & rigor, interdum cum urinæ suppressione, refluente sero ad habitum corporis, hinc *6. Epid. ait Hippocrates ante vigorem urina sistuntur* & 7. aphorism. 4. *A sudore horror malus*, quia judicatoria quæ non judicant mala sunt, nam ut docet *Avicennas* horror significat expulsionem humoris noxii, hinc si fiat in sudore, vel post sudorem significat humores noxios aut non fuisse excretos, aut saltem illorum maximam copiam superesse, hinc humoris multitudinem, vel naturæ imbecillitatem arguit, unde qui referuntur in Epidemiis horruisse, vel riguisse post sudores, omnes fermè interierunt, ex quo particulari generalis sententia inferri potest, mala esse symptomata quæ post criticam vacuationem, aut remanent, aut redeunt.

IV. Curam autem quod spectat criticus distinguendus est à symptomatico, nam criticus naturæ relinquendus nisi modum excedat, symptomaticus cohibendus. Generaliter autem in febribus sudor non est vi exprimendus, sed si natura eam evacuationem affectet, adjuvanda erit. Si igitur sudores commodè non effluant, vel ob copiam, vel ob viscíditatem & lentorem humorum, vel ab externâ causâ, harum remotione causarum sudores elicientur. Paulus sudorem ciet fotu, quiete, sorbitionibus humores scilicet attenuantibus, ut aquâ hordei calidâ, decocto hyssopi, thymi, pulegii, oxym. syrupo Sancti Ambrosii, aquis cardui benedicti, cerefolii, limonum. Præterea aëre calido, multis integumentis, balneo calido. Difficulter autem erumpit sudor iis quibus scyrrhosa & indurata sunt viscera. Vult enim *Fernelius* in hepate & liene esse sudorum scaturiginem, quod qui calida ea habent humidaque, quâvis ex causâ sudore diffluant, contra vero quibus ea inaruerunt, ii nullâ vi sudare possunt, quia exhausta est sudorum scaturigo. Cum autem tenuior tantùm humorum portio sudore

Curasi. sudores parcè profluant.

vacuetur,

vacuetur, nisi cathartico crassior pars subtrahatur, recidiva expectanda est. Pariter qui in accessionibus nimium potant, tardiùs sudant, quod si parcè bibant sitius multò sudore diffluunt, & à febre liberantur.

Sudores qui cohibendi.

V. Sudori autem modus esse debet, nam omnis immodicus etiam criticus supprimendus est. Modum autem indicat pulsus, qui cum incipit minui & languescere vires laborare indicat, tuncque eo concidente cohibendus est, ne in syncopen ægros perducant, quod præstant refrigerantia & adstringentia. *Primò* aër eligatur frigidus, talisque arte paretur, & ventiletur flabello, hominumque frequentia vitetur, sudorque effluens non abstergeatur, quia sudor obstruit poros, abstersio verò eos aperit, ex *Arist. 2. probl. 12.* quicquid dicat *Paulus*, qui censet sudores esse abstergendos, aliàs, inquit, sudor sudorem allicit. *Secundò*, extrinsecus refrigerantia & adstringentia sunt admovenda, ut sunt faciei conspersio ex oxycrato, Epithemata sæpiùs præscripta, fotus præcordiorum ex decocto cidonior. balaustior. plantag. portul. malicorii, galan. acaciæ, hypocyst. & similium. Inunctiones thoracis, spinæ, extremorum ex oleis adstringentibus, *rosar. citonior. myrtillor. nenuph.* cum mucilagine seminis psyllii, citon. tragac. gummi arabici. Farina hordei ex aquâ, oxycrato, succo portulacæ subacta, hypochondriis apponatur. Non inutile quoque erit pulsibus epithemata adhibere, quia totum corpus refrigerant. Sed & odor camphoræ aquâ rosar. dissolutæ juvare creditur. Interius laudantur *trochisci de terrâ sigillatâ, de carabe, cum syr. de rosis siccis, limon granator.* myrtillorum & aquis idoneis. ℞ *conservæ rosar.* ℥j. *pulver. triasant. margarit. præpar. ana* ʒß. *Cornucervi usti, spodii ana* ℈j. *cum. syr. de rosis siccis f. Electuarium.* Et hæc de febrium symptomatis.

DE

DE FEBRIBVS
Malignis & peſtilentibus.
LIBER QUARTUS.

Caput Primum.

De morbis epidemicis & ſporadibus.

I. ABſolutâ ſimplicium febrium tractatione, ad peſtilentes veniamus, de quibus antequam agamus, quædam præludii causâ explicabimus. Primò agemus de morbis epidemicis & ſporadibus, ſecundo de morbis malignis & benignis, tertiò de contagio, faciunt enim plurimum ad febris peſtilentis cognitionem.

II. Morbi igitur dividuntur in ſporadicos & communes. Sporadici ſunt morbi diverſæ naturæ, qui homines ſeorſim prehendunt & detinent, ut cum unus febre pituitosâ, alter dyſenteriâ, alius calculo laborat, ſolentque ex particulari cujuſque vitio & errore, in ſex rebus non naturalibus provenire. Communes vero qui in eundem modum affligunt, quando eodem tempore, eodemque in loco plurimi, aut omnes quomodolibet viventes, eodem morbo conſimilique corripiuntur, Græci παγκοίνους vocant, ſolentque indifferenter omnes occupare, tam juvenes quàm ſenes, tam viros, quam fœminas, tam aquæ quam vini potatores, & propterea horum cauſa communis eſt, quâ ſcilicet omnes utuntur. Sunt autem communes hi morbi vel endemii, vel epidemii; endemii vernaculi (quos *Hippocrates* ἐπιχώρια νοσήματα nuncupat) aliquã regionem infeſtare perpetuo ſolent, propter commune alicujus rei uſum, ut ſtrumæ hiſpanis, lues venerea indis; Epidemii verò ubique graſſantur, & ſunt vel pernitioſi, tuncque peſtilentes vocantur, vel non ſunt pernicioſi & ſimpliciter dicuntur Epidemici, *primo acut. com. 9.* Vocantur epidemii quaſi in populum ſparſi, cum ab externâ causâ accidant, ſicut endemii quaſi in ipſo populo nati, ex peculiaribus cauſis illi populo communibus. Sed dices Hippocratem in *libris Epidem.*

constitutiones quasdam recensere in quibus varii diversique morbi infestabant, unde Epidemios morbos à sporadibus non videtur distinxisse. Respondeo fieri posse ut varii morbi in epidemicâ constitutione grassentur, quibus tamen ex communi causâ aliquid commune accedet, quod eos in unam quasi Naturam coget, nam vulgari proverbio fertur in pestilenti constitutione reliquos morbos facessere in pestem, scilicet quia illis communis quædam malignitas adjungitur: Causa enim communis tantùm agit secundum patientis dispositioné, unde cum varia sint hominum temperamenta, & in illis varii humores dominentur, quid mirū si in varios incurrant morbos, qui tamen habebunt aliquid inter se cōmune, à communi causâ profectū. Communis autē causa aër ab omnibus statuitur; Alii addunt communem victus rationem, alii communes labores, communes occupationes, quæ seorsim sunt consideranda. De aëre dubium non est, quo omnia viventia fruuntur, quando igitur alteratur, corpora nostra perinde alterat, & immutat, sicque causa communis est. Verum non tantùm communes morbi ex aëre, sed etiam sporades generantur, ut docet *Hippoc. 3. aphor.* ubi varios morbos recenset ex aëris constitutione prodeuntes. Verum in his aër primariâ causâ non est, nisi additâ victus ratione cujusq; peculiari: in communibus vero aër præcipua causa est. Quod vero victus rationem spectat rarò ab eâ morbi communes procedunt, sed quia interdum contingit communem esse vivendi rationem, ut in annonæ caritate fieri potest ut eâ de causâ interdum morbi vulgares in populum grassentur, unde *Galenus 2. de Nat. humanâ textu 3.* reprehendit *Hipprocratem* qui unicum aërem causam communium morborum statuebat, siquidem fame grassante in Aëno, qui leguminibus vescebantur, cruribus debilitabantur, qui vero ervum edebant, hos genuum dolor corripiebat, sic ex frumento ciboque putri & aquâ infectâ, communis morbus sæpe exercitus graviter corripit. Verum rarior hæc causa est, quia vix eadem victus ratio singulis esse potest, etiam in magnâ fame, quia seorsim sibi quisque consulit, asservatque curiosè quæ in posterum utilia sunt futura. Communes autem labores & occupationes possunt quidem esse causæ morborum communium, ut fossores, manus habent callosas, qui humeris sal & onera gestant scapularum incurrunt gravedines, inflammationes & tumores, inquit *Augenius*, sed tamen prædicta non sunt causæ morborum Epidemiorum, non sunt enim naturâ suâ causæ communes, sed tantum ex peculia-

Aër. *Victus ratio.* *

peculiari cujusque vitæ instituto, & electione hominum, unde quia multi eandem vitæ rationem profitentur, ea causa fit communis, sed morbum non generat epidemium, quia naturâ suâ communis non est, ideoque nec omnes indifferenter afficit, nec afficere apta est, sed tantùm eos qui sponte eam eligunt, Ideo cum morbus Epidemius *ex 2. de Nat. hum.* omnes juxta afficiat, tam juvenes, quam senes, viros quam mulieres, tam qui multum quam qui parum laborant, tam vinum quam aquam bibentes, morbi hi prædicti non possunt censeri Epidemii, sed potius vel endemii, vel sporadici, siquidem morbo Epidemio quamvis omnes in aliquâ regione non laborent, nemo tamen ab illis certò tutus esse potest, at à prædictis quilibet sese tueri poterit qui voluerit, quia unicuique liberum est eam vitæ rationem sequi, vel rejicere. Ergo communis ille morbus est quem causa Naturâ suâ communis parit, vel manca divisio erit morborum in epidemios & endemios, quod asserere non est piaculum.

Cap. II.

De morbis malignis & benignis.

I. MAligni morbi nomen tam variis attribuitur morbis, ut non sit facile eum definire: *Galenus 1. prorhetic.* ait esse morbum, qui etsi periculosus sit, spem tamen salutis non adimit, quæ definitio etiam cuilibet acuto convenit. *Sed 4. meth.* definiens ulcera maligna, ea esse ait, quæ omnibus ritè factis non sanantur, quæ definitio, *inquit Argenter.* morbis magnis ex propriâ ipsorum naturâ convenit, sed malè, nam magni morbi cedunt remediis ritè administratis, nisi simul sint maligni, nam si non cedant, malignitas subest; A more morbi sumitur maligni & benigni differentia, qui mos differt à magnitudine. Alii describunt malignum morbum, qui occultè & furtim nos invadit, quales sunt multæ malignæ febres, quarum calor blandus mitisque apparet, cum tamen postea ex Improviso jugulent; Benignum contra vocant eum qui palam grassatur, & symptomata sua prodit. Sed hæc quoque definitio non est universalis, etsi enim sæpe malignorum morborum symptomata sæva non appareant, interdum tamen vehementiam suam ostendunt, ut ulcera nervorum, venenorumque genus omne. Rectius itaque morbum malignum vocant alii, eum cujus

Definitio morbi maligni, & benigni.

ſymptomata ſæviora ſunt quam Natura & eſſentia illius poſtulet, ſic malignam febrem judicamus, quæ cum parva mitiſque videatur, vehementia tamen habet ſymptomata, ſicut in peſtilentibus calor mitis videtur, urinæ concoctæ apparent, & tamen reliqua ſymptomata gravia ſunt, id autem fit quia cauſæ febrili aliquid adeſt occultum, quod ad cauſas manifeſtas reduci nequit, ſed ad totius ſubſtantiæ proprietatem, ſic Elephantiaſin morboſque venenatos malignos cenſemus, quod eorum Natura ad manifeſtas qualitates reduci non poſſit, ſic homines malignos vocamus, qui ſpeciem præ ſe ferunt bonitatis, & expreſſa habent indicia virtutũ, interea tamen facinoroſi ſunt. Quidam omnes malignos volunt eſſe peſtilentes, nec ullam inter eos diſtinctionẽ faciunt, ſed malè, nam peſtilentes ſunt Epidemii, maligni vero poſſunt eſſe ſporadici; *Secundò* cauſis differunt, nam peſtilentes omnes vult *Galenus*, naſci ex causâ communi ut aëre, maligni vero ſæpe ortum habent ex causâ particulari, ſic ex phlegmone hepatis, ventriculi, diaphragmatis, febres malignas fieri vult *2. prorhet. textu 22.* Maligni igitur morbi nomen latius patet quam peſtilentis, omnis enim peſtilens malignus eſt ſed non contra, unde rectè reprehenditur *Fracaſtor.* ab *Argenterio*, quod peſtilentes febres definierit quæ ut plurimum occidunt, malignas verò quæ aliquando occidunt, aliquando ſunt ſalubres; Promiſcuè tamen ſumuntur peſtilentis & maligni nomen, cum tantum gradibus differre videantur.

Cauſa. II. Maligni autem morbi cauſæ petuntur vel à partibus affectis, vel ab efficientibus cauſis. *A partibus affectis* ut vulnera articulorum & nervorum maligna eſſe ſolent tùm febres ex viſcerum inflammationibus ortæ. A cauſis efficientibus, ut ab aëre maligno, humoribus malignis, quales ſunt bilis atra, & æruginoſa. Hæ cauſæ vel tales ſunt Naturâ ſuâ ut venena, quæ totâ ſubſtantiâ agunt, vel alteratione & corruptione malignitatem acquirunt, ut cum bilis flava in æruginoſam & atram degenerat.

Signa. III. Cognoſcuntur autẽ morbi maligni ſecundum *Galenum*, ex morbi naturâ, ex cauſis, ex partibus affectis, ex ſymptomatis, quidam enim morbi Naturâ ſuâ benigni ſunt ut diaria, quidam maligni, ut cancer, elephantiaſis, febris peſtilens: Cauſæ quædam benignos morbos procreant, ut ſanguis, quædam malignos ut bilis atra, æruginoſa, aër peſtilens, virus infectæ mulieris, venena, putres, corruptæque aquæ. Partes affectæ malignos morbos indicant, ut in nervis, pudendo, cor-

poribus

poribus male affectis maligni fiunt morbi, in carne vero & corporibus salubribus benignioris. Symptomata quoque varia sunt & magna, ut in parvâ febre sitis magna cum lingue nigredine, delirio, &c. diversaque ea sunt pro naturâ causæ, nam alia profert bilis æruginosa, alia venenum assumptum, ut capite de febre malignâ dicemus.

Cap. III.

De Contagio.

I. Contagium ut nomen sonat, est similis morbi communicatio, vel infectio ab uno in alium transiens; Non enim qualitas sola communicatur, ut cum à febriente aliquis calesit, non dicitur per contagium calefieri, sed tantum cum substantia patitur & corrumpitur, similisque morbus transit in vicinum, si enim morbi forent diversi non possent dici ex contagione nati, sicut quando aut veneno hausto, aut ab animali virulento demorsus quispiam male habet, ex contagione id non patitur, quia non est morbi communicatio, prædicta enim quamvis venenata sint, non sunt tamen morbosa, sic torpedo quæ stuporem inducit, non est tamen stupida.

II. At quamvis ex contagio morbus consimilis generetur, ipse tamen morbus non cõmunicatur, nam ccidens non transit de subjecto in subjectũ, tum morbus ab uno in alium transiens afficeret prius corpus inanimatum, ut aërem aut vestes, nec symptoma transit, cum morbum perpetuò comitetur, sed sola causa morbifica ab ægrotànte in alium proficiscitur, quæ ut plurimum vapor est, vel humor, ut in scabie & lue venerea. Debet autem in omni contagio analogia quædam esse patientis ad agens, aliàs irrita erit actio, ut pestis quædam est bobus, quædam hominibus; sic achores caput tentant, phtisis solos pulmones inficit. Consistit autem hæc analogia vel in arcanâ qualitate, & inexplicabili plurium inter se sympathiâ, cujus plurima sunt in rebus naturalibus exempla, unde quidam sani facilius peste inficiuntur, quam alii malè habentes, & qui ab uno infici non potuit, ab alio morbum contrahet. Sympathia hæc intelligenda est inter corpus quod primò affectum est, & illud quod deinde afficitur, nam inter venenum ipsum & corpora affecta potius antipathiâ est quam sympathia. Vel consistit in manifestis qualitatibus, ut temporaturâ, corporis habitu,

bitu, &c. hinc corpora calida humida, rara, cacochyma, facilius afficiuntur, alia verò difficilius alterantur, & veneni vim ſuperant.

III. Fit autem contagium tribus modis, aut per contactum, aut per fomitem, aut per aerem intermedium. Ubi notandum omnem contagionem eſſe cum putredine, aut magnâ corruptione, non tamen omnem putredinem aut corruptionem eſſe contagioſam, ut docent febres tertianæ, quartanæ, tum quia putredo ſumma non eſt, & eximia, & multæ activitatis vapor lentus non eſt & viſcidus, tum propter occultas qualitates, ob quas naturæ vires non poteſt ſuperare, nam ſi quod exhalat eſt facilè reſolubile, & paucæ activitatis, ideo nequit ſimilem morbum inducere, & hæc tria requiruntur in contagio, putredo ſcilicet, lentor, & analogia, putredo ſi adeſt debet eſſe ſordida & lenta, ut docent ſcabies, tabes, peſtilentes febres cum bubonibus. Sed interdum contagium citra febrem apparet & putredinem, ut in elephantiaſi, lue venereâ, & quibuſdam peſtilentibus in quibus ægri interdum ſine ullo putredinis ſigno moriuntur, ideo accuſanda eſt fomitis prava qualitas, cujus in parvâ quantitate magna eſt virtus, ut in hyſtericis ſymptomatis, & ſcorpionum veneno cernere licet. Non eſt enim credendum morbos contagioſos eſſe omnium maximos, ſiquidem nec ardens febris, nec pleuritis, nec convulſio, nec cholera, nec apoplexia, qui morbi ſunt & periculoſiſſimi & maximi contagio inficiunt, contra morbi placidiſſimi, ut ſcabies, ophtalmia ſunt contagioſi.

Contagium per contactum.

IV. Contagium per contactum fit in pomis, uvis, quæ vicinas putrefaciunt, ſi ipſæ prius putruerint, ſic partibus gangrenâ affectis ſerpit contagium ad cor uſque, quoniam ſimile ſibi ſimile generat, pars putrida corrumpit calorem alterius ſibi analogæ, ſicque & ipſa corrumpitur. Contagio per fomitem fit, quando vapor, vel humor morbificus in quapiam re ita continetur & ſervatur, ut poſtea alium contactu ſuo inficere poſſit. fomes verò id dicitur quod vaporem illum excipit & retinet. Debet autem vapor vel humor, (ut ſanies bubonum, carbunculorum, ſudor, ſordes) calidus eſſe & ſubtilis ut putrefaciat, & penetret, tenax tamen & viſcidus ut adhæreat, totâ ſubſtantiâ nobis infenſus, ut nos inficiat; ex omnibus quidem corporibus aliquid perpetuo effluit, quod quia facilè reſolvitur, aut totâ ſubſtantiâ non operatur, inficere nequit. Fomes vero, ut cauſam morbificam excipiat, conſervetque, debet eſſe rarus, & ſpongioſus, ut lana; Non

Contagium per fomitem.

debet

debet esse nimium calidus, quia calor dissipat illa seminaria, nec admodum frigidus, quia gelu impedit illorum actionem; *Tertiò* debet esse in debitâ quantitate, ut agat & inficiat. Corpora quæ fomitis loco esse possunt, enumerantur fermè omnia xiij. *Levitici*, ubi Moses agit de contagio Leprosum, scilicet corpora lanea, linea, pellicea, subtegmina, stamina, ligna foraminulenta & rara, parietis ipsi si sint situ quodam obsitu & non perflati, addamus pilos, ut feles & canes in pilis suis pestem deferre possunt. Aës, aurum, argentum, marmora, & cætera quæ porosa non sunt, sed densa & solida, seminaria contagionis retinere non possunt, unde quidam nimis religiosè aurum ab homine infecto profectum, etiam lotum, non audent contingere. Conservat autem fomes causam morbificam diutissimè si non perfletur, sicut odores, foetores fumi, diu conservantur in vestibus. Quæsitum fuit à recentioribus an pestilens contagium remaneat in cadavere mortuo. *Rondeletius* negat cadaver esse contagiosum, seque ejusmodi corpora innoxiè secuisse refert, mortuo siquidem animali perit omne venenum, tum refrigeratum cadaver nullum de se vaporem emittit, tum ob convenientiam & analogiam viventium inter se, facilius procedit infectio à vivente quam à cadavere. At potius crederem cum *Iouberto* plus periculi latere in mortuo quam in vivente, quia calor nativus venenum aliquantulum retundit, unde à cadaveribus insepultis pestis sæpenumero oritur. Refert *Thucidides* peste Atheniensi, canes & corvos qui cadavera peste infectorum attingebant omnes interiisse. Refert *Fernelius* ex esu lupi rabidi canes actos fuisse in rabiem, quod si aliud venenum remanere potest in cadavere quidni pestilens? Et quidem mortuo animali non interire venenum ostendunt maculæ quæ sæpe post mortem se produnt, nec ratio ulla esse potest cur venenata illa putredo quæ hominem extinxit etiam ipsa extinguatur, Et cum videam diutissimè servari venenum in vestibus, cur non servabitur pariter in cadavere. Dicendum igitur in recens extincto cadavere, ubi semel refrixit, poros claudi, minimamque fieri expirationem, propterea minùs tunc inficere ejusmodi corpora, at maximum periculum impendere cum putrescere incipiunt, & foetere, tunc enim plurimos emittunt vapores pestilentes & malignos, ac maximè pernitiosos, qui quamvis de mortuo corpore exspirent, tamen quia prioris malignitatis vestigia retinent, pestem inferre possunt. *Tertia* demum contagii species ad distans usque propagatur, cum vapores putridi qui ab infecto

An cadaver possit esse fomes contagii pestilentis.

Contagio ad distans

fecto corpore exſpirant, per aërem medium delati, adſtantes inſpiratione, aut inſenſibili perſpiratu inficiunt, qui vapores ſi copioſi fuerint longè lateque propagantur, & diſſeminantur, ſic peſtis ſæpè ex unâ regione in aliam defertur. Aër autem qui vaporem hunc contagioſum defert, interdum illi contrarius eſt, ſi ſit nimium frigidus, aut fervens, tuncque illum extinguit, interdum vero ſimilis eſt, aut ſaltem non eſt contrarius, tuncque fovet & accelerat, augetque malignam illam qualitatem, promovetque contagionem. Plura videantur apud *Fracaſtorium*.

CAP. IV.

De natura peſtis & febris peſtilentis.

I. DIſtinguenda primum eſt peſtis à febre peſtilenti nam dari peſtilentes ſine peſte docuit *Galenus 3. in 3. Epidem.* Sunt autem febres malignæ & pernitioſæ; ſed differunt à peſte, quod hæc ſit epidemia & vulgaris, ortumque habeat ex aëre & causâ communi, illæ vero ex interno humorum vitio oriantur, nec graſſentur in obvios. Poſſunt enim humores corporis noſtri adeo corrumpi, tantamque concipere malignitatem, ut in venena degenerent, & more peſtis interimant, unde diſtinguit *Duretus* inter peſtilentes & peſtiferas, has vocat peſtilentes illas verò peſtiferas. De utriſque agemus, & primùm de ea quæ verò peſtilens eſt; Eſt autem febris epidemia, maligna contagioſa, quæ definitio eſſentialis eſſe non poteſt, nec explicat ideam morbi, cum non detur per differentias proprias, ſed tantùm accidentales, nam Epidemium, malignum, contagioſum ſunt accidentales differentiæ morbi & conveniunt plurimis morbis qui ſunt ſine febre, tantùm abeſt ut ullam febris ſpeciem definiant. Potius ergò deſcriptio eſt, quam vera definitio, cujus ſingulas partes ſeorſim examinare oportet.

II. Diximus peſtem eſſe febrem, quod tamen maximè dubium eſt, negant enim plurimi omnem peſtem eſſe cum febre conjunctam, ut *Maſſaria*, *Petrus Salius*. Contra autem *Mercurialis*, *Cardanus* aliique à peſte febrem ſeparari non poſſe contendunt, quod tamen repugnat veteribus, præſertim *Galeno*, qui peſtes ſine febre eſſe poſſe ſcriptis tradiderunt *Hippocrates 3. Epidem*, ſymptomata peſtifera quæ recenſet, ait

ait fuisse partim cum febre, partim sine febre, *Galenus* bolum armenum commendat ad pestis curationem, eamque præbet cum vino, si febris absit, innuens pestem non esse semper cum febre: *Paulus* dolorem colicum pestilentem recenset. Et ratio suffragatur, nam interdum à veneno jugulantur homines, antequam humores putrefiant & accendantur, unde mortes repentivæ sine gravi symptomate contingunt, ut refert *Plutarchus in Romulo*, homines Romæ ex peste absque morbis periisse, scribit *Iacobus de Partibus*, se vidisse ægros sine febre, aliisque symptomatibus qui statim interibant. Cum enim aër venenatâ & occultâ qualitate operatur, non semper putredinem infert. Sed hæ pestes raræ sunt, sæpiùs autem cum febre contingunt. Sic *Hippocrates libro de flatibus* dividit febres in communes & particulares, Communes vocat pestem, sed non sequitur omnem pestem esse febrem. *Secundò* pestis est morbus acutus, ergo habet febrem comitem: nam à morbis acutis febres sunt inseparabiles, *1. aphor. 7.* quod tamen non est semper verum, nam apoplexia, tetanus, sunt morbi acuti sine febre. Alii dicunt morbos acutos, vel esse naturâ suâ tales, vel ratione partis affectæ, priores semper esse cum febre, non autem posteriores, quod etiam non est necessarium, nam qui ex veneno intereunt sæpe sine febre moriuntur. *Tertiò* ex Galeno, pestis habet insignem putredinem circa cor, & proinde febrem insignem quæ comes est putredinis, quod pariter non est sempiternæ viritatis, non enim semper putredo, sed interdum etiam venenata qualitas & occulta fatigat, nec semper ad axillas, sed etiam ad aures, ad inguina humor detruditur, indicio putredinem non semper esse circa cor. Si septica partes putrefacere possunt citra febrem, quidni & venenum pestilens?

III. Præterea dicitur *Epidemica*, quia est ex genere morborum vulgarium, nam ut docet *Galenus 3 Epidem, sectione tertiâ com. 2.* Non est certi morbi nomen vulgare vel pestilens, sed quicunque uno in loco multos invaserit, vulgaris est, qui si simul hoc habeat, ut multos perimat, pestis est, unde patet morbum hunc esse & vulgarem, & perniciosum, siquidem multos interimat. Si tamen in quapiam civitate peste unus tantùm laboret, non erit tamen negandum morbum illum esse Epidemium, etsi unus tantùm eo correptus sit, sufficit enim, ut epidemius morbus dicatur, si Naturâ suâ se multiplicare possit, ita ut *
vulgaris sit actu primo, etiamsi actus secundus impediri possit. *Saxonia* *
vult quoque pestem esse morbum endemium, qualis est illa quæ

Cairum & Byzantium quotannis exercere solet, sed malè, nam Endemii morbi sunt illi, qui perpetuo exercent & occupant aliquem locum ob vernaculæ causæ perpetuam præsentiam, Talis autem non est pestis, quæ scilicet regiones illas perpetuò non infestat, nec causam habet assiduam & vernaculam, etsi frequenter repetat, quia urbes populosæ sunt, admodum calidæ, aut aliis ex causis quæ Epidemii morbi naturam non tollunt.

IV. Addidimus in definitione esse *contagiosam*, quod magno mortalium damno confirmat experientia. Infert autem contagium tùm contactu, tum per fomitem, tùm ad distans, quia aër inspiratus ab ægris inficitur, qui postea alios inficit, & quia mobilis est semina pestifera longè lateque propagat, sic quoque sæpe delatis vestibus aliisque rebus infectis pestilentia in aliàs etiam dissitas regiones asportatur. Refert *Thucidites* plures contagio fuisse interemptos. *Hippocrates* tamen & *Avicennas* contagii non meminerunt; *Galenus* paucissima de eo scripsit, & valdè obscura. *Procopius libro 2.* de bello persico, scribit pestem Constantinopolitanam, minimè fuisse contagiosam, quod tamen non credit *Mercurialis*, historicumque fuisse deceptum putat, aut verba ab aliquo præter authoris mentem addita fuisse: nam veteres contagii vix meminerunt, sive quod illud non cognoverint, sive quod sub aëre illud complexi sunt; Non desinit tamen morbus esse contagiosus, unde non valet quod scribit *Salius* Hippocratem & Galenum audacter ægros peste laborantes, invisisse, nec curasse tanti mali contagia, in Ægygto & Syriâ Turcas non vitare infectorum concursum. Quid tum! fœlices illi sunt errore suo, quos mortis non urget metus, unde fit ut in illorum regionibus pestilentia tam multos interimat, quia sibi non præcavent, ut dixi *lib. 2. error. popular.*

Febris pestilens sine peste. V. Ex his patet febrem pestilentem differre à peste, quod hæc sit Epidemica, vulgaris, contagiosa, illa verò etsi non minus sit maligna & perniciosa, non tamen grassatur in obvios, nec contagione inficit, unde ægrotanti ipsi pestis est, non autem obviis & adstantibus, quam pestilentem sine peste vocavit *Galenus*, habetque veræ pestis omnia indicia, præter supradicta, & quod non à causis procatarcticis ut aëre infecto, sed ab internâ humorum pravitate oriatur, & quod tamen non est semper necessarium, possunt enim febres hæ etiam ex communi causâ ortum habere, etiamsi non sint contagiosæ, & verâ peste minus perniciosæ. Sed convenit cum peste in communi pernicie,

quòd

quòd utraque prava sit, maligna & venenata, quam propterea definiemus febrem ex malignâ venenatâque humorum corruptione ortam. Tanta enim humorum in corpore fit corruptio, ut veneni vires acquirat, nam *sexto de locis affectis* eadem in corpore mala contingunt, & à lethali veneno, & ab humorum in corpore corruptione, sic *sexto Epidem 5.* quatuor constituit venenorum genera, unum ex feris venenum ictu fundentibus, alterum ex deleteriis assumptis, tertium ex pestilenti cœlo, quartum ex pravis succis in corpore genitis, aliisque in locis *Galenus* febrem ex veneno intus genito admittit. Cum igitur in communi naturâ, signis, curatione conveniant, de utraque simul agemus.

CAP. V.

An febris pestilentis natura consistat summa putredine.

I. QUæstio hæc difficilis est magnâque animi contentione utrinque agitatur. *Galenus* ab aliis putridis febrem pestilentem differre scribit tantùm excellentiâ putredinis, quæ talis tantaque est, ut veneni vires acquirat, Extremus enim cujusque rei gradus venenum est, sic quæ sunt extremè calida & frigida venena sunt, pariter & extremus putredinis gradus, venenaque in corporibus non nisi ex summâ putredine generari voluit, *Galenus*, quæ putredo proprietates habet & effectus veneni, curaturque Alexipharmacis. *Primo de diff. febr.* omnes pestilentes scribit esse ex putredine, & si earum generationem spectemus, sive ex aëre, sive ex victus ratione, sive aliis de causis oriantur, omnes illas comperiemus tales esse quæ putredinem facere possunt. Alii non ex putredine, sed ex malignâ & venenatâ qualitate quæ totius substantiæ proprietate noceat, oriri existimant, ut *Fernelius*, venenumque non ex putredine, sed ex humorum corruptione generari, nec omnem corruptionem esse putredinem; *Primò* pestilentia tam hyeme, quam æstate, tam sicco quam pluvio, tam temperato quam intemperato Cœlo grassari solet, cum tamen illam magis æstate, æstuante aëre, affligere deceret, sic *Virgilius 3. Æneidos ex calidâ & siccâ,* Livius pariter Romæ grassatam pestem scribit ex nimiâ

ficcitate. *Secundò* putridam aëris conſtitutionem quanquam magna eſſe deprehendatur, plerumque ſine peſtilentiâ contingere videmus. *Tertiò* nulla putrida aut intemperata aëris conſtitutio poteſt in multas regiones vagari, At peſtis tam latè interdum ſævit, ut penè univerſum terrarum orbem occupet, nam cum propagatur in multas regiones per contagium, illic apparet nullam præceſſiſſe, nullamque adeſſe putredinem; *Quartò* ſi putredo tanti mali cauſa foret ad omnes animantes illa pertineret, nec ratio ulla reddi poteſt cur homines potius quam oves ſueſve peſte corripiantur. Reſpondent quidam cauſam non agere ſine patientis diſpoſitione, differt enim corpus à corpore, natura à naturâ, temperamentum à temperamento, propterea eadem omni animantium generi commoda non ſunt, aut noxia, quando igitur aër hujuſmodi inquinamentis plenus eſt quibus humana natura offenditur, tunc ſoli homines ægrotant. Sed hæc reſponſio adſtruit occultas * proprietates, nam quod omnia ab aëre non inficiantur, pendet vel ex cauſæ agentis debilitate, & quod non ſit contraria cuilibet animanti, vel ex reſiſtentiâ patientis, quod non poteſt dici de putredine, nam putris aër contrarius eſt omnibus iis animantibus, qui ipſo ſano puroque gaudent, nulla enim ratio eſt cur putredo aëris ſoli homini ſit infenſa. Quod ſi cætera animalia reſiſtunt cauſæ agenti, habent id ex occultis proprietatibus, non à temperamento, nam ſi homo omnium temperatiſſimus noxam aëris vitare non poteſt, quomodo eam cætera animantia devitabunt? Jam igitur confugiendum eſt ad occultum aliquid, quod huic potiùs quàm illi ſit contrarium, quanquam certum ſit infecta fuiſſe interdum reliqua animalia, ut canes, feles, equos apud *Homerum* in principio *Iliados*. *Quintò* occultam adeſſe qualitatem probatur ex iis qui in peſte abſque febre ſubitò intereunt ſine ullis putrefactionis notis. *Sextò* ſæpe ex aurâ quantitate quidem pauciſſimâ ſed qualitate valdè noxiâ peſtis orta eſt, ut ex vaporibus ex antris, ſpecubus ſubterraneis elevatis. Duo exempla id teſtantur, primum apud *Marcellinum*, in Seleucia milites Avidii Caſſii, quodam foramine aperto, tam teter inde ſpiritus erupit, ut maximam peſtem invexerit, ſecundum in Babyloniâ in Apollinis templo vetuſtâ quadam arcâ apertâ, tam pernitioſus inde halitus expiravit, ut peſtis non modo inde orta ſit, ſed etiam ad Parthos uſque dimanarit. *Septimò* idem docet contagio per fomitem, in quo exigua materiæ morbificæ portio in panno contenta tam gravia excitat ſymptomata, nam ſi ſola adeſſet

putredo

putredo non posset non putrescere fomes ipse, cum id quod à putrido tangitur, putridum fiat. *Octavò* symptomata omnia venenum arguunt, statim corpus nigricans, lividum, fœtidum redditur, mors quoque unicâ die, aut saltem brevissimo tempore insperatò contingit, absque ullius putrefactionis indiciis, quæ tàm citò non potuisset produci. *Nonò* ingentem putredinem sequitur ingens calor, at febres pestilentes sæpe sunt cum exiguo calore, exiguâ pulsuum & respirationis differentiâ, unde multò mitiores videntur esse ardentibus, aut cur ardentes non sunt pestilentes? *Decimò* ingens putredo non nisi à maximis causis fieri potest, nam cum pestis juvenes, senes, frigidos, siccos, humidos, calidos, viros, mulieres corripiat, vix potest in hâc corporum diversitate eadem fieri putredo quæ eximia sit & excellens, docendum igitur erat in quo consistat differentia inter putredinem pestilentium, & aliarum febrium, nam quamvis putredo interdum adsit, ut ostendunt ulcera, abscessus, bubones, fœtor, urinæ conturbatæ, ea tamen semper non adest, ut in febribus quæ nullam in pulsu & urinis mutationem obtinent, aut cum adest affectus, est venenum humores putrefacientis, potius quam ipsius febris pestilentis causa. Igitur cum constet omnes febres pestilentes non habere eandem putredinem, imò sæpe accidat ut ubi minora adsunt putredinis indicia, symptomata graviora contingant, ratio colligit præter putredinem adesse vim quandam occultam, quam medicamentis & venenis Medici inesse docent, & experientia etiam docet maximas & lethales putredines esse sine peste, ut in febribus ardentibus, quando ex iis ægrotantes moriuntur, quæ tamen non sunt pestilentes. *Vndecimò* accedit testimonium *Galeni 2. de Nat. humanâ textu 4.* qui pravos & morbosos vapores aëri permistos docet noxios esse totius substantiæ proprietate, non manifestâ qualitate. *Duodecimò* pestis remediis arcanis ut theriacâ, bolo armeno & similibus curatur, quod si arcanum est quod juvat, arcanum etiam erit quod nocebat. Nam verum non est quod quidam dicunt hæc tantùm siccando prodesse, nam alia dantur exsiccantia, quæ tamen non juvant, ut pumex, os sepiæ, conchiliæ, buccinæ ustæ, ipse *Galenus* docet theriacam occulta proprietate agere.

11. Ex prædictis concludendum videtur febris pestilentis naturam non consistere in putredine, quamvis putredo adesse possit & soleat, nam putredo sæpe gravis non est, quamvis morbus sit gravissimus, & sævissima habeat symptomata, imo interdum sine ullâ putredine mors sub-

ſubſequitur, quando cauſa externa tam ſubitò potenterque agit, ut, antequam humores putrefacere poſſit, interimat. Quando autem putredo adeſt, ea tamen non niſi quia veneno conjuncta eſt interimit. Et ex hâc putredine nomen ſuum deſumit febris peſtilens, nam ſi omnes humores putreſcant, ſynochus & cauſos, cui putredini ſi præterea venenata qualitas adjungatur, ſynochus & cauſos fiet peſtilens, unde obſervatum in peſtilenti conſtitutione omnes fermè morbos converti in peſtem, Putredo igitur ſicut poteſt eſſe magna & eximia ſine veneno, ità venenum poteſt eſſe ſine putredine, Pariter poteſt utrumque ſimul adeſſe; nam qui diſtingunt ideam à more morbi rectè concipere poſſunt ſynochum febrem ab omnium humorum putredine dici, quæ eſt ejus idea, eandem eſſe peſtilentem ſi occulta ſimul & maligna qualitas adſit, quæ eſt ejus mos. Et ſic ſolvi poteſt quod quidam dicunt morem morbi non diſtingui à magnitudine, nec peſtem à reliquis putridis, cum major & minor putredo non varient ſpeciem, reſpondeo verum id eſſe per putredinem non diſtingui febrem peſtilentem à reliquis, quia ſynochi ardentes, tam peſtilentes, quam non peſtilentes conveniunt in putredine, quæ utriſque communis eſt, ſed differre in malignitate, quæ febrium prædictarum accidentalis eſt differentia, nam febris peſtilens non eſt certi morbi nomen, ſed omnibus fere morbis convenire poteſt, ſicut malignitas apud *Galenum* cognoſcitur non ſymptomatis ullis, ſed ſymptomatum morbi pathognomicorum vehementiâ. Igitur ſi cauſam externam ſcilicet aërem ſpectemus, tantam in eo malignitatem interdum reperiri fatendum eſt, ut ſine putredine humorum veneni inſtar interimat, quia ſpiritibus admiſtus ſtatim cordis vires labefactat, ſic referunt hiſtoriæ homines ſæpe ſubitò mortuos concidiſſe. Sed ſi diutius agat in corpus, humores putrefacit, idem de contagio dicendum, nam cauſæ hæ procatarticæ occultâ proprietate agunt & humores putrefaciunt; Adeſſe autem putredinem oſtendunt ſymptomata putridis communia, horrores, inquietudines, ciborum faſtidium, capitis dolor, linguæ oriſque ſiccitas, ſitis, bubones, carbunculi, & ſimilia quæ putredinem & febrem arguunt, ſed hæc putredo ut diximus ideam febris conſtituit, ut ſit ſynochus, vel ardens, alteriuſve generis, ſed ut peſtilens fiat venenata qualitas adſit neceſſe eſt, at patet quia habet effectus veneni, ſoliſque curatur alexipharmacis, univerſum corpus corrumpit & immutat ſicut venenum, humoreſque putrefacit, un-

de

de concludendum raras esse pestes quæ non sint cum putredine, non in putredine tamen, sed in venenatâ qualitate earum naturam consistere.

Cap. VI.

De causis febris pestilentis.

1. Causæ febris pestilentis vel sunt internæ vel externæ. Externas ad quatuor reducemus, ad aërem, ad cibum & potum, ad contagium, ad veneficia. *Galenus* & *Hippocrates* solius aëris & cibi meminerunt, recentiores verò reliquas addiderunt. Aër si naturalem suam servet constitutionem quam habere debet, nullam pestem, nullosque morbos generat, sed tantùm cum præter naturam disponitur. Alteratur autem tum in manifestis qualitatibus, caliditate, humiditate, tùm in propriâ substantiâ, quas mutationes cœli statum vocare consueverunt. Alteratur secundum regionum situm, si in sublimi, si in concavo sitæ fuerint, si ad orientem, vel occidentem spectent, si terra fuerit argillosa, sulphurea, aluminosa, maritima. Inde aër immutatur, morbique fiunt populares & vernaculi, qui perpetuò regiones illas obsident. *Secundò* aër alteratur ex anni temporibus, sic qui hyeme fuerat frigidus, æstate fit calidus, nullaque pestis generatur, cum naturaliter anni tempora per vices sibi invicem succedunt. *Tertiò* alteratur ex peculiari cœli statu, temporibusque anni præter naturæ ordinem immutatis, sic *tertio Epid.* pestilens status describitur. *Annus austrinus, pluviosus, à ventis in totum silens.* Particularis hic cœli status, vel tantùm calidus est & humidus, vel in propriâ substantiâ aër immutatur, quandoquidem quæ in peste contingunt, non tantùm à calido & humido, sed & à vi potentiori oriuntur, inde non alterantibus tantùm, sed & aliis remediis pesti medemur. Hæc aëris immutatio, vel putredo est, vel occulta quædam & malefica aëri impressa qualitas. Putrescere autem posse aërem experientia testatur, tum *Aristotelis* authoritas, qui omnia præter ignem putrescere posse scribit, Aër quidem si sincerus purusque foret, nunquam putresceret, tùm quia humidior fieri non potest, cum sit primum humidum, tùm quia putredo est passio misti. At apud nos elementa pura non reperiuntur, unde mirum non est si putrescant. Putredinem hanc habet aër vel à seipso, quando conclu-

Prima causa Aër.

clusus, nec difflatus prohibitâ tranſpiratione corrumpitur, ut de militibus Caſſii, & Babyloniæ acrâ ſupra diximus, vel ob putrium vaporum permiſtionem, cum ex voraginibus, ſpecubus, inſepultis cadaveribus tetri vapores aërem inquinant; Sed non tantùm putredo, ſed & potentius aliquid diviniuſque aëri permiſcetur, nam referunt hiſtoriæ non ex ſolâ calidâ & humidâ intemperie, ſed etiam ex calidâ ſiccâ, imo etiam ex frigidâ peſtem oriri poſſe; cum igitur in omnibus aëris intemperiebus peſtes fieri poſſint, neceſſe eſt confiteri aliquid occultum eſſe cujus ratione peſtis generetur, ſic *Hippocrates* ſcribit aërem habere in ſe morbidam quandam excretionem, νοσηρὴν ἀπόκρισιν, quam explicat *Galenus* exhalationem proprietate totius ſubſtantiæ, non ſimplici qualitate noxiam, μιάσματα dicuntur *libro de flat.* Morboſa vocatur per excellentiam ob ſævum morbum quem inducit. Sic divinum Hippocratis explicat *Galenus* aëris conſtitutionem, non manifeſtâ qualitate, ſed occultâ infeſtam, quam totius ſubſtantiæ proprietatem vocat.

An à cœlo fiat peſtis.

11. Aëris hanc alterationem à Cœlo interdum proficiſci *Fernelius* cum Aſtrologis contendit, ideoque juſſiſſe *Hippocratem in prognoſticis*, ut Medicus obſervet ſi quid in morbis adſit divini. Contra alii id prorſus negant, ſicut enim hæc inferiora ſuo contrario non carent, ita cœleſtia omnis corruptionis & mutationis ſunt expertia, malè enim quis inferat, Cœli ineſt vis movendi, ergo eſt quieſcendi, imò cum minimè ſit aptum ad contrarietatem ſuſcipiendam, unâ re poſitâ, contrariam licet excludere, quia enim Cœlum movetur, ideo nequit quieſcere. Pariter quia cœlo ineſt vis benefica & ſalutaris, omni maleficâ deſtitutum eſſe neceſſe eſt. Hinc *Ariſtoteles 9. metaph. cap. x.* in æternis neque malum, neque errorem, neque corruptionem inveniri teſtatur. Inde *Averrhoes* refutat Aſtronomos, qui ſtellas quaſdam fortunatas, quaſdam infortunatas ſtatuunt. Deinde quod conſervat ac continet, cæteriſque eſt veluti forma, minimè poteſt inficere id quod conſervat & continet, ſed Cœlum & Aſtra ſunt hujuſmodi, Inſuper ſi conſtellatio eſſet cauſa peſtilentiæ, peſtis univerſum orbem invaderet, cum ubique reperiri poſſint quidam ad cauſæ efficientis vim ſuſcipiendam diſpoſiti, at peſtis certas tantùm regiones invadit. Quin etiam inutile eſſet *Hippocratis* conſilium, *citò, longè, tardè*, cum Cœlum terram undique ambiat. Ideo per *Divinum* illud, quod obſervari jubet *Hippocrates*, non intelligunt vim ullam è Cœlo in aërem demiſſam, ſed

cum

cum *Galeno* peculiarem aëris nos ambientis constitutionem. Non est tamen negandum posse vi causarum cœlestium excitari pestem, sed per accidens, cum varia sydera contrariis dissidentibusque viribus prædita concurrunt, & ad diversa respiciunt, hinc omnes æstates nec sunt æquè calidæ, nec æquè serenæ, sic ab iisdem concursibus variis potest aër ità alterari, ut inimicus fiat modo hominibus, modo aliis animantibus, & pestes à syderibus inductæ sæviunt tam hyeme quam æstate, tam sub calido quam sub frigido cœlo. Quamvis igitur cœlum singulaque sydera vim habeant salutarem, tamen cum contrarias vires obtineant, fieri potest ut ex vario contrariarum virium concursu aër noxius evadat, & sicut varias in Mundo alterationes efficit, ita & pestem inducat. Sic calidus aër quamvis beneficus sit & salutaris tamen quosdam in morbos præcipitat, quorum corpora vitiosis humoribus scatent. Non placet tamen quod Astrologi superstitiosi ad præteritos aspectus pestem referunt, *Cornelius Gemma* pestem anni 1575. refert ad influxus anni 1571. & lenticularem Fracastorii quæ fuit anno 1528. refert Cardanus ad annum 1524. Quod non potest locum habere in causis naturalibus, nam tantùm præsente causâ sequitur affectus, nec est verisimile quod præsens causa non perfecit, absentem perficere posse, sic recedente sole, recedit calor, pluviæ, serenitates, annonæ caritates fiunt quamdiu causæ sunt in actu, & cum salutaris est constellatio, vix fieri potest ut quæ insalubris per plures ante annos soluta fuit, forsitan nunquam reditura, suos tunc prodat effectus, qui tunc à nullâ causâ dependerent. Non est credendum ullas stellas esse infœlices, omnes ad universi commodum factæ sunt, sed per accidens tamen nocent, quatenus variè concurrunt, & vario se modo respiciunt, ut alibi plenius explicavimus in Pathologiâ.

III. Post aërem succedit ratio victus, quam quidam nolunt inter causas pestis debere recenseri, nam quamvis ab alimentis aut naturâ suâ pravis, aut aliundè vitiatis, generari possint morbi pestilentes & maligni, veram tamen pestem fieri non posse tradunt, quæ morbus est Epidemius & vulgaris, fieri enim vix potest ut plurimi eâdem prorsus victus ratione utantur, aut si id contingat, rarum est admodum. Attamen *Galenus* libris de cibis boni & mali succi meminit cujusdam pestis quæ ex pravo victu, pravisque alimentis orta est. Refert *Cesar in commentariis* Massilienses gravi peste fuisse conflictatos, quod in obsidione vetus panicum, hordeumque exoletum edere, fame coacti fuissent; *Secunda causa victus ratio.*

unde quia ſæpe ea incidunt tempora, in caſtris, & annonæ caritate, ut eadem vivendi ratione homines uti cagantur, inde ex pravis ſuccis in corpore genitis, non peſtilentem modo febrem, ſed & peſtem oriri poſſe fatendum eſt, unde *Galenus 2. de nat. humanâ* Hippocratem reprehendit, quod in unum aërem omnes morbos, communes retulerit, & ejuſmodi peſtis plura apud authores adſunt exempla.

Tertia cauſa Contagium. IV. Prædictis ex cauſis prima origo peſtis eſt, ſed peſtis ſemel genita poteſt aliis regionibus communicari & ſævire per contagium, quamvis iis in locis nullum ſit aëris vitium, nulla ſit annonæ caritas, nulla pravè vivendi neceſſitas. Non enim ſemper aër, cibus, potuſve ſunt cauſa peſtis, ſed contagium, defertur aliundè fomes peſtis in linteis, veſtibus, & uno in loco unus aut alter peſte correptus per contagium regionem integram inficere poteſt, ubi nulla præceſſerat aëris corruptio. Verum primò neceſſe fuit ex causâ communi alicubi incepiſſe, quæ deinde poteſt ſeſe in varias regiones propagare. Sic docet *Galenus* peſtem Atticam ex Æthiopiâ per contagium veniſſe, & experientia quotidiana id oſtendit, unde ſedulo cavendum eſt, ne merces, lintea, aliave ejuſmodi ex infectâ regione in aliam deportentur.

Quarta cauſa veneficium. V. Alterius cauſæ meminerunt hiſtorici, ſcilicet veneficii, nam refert *Livius lib. 8. Decadis primæ*, Claudio Marcello, & Tito Valerio Conſulibus, peſtem Romæ maximam fuiſſe ex venenis quæ Matronæ decoquebant, ex quibus per indicem ancillam deprenhenſis centum ſeptuaginta fuerunt damnatæ. Scribunt *Dion. Nicæus, & Xiphilinus*, Commodo regnante peſtem in urbe graſſatam fuiſſe, quæ unâ die bina hominum millia interficeret, cum malefici homines mercede pellecti, res venenis oblitas in alios conjicerent. Vulgo creditur peſtem quæ pecora & armenta affligit, à veneficis ſortiariis inferri. Teſtatur *Fallopius* maleficorum operâ fomitem contagioſum, ex cadaveribus peſte defunctis & elixatis concinnari, quo oſtiorum peſſulos, repagula, manubria, limina, poſtes illinerent, & ſic plurimos contactu peſtifero interire.

Cauſa interna. VI. Cauſa interna humorum eſt venenata qualitas, interdum putredini conjuncta, interdum ſine illâ conſiſtens; Venenum ſiquidem adeſſe ſuperius oſtendimus, quod proprietates adſint & effectus veneni, curaturque alexipharmacis, nam veneni inſtar corpus brevi tempore immutat, partes corrumpit, lividas, nigricanteſque reddit, qui ſunt

ſunt effectus veneni 6. *de locis affectis*, quamvis venenum hoc ut pluri-
mum ſi diutius in corpore retineatur, id eſt, niſi ſtatim interficiat, hu-
mores corrumpere & putrefacere ſoleat, unde recentiores quidam
cum *Galeno* tantùm excellentem putredinem faciunt cauſam internam
peſtilentis febris, ſed malè ut ſupra diximus. Negat tamen *Mercurialis* *An venenum in corporibus poſsit generari.*
venenum in corporibus humanis ab internâ causâ generari poſſe, nam
cum author omnium actionum ſit calor, fieret vel à calore naturali,
vel ab extranea, non à nativo quia hic eſt author vitæ & ſalutis, nec à
præternaturali quia nihil agit ſupra vires ſuas, ut vis veneni major eſt,
quam potentia caloris naturalis, unde ait tantùm aliquid ſimile veneno
in corpore generari, non autem venenum propriè dictum. Contraria
tamen eſt *Galeni* & recentiorum opinio, nam ſi effectus adſunt & pro-
prietates veneni, cur negabimus venenum propriè dictum adeſſe, eoſ-
dem effectus edunt, eademque ſymptomata, dolores, lipothymias,
dementias, Conveniunt quoque in celeritate mortis, æque citò interi- *
munt, præterea æquè cito corrumpunt & putrefaciunt corpus no-
ſtrum: Demum eorum in minimo quanto maxima eſt virtus, ut in
hyſtericis mulieribus & epilepſiâ ſympathicâ cernere eſt, quod oſten-
dit humores illos corruptos occultâ proprietate agere. Unde *Mercu-
riali* reſponderi poteſt, non eſſe neceſſe omnia à calore fieri, cum mul-
ta totius ſubſtantiæ, occultarumque qualitatum vi peragantur, etſi
calor inſerviat non ut agens primarium, ſed ut inſtrumentale.

VII. Quidam etſi concedant venenum in corporibus noſtris poſſe *An generari poſsit ſine putredine.*
generari, negant tamen fieri illud niſi ab inſigni humorum putredine,
& propterea peſtilentis cauſam internam eſſe, & putredinem inſig-
nem, cum inſignis putredo venenum ſit. Fatendum quidem ut pluri-
mum adeſſe inſignem putredinem, ſed ea potius effectus eſt veneni
quam cauſa, nec verum eſt venenum ſemper ſequi putredinem, ſi-
quidem à digito pedis epilepſia, ab ore ventriculi convulſio, ab utero
hyſterica ſymptomata, morteſque repentinæ fiunt, ſine putredine, ex
ſolâ humorum corruptione, quâ inimicam naturam adipiſcuntur, ſic
ſanguis corruptus ſimilia veneno accidentia profert, quando extra ve-
nas concreſcit, ſyncopes affert, ſudores frigidos, reſpirandi difficulta-
tes, pulſus imbecillitates, totiuſq; corporis frigiditatem, non tempe-
riei mutatione, cum pituita vitrea frigidior eadem non præſtet, non
putredine, cum antequam putreſcat, hæc contingant, tum putre-
dinem ſequuntur calor, fœtorque, quæ hic non adſunt, putredineque
ſanguis diffluit, non concreſcit, fiunt igitur prædicta ſolâ corruptione

venenatâ. Validitas quoque agendique velacitas oſtendunt non agere per putredinem, licet enim quod à putrido tangitur putridum fiat, id tamen nec fit ſubitò, nec ſtatim, at per fomitem ex contagio ſubitò procedit infectio, unico contactu, unicâ inſpiratione, igitur diſtat corruptio à putredine, ſic à gladio, à veneno, ab apoplexiâ corrumpitur homo, non tamen putreſcit, ſic in iis qui ſubitò moriuntur ab humore venenato, cor labefactante, certum quidem eſt humorem corrumpi, ſed non putreſcere, nam putredo ſumma eſſe deberet, quod fieri non poteſt ſine caloris ſenſu, & in peſtilentibus minora ſæpe adſunt putredinis indicia, in excrementis, & calore, quam in putridis quampluri-mis, & tamen mors citius contingit, ardentes ſiquidem febres ſumma habent putrefactionis indicia, à quibus etſi homo ob morbi ſævitiam * intereat, peſtilentes tamen non judicantur, quod maligna, venenataque qualitas abſit, ſi igitur venenum in corpore genitum ſequeretur putredinem, ſynochus, ardens, putridave quælibet febris ex quâ hominem ob putredinis ſævitiam mori contingit, foret peſtilens, & contra peſtilens ea non foret, in quâ aut nulla, aut pauca adſunt putredinis ſymptomata. Præterea ſicut in aliis venenatis, ita & in homine generari venenum poteſt non putredine, ſed occultâ proprietate noxium, putredo in corpore diu latere non poteſt, at venenum canis rabidi diutiſſimè in corpore interdum latitat, ſic & elephantiaſis, & luis venereæ maligna & occulta qualitas, cum tamen putrefactionis nulla fermè adſint ſigna, & ſymptomata. Quamvis igitur humores in peſte corrumpantur & putreſcant, id tamen naceſſe non eſt ut contingat, ſed ſine putredine corrumpi poſſunt, ſaltem in putredine illâ natura peſtis non conſiſtit.

Diſpoſitio ad peſtem

VII. Cauſis prædictis addemus corporis diſpoſitionem, ob quam, etſi plurimi in eodem aëre verſentur, iiſdemque utantur cibis, citius tamen & facilius alii aliis corripiuntur; Eſt autem diſpoſitio hæc vel occulta, vel manifeſta; Eſſe enim peculiarem quandam conſtitutionem præcipuè cordis, quæ peſti reſiſtat, docet *Avicennas* capite de peſte, & experientia teſtatur plurimos inter ægros verſari, qui etiamſi pravis ſcateant humoribus, peſte tamen non tentantur, alios tamen ſtatim affici, quæ arguunt latentem quandam adeſſe diſpoſitionem ad peſtem facilius aut difficilius ſuſcipiendam. Sed eſt etiam diſpoſitiò quædam manifeſta ratione temperiei calidæ humidæ, habitus rari & laxi, nam corpora calida humida, laxa & rara, pravis humoribus repleta, facilius ab

ab aëre externo corripiuntur, hinc mulieres facilius tentantur peste, maximè prægnantes, ob cacochymiam ex retentione menstruorum, & quia ob calorem multum inspirant. Virgines quoque, tum ob ingluviem, tum ob seminis retentionem & libidinem. Pueri quoque pariter sunt obnoxii pesti, propter caliditatem & humiditatem, inordinatam vitæ rationem, & quia multùm aëris attrahunt, ex *Rhazi*, sic qui plurimum corpora exercent, quia aucto calore multùm respirant, facilius aërem venenatum suscipiunt. Timor quoque disponit ad pestem, & humores agitat, hinc qui intrepidi sunt & potius lætantur difficilius corripiuntur, humorum siquidem perturbationem esse præcipuam causam ostendit experientia ut videmus Vespillones, qui propter lucrum ægris ministrant etsi cacochymi sint, ventri gulæque dediti, hoc tamen morbo facilè non corripi, quia non conturbantur, sed potius gaudent ob lucrum imminens, sic docet *Celsus* tempore pestis non esse mittendum sanguinem, nec purgandum fortioribus medicamentis, ne fiat humorum agitatio: Venenum enim maximè corpora nostra inficit, quando humores suo loco moventur, unde venenum recipiunt, quia à naturâ non conservantur, siquidem natura humores quiescentis facilius regit quam agitatos, sicut vinum tempore Caniculæ conturbatur & putrescit, fœce reliquo liquori admista ob ebullitionem, sic humores perturbati facilius putrescunt, & corrumpuntur.

IIX. Pestilenti autem quæ sine peste invadit, obnoxia sunt corpora calida humida, pinguia, crassa, densique habitus, sicut raræ texturæ homines ab aëris vitio corripiuntur. Occasionem præbent retentiones mensium, hæmorrhoïdum, sanguinis, victus pravus, aër calidus humidus, unde vere & æstate, in regionibus fervidis fiunt potissimum febres malignæ, maximè si perflant Austri, qui aër concurrit non tanquam causa efficiens, ut in verâ peste, sed tanquam disponens ad putredinem: Mœror quoque, ira, venus, nimia ciborum repletio & crapula febrem hanc procreare possunt: maximè autem fit ab interno viscerum ardore, ut *capite de febre lipyriâ* diximus. Igitur ab humorum putredine prædictis ex causis generatâ fit febris, quibus si malignitas accedat fiet pestilens & venenata, cujus differentias nunc perquiremus.

CAP. VII.

De differentiis febris pestilentis.

1. Rectè ſcripſit *Galenus*, peſtilens & vulgare non eſſe certi morbi nomen, aut genus, ſed omnibus ferme morbis poſſe convenire, nam præter tria morborum genera non datur aliud, peſtis autem eſt modus & conditio, aut quid extrinſecus accidens cuivis horũ morborũ quorum non quidem naturam, ſed modum & conditionem permutat, morbo mañente eodem, quæ conditio adeo gravis eſt ut propriam rei naturam & nomen permutet, & peſtis nuncupetur. Ideo à quamplurimis & fermè ab omnibus conſtituuntur febrium peſtilentium differentiæ tres, ephemeræ, hecticæ, putridæ, prout calor vel cordis ſubſtantiam, vel humores, vel ſpiritus occuparit. De ephemerâ peſtilente nunquam locutus eſt *Galenus*, ſed recentiores quidam eam fuiſſe in Angliâ ſcriptis prodiderunt, in quâ copioſis ſudoribus levabantur ægri, quæ ideo ſudor Anglicus dicebatur, qui incepit anno 1486, & duravit ad annum 1530, Correpti languore confeſtim diſſolvebantur, animi deliquio, inquietudine, cardiogmo, pulſu crebro, immenſâ ſiti, ſine bubone, exanthemate, carbunculo, tandem cum ſudore vitam finiebant. * Verumtamen nunquam credidi dari ephemeram peſtilentem, cum febris ephemera ſit ſuâ naturâ levis & ſalutaris, ut quæ in ſubjecto diſſipabili reſideat, unde etiamſi ſpiritus putreſcant (putreſcere enim poſſunt omnia excepto igne) febrem tamen non generabunt pernitioſam, ſed quæ ſalutariter diſſipatis illis ſpiritibus ceſſabit, nam caſus virtutis, pulſus mutatio, lipothymia, ſi à ſolis ſpiritibus dependerent, diſſipatis illis, ac novis regeneratis perfecta ſubſequeretur ſanitas, ut in ſyncope contingit, quam venenata materia infert. Quod dicitur de ſudore anglico nullius eſt momenti, nam febris fuit putrida, ut oſtendunt ſudores copioſi, qui nunquam apparent in ephemeris, quæ tam maligna fuit, ut natura ipſius vim ultra unum diem ferre non potuerit, quis enim audivit febres ephemeras ſudore copioſo ſolvi ſolere. Non negandum tamen in verâ peſte, ex inſpirato venenato aëre ſpiritus infici, unde mors & prompta & ſubita ingruit, interdum ſine febre, ſi enim ſubito ſpirituum motu ſyncope mortis æmula contingit, multo magis ubi veneno violati fuerint, mors accidet.

Vera

Vera igitur pestis quæ ab aëre fit, spiritibus noxam inferre potest mistione tetri vaporis cum spiritibus, sed pestilens sine peste maligna nulla talis datur, nec quoque vera pestis, nisi subitò nulla præcedente febre contingat, sicuti à veneno interdum prius jugulantur homines quam ulla putredo in humoribus accendatur, unde mortes repentinæ sine ullo gravi symptomata contingunt, ut refert *Iacobus de Partibus*, se vidisse ægros sine febre, aliisque symptomatis qui statim interibant, ob maximam scilicet veneni efficaciam, quod non intra horas xxiijj. sed & subitò occidebant. Sed solam ephemeram febrem generari intactis integrisque humoribus, non est concedendum, idque me in hâc sententiâ ampliùs confirmat, quod etiamsi multæ pestes ex aëre inspirato factæ fuerint, quæ promptissimè jugulabant, nullam tamen pestem ad ephemeram retulerunt authores, præter sudorem illum Anglicum, in quâ tamen nulla ephemeræ indicia præter durationem conspicua erant. Quod tamen diximus nullam ephemeram esse lethalem, id sobriè intelligendum, nam potest quispiam in extremâ constitutus senectute, ita esse debilis, ut succedens ephemera gravior sit quàm attritæ vires ferre possint, cum enim sit morbus vim quandam habet debilitandi vires, sed hoc nihil ad pestilentem.

11. Hecticam autem pestilentem dari certissimum est apud *Galenum*, quam *tertio de præsag. ex pulsibus* cognosci ait spiritus seu animæ fœtore, in eâ dicunt recentiores & pulsus & urinam esse sanorum similia; At febres pestilens secundum *Galeni* doctrinam omnis est putrida, nula hectica est putrida, igitur nulla hectica est pestilens, Quidam dicunt putridam eam dici quia fit ex aëre putrescente, quæ responsio etsi sit ingeniosa, vera tamen non est, nam differentiæ febrium non petuntur à causis efficientibus, sed à subjecto, adde quod *Galenus* ubi omnes pestilentes ait esse ex putredine, internam tantùm putredinem intellexit, non eam quæ ab aëre est, imo voluit idem *Galenus* putrescere substantiam cordis, aut saltem humores cordis secundarios, sicut in aliis hecticis consumuntur, ita in hac putrescunt. Præterea adest ex loco citato fœtor anhelitus, sed fœtor omnis est ex putredine. Invaluit usus inquit *Valesius* ut solæ humorales vocentur putridæ, non autem quæ in solidis aut spiritibus consistunt. Ideo alii respondent diversum quid esse febrem oriri ex putredine & esse putridam. Nam putrida genus febris designat ab ephemerâ & hecticâ distinctum, at ex putredine febres aliæ oriri possunt, ut ex

Hectica.

ex putredine pulmonis, aut alterius cujuſpiam viſceris, ſic peſtilens hectica eſt ex putredine, non tamen putrida. Putreſcere autem dicitur ſubſtantia cordis, quod tamen quidam non admittunt, ſed volunt ſubſtantiam cordis malignâ & venenatâ qualitate infici ab alienâ putredine, ſicut corrupto vino dolium etſi non corrumpatur, pravam tamen acquirit qualitatem, quâ quicquid infundis aceſcit & pariter corrumpitur. Cor enim non poteſt gravem ullum affectum ſuſtinere, nec abſceſſum, nec vulnus, nec inflammationem, multò minùs putredinem, ſic docet *Hippocrates 4. de morbis* cor ex ſubſtantiâ ſolidâ fuiſſe conflatum, ut expers eſſet quantùm fieri poterit & ægritudinum & putredinis. Sed reſponderi poteſt ex *Galeno primo de locis affectis*, cor poſſe omnes affectus pati, ſed non niſi cum mortis periculo, ſic *3. de præſag. ex pulſibus* putredinem cordis ſtatim occidere ſcribit, *quam enim medicinam excogites ad putredinem quæ cordis corpus occupavit.* Deinde ſi verum eſſet cor tantùm pravâ qualitate infici, nulla differentia foret inter communem hecticam & peſtilentem, ſiquidem in utraque calor extraneus cordis corpus occupavit. Sequeretur quoque nullam hecticam peſtilentem fieri à principio, ſed tantùm ſucceſſione aliarum febrium; quod apud *Galenum* falſum eſt, Præterea fœtor anhelitus putredinis magnum indicium, in hecticâ peſtilenti adeſſe, ſolet. Hæc ſunt quæ ex Galeni mente afferunt recentiores. Quæ tamen maximè dubia mihi eſſe videntur, nec piaculum eſſe exiſtimo aſſerere *Galenum* hac in re turpiter fuiſſe hallucinatum, nam impoſſibile eſt putredinem ſolidas corporis partes prius occupare quam humores, præſertim cum cauſa externa ſcilicet aër contenta non minus afficiat quam continentia; Deinde febris hectica eſt morbus chronicus, peſtis verò morbus acutiſſimus, tum ſi ſimplex hectica vix fieri poteſt incipiendo, ut loquuntur, ſed aliis febribus putridis ſuccedit, quid de peſtilenti ſentiemus. Nec ſufficit fœtor ad dignotionem hecticæ peſtilentis, nam fœtor potius putredinem arguit pulmonum per quos aër defertur, aut humorum quam ipſius ſubſtantiæ cordis; Quod ſi putredo quæpiam in corde inventa fuit, à quâ interemptus homo fuerit, ut hiſtoriis quibuſdam conſtare poteſt, non tamen febre peſtilenti laborabat neceſſario, indicio aliud quippiam requiri ad peſtilentis conſtitutionem præter putredinem, cum putreſcere ſolida poſſint ſine peſtis ullâ ſuſpicione, ut ſi abſceſſus, ulceraque in corde fuerint. Deinde peſtilens hectica vel contagioſa eſt vel non, ſi non ſit contagioſa

giosa vix pestis censenda est, si contagiosa, sive per fomitem, sive ad distans, sive immediato contactu, humoralis est, nam quod communicatur non qualitas sola est, sed substantia quædam, quæ non nisi ab humore derivari potest & deduci. Demum cum ejusmodi febris à Galeno insanabilis statuatur, de ea ars curare non debet, *quam enim medicinam excogites ad putredinem quæ cordis corpus occupavit.*

III. Nulla igitur est pestilens hectica aut saltem rarissima, sed frequentior est putrida, & humoralis ex putrescentibus humoribus excitata, modo omnibus ut in synocho, modo uno aut altero, ut in reliquis febrium speciebus. Quidam volunt unicum tantum humorem putrefieri, ut *Rondeletius* qui ait febrem pestilentem esse tertium genus ardentis febris à sanguine melancholico excitatæ. Esse ardentem probat sitis inexhausta quæ assiduè infestat, incendium magnum circa cor, splenem, ventriculum, pulmones, difficultas anhelandi, aliaque quæ causon sequuntur symptomata. Atram bilem infestare ostendunt mania, delirium cum studio accedens proximè ad furorem, carbunculi, stigmata nigra, conjunctiones planetarum in Saturno, bella, annonæ caritas, unde crassissimis uti alimentis necesse est, quæ sanguinem melancholicum gignunt. Verumtamen cum pestis omnes saltemque plurimos invadat diverso victu utentes, spargaturque ab unâ regione in aliam, credendum non est omnes quos corripit atro sanguine abundare, nec omnis humor calore præternaturali adustus, fit melancholicus. *Alii* omnes humores putrefieri volunt, quorum opinio quoque minus vero consentanea est, sequeretur enim omnem pestilentem esse synochon: Quin etiam ut diximus ex *Galeno & Hippocrate*, pestilens & malignum non est certi morbi & determinati nomen, sed omnibus convenire potest, cumque statutum sit à *Galeno*, pestilentem solâ putredinis excellentiâ à reliquis differre, omnibus humoribus poterit pestilentia convenire; Id demonstrant symptomata quæ pestem consequuntur, quæ adeo varia sunt & diversa, vigiliæ, deliria, sitis, inquietudo, somni, sopores, lethargi, stupores, mœstitiæ, timores, & alia infinita, quæ diversorum humorum putredinem arguunt: Quod præterea ex naturæ excretionibus innotescit, nam per alvum, urinas, vomitum, modo unum, modo alterum, modo omnes humores expurgari cernimus, à quibus verisimile est varias febres excitari, eademque fuit *Hippocratis* sententia, qui in Epidemiis, in pestilenti constitutione omnia febrium genera recenset, tertianas, quartanas, lon-

Putrida pestilens.

Rondeletii opinio.

gas, inconſtantes; *Galenus* quoque narrat nonnullos febribus ardentibus & phrenitide, alios febribus pituitoſis & ſopore, alios aliter laboraſſe pro humorum putreſcentium varietate, & naturâ partis affectæ. Ex quo aliorum quoque error detegi poteſt, qui febres ex humoribus in corde putreſcentibus fieri volunt, cum tamen febrilis calor aliis in partibus poſſit contineri, cur enim humor putredinis & venenatæ qualitatis alio in loco, quam in corde non erit capax, corde tantùm per ſympathiam affecto. Deinde ſi in ſolo corde contineretur humor putreſcens, perpetuò ad axillas fieret materiæ morbificæ excretio, quod experientiæ repugnat, cum ad aures & inguina, natura humores ſæpe deponat, quæ ſunt Cerebri & jecoris emunctoria. *Hippocrates 3. Epidem.* in ſtatu peſtilenti, *febres ardentes phrenitici, &c. Galenus* in commentariis inquit, febres ardentes fuerunt invadentibus jecur & ventriculum bilioſis excrementis, phrenitici vero iiſdem caput petentibus, quod etiam dicit *1. Epid. ſect. 2. textu 73.* unde patet febrem peſtilentem fieri ex putredine non ſolum humorum qui in corde continentur, ſed etiam eorum qui jecur, cerebrum, reliquaſque partes infeſtant, quæque affectæ & laborantes cor poſſunt in ſui conſenſum trahere, præcipuè tamen fit ex ſanguine, aut bile, ut oſtendunt variæ maculæ & exanthemata quæ in hac febre ſolent apparere. Ubi obſervandum quod ſuperius diximus, putredinem aut maſſæ ſanguineæ, aut cujuſdam humoris ſeorſim febris peſtilentis ideam & ſpeciem conſtituere, ſive genus in quo cum cæteris febrium ſpeciebus convenit, peſtilentiæ tamen naturam & formam ab hâc putredine non dependere, ſed à malignâ qualitate, à qua ſynochus, ardenſque fiunt, dicunturque peſtilentes.

An humores putreſcant tantum in corde.

IV. Cum igitur conſtitutum ſit à nobis ex omnibus humoribus hanc febrem fieri, non tamen ſequenda eſt plurimorum opinio; qui etiam intermittentem eſſe poſſe aſſeruerunt, quod repugnat *Hippocrati* & rationi, febres enim quocunque modo intermiſerint periculum ab eſſe ſignificant, *aphor. 43. lib. 4.* utpote inquit *Galenus*, quæ nec ex inflammatione, nec ex malignâ humorum putredine originem habeant, Neutra enim harum, *inquit ille*, ad quietem pervenit febre vacantem. Nec refert quod alii reſpondent intermittentes non eſſe periculoſas ſi fiant ex ſimplici humorum putredine, ſecus vero ſi fiant ex malignâ, ſed hallucinantur, periculum enim tollit non humoris natura; ſed intermiſſio, ſiquidem tertiana intermittens ſecura eſt, nec lethalis, non quia

An febris peſtilens poßit eſſe intermittens.

quia à simplici bilis putrefactione oritur, nam sic ardens lethalis non foret & periculosa, sed quia intermittit, & naturæ vincenti non resistit. Si igitur intermissio omne periculum, mortisque metum adimit, pestilens quæ omnium febrium periculosissima est, non potest esse intermittens. Deinde pestilens febris est maximè acuta; At morbi acuti si febres habent, eæ sunt continuæ & inseparabiles, non omnes acuti morbi sunt cum febre, ut apoplexia, tetanus, sed qui febres habent, eas habent continuas. Quamvis autem continuæ sint, referunt tamen ideam illarum febrium quæ sunt propriæ humori putrescenti, sicque intelligi debet *Hippocrates*, quando *3. Epidem. sect. 3.* In pestilenti illâ constitutione quam describit, ait febres adfuisse tertianas, quartanas, quotidianas, quia repræsentabant speciem hujus, vel illius febris. Objicit *Saxonia* datur pestilens sine febre, multò magis pestilens intermittens; Negatur sequela, nam omnis morbus pernitiosus non est cum febre, sed si morbus sit intermittens non erit pernitiosus. Idem Nicolai Massæ observationem opponit, qui scribit se observasse quartanam pestilentem, quæ ad sexagesimum quartum diem perduravit, quod tamen arbitror esse falsissimum, non fuisset enim morbus acutus, sed chronicus, proindeque salutaris: Nec impossibile fuit *Massam* in rebus Medicis non minus quam in Anatomicus fuisse deceptum, nam non est absoluta fides adhibenda observationum scriptoribus, qui sæpe nugas, & deliramenta, somniaque sua observationum loco tradiderunt, turpiterque sæpissimè aberrarunt, quorum opera plurimis in locis indice egent expurgatorio.

CAP. VIII.

De signis febris pestilentis.

1. Signa febris pestilentis vel futuram illam portendunt, vel præsentem demonstrant, vel præteritam rememorantur. Futuræ autem pestilentiæ signa incerta admodum mihi videntur, nec necessaria, non negligenda tamen, quia minima hujus adventantis morbi suspicio cautos reddere nos debet, ne imprudentes opprimat. Sumuntur autem præcipuè à causis quæ si præsentes adfuerint, facilè subsequi febris pestilens potest. *Primum* signum est aër calidus humidus, ventis carens, 3, epidem. sect. 3. *Annus austrinus, pluviosus, à ventis in* *Primum signum.*

totum silens, hicque spectanda est non unius mensis, sed totius anni constitutio similis, aut saltem si maxima ejus pars talis fuerit, inde in aëre putrefactio maxima contingit, maximè si fuerit caliginosus, nebulosus suffocans πνιγώδης. *Secundum.* *Secundum* si putridi vapores aëri immisti illum inficiant, vel ex inhumatis cadaveribus, vel ex terræ motibus, quibus vapores terræ cavernis conclusi expirant, aërique permiscentur, ut supra de militibus *Cassii* retulimus, vel ex aëre ipso in antris specubusque concluso, & ob diutinam quietem putrescente, qui si aliquâ viâ excludatur venenum suum reliquo aëri communicat. *Tertium.* *Tertium* si ipsa terra aliquam putrefactionem patiatur, quod arguunt ingentes pluviæ, & diutinæ; si terræ fructus fuerint corrupti si animalia ex putri orta multiplicentur, ranæ, mures, locustæ, serpentes, muscæ, si boletorum maxima sit copia, si panis dio expositus statim mucescat. *Quartum.* *Quartum* si aves reliquaque animantia aërem pestilentem fugiant. *Quintum.* *Quintum* si animalia sponte intereant, verendum est ne putrescentibus illorum cadaveribus pestis in nos derivetur: Sic pestis descripta 1 Iliados ἐρῆας μὲν πρῶτον ἐπώχετο καὶ κύνας ἀργούς. *Sextum.* *Sextum* si aquarum putrescentium adsit maxima copia, ut solet fieri in iis regionibus, quæ juxta paludes aquasque stagnantes sitæ sunt. In illis enim si annus fuerit paulo calidior, maxima putredo contingere solet. Putrefactam aquam ostendunt ranarum multitudo, aquæ virides, fœtidæ, turbidæ, aut si in aquâ macerentur linum, cannabis, vel cloacæ populosam urbem expurgantes admisceantur, aquasque inficiant. Demum si pisces in aquis moriantur, aut in alium locum commigrent. *Septimum.* *Septimum* si præcesserint maligni morbi, quales sunt variolarum morbillorumque omne genus, periculum est ne pestis subsequatur, quanquam neque hoc signum satis certum sit, quoniam morbi illi utplurimum ab internâ causâ suscitantur. *Octavum.* *Octavum* est si aliis in locis pestilentia grassetur, periculum enim est ne serpat per contagium in vicinas regiones, *Nonum.* *Nonum* si adsit annonæ caritas, & fames publica, ut solet fieri in magnis exercitibus in quibus pestilens febris subsequi solet, qualis fuit pestis Hungarica, & quæ Montalbanensem, & Bredanam obsidionem sequuta fuit, de quibus extant libri à Medico Antverpiano, & Tolosano conscripti. *Decimum.* *Decimum* sunt Cometæ, qui ab *Avicennâ*, *Porphyrio* & aliis pestem præsagiunt, quod portentum quia rarum multa minari dicitur ab Astrologis.

Prodigiale rubens, non illum Navita tutò,

Non impune vident populi, sed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.

An cometa pestem portendant.

Dicunt quidam Cometas debere oriri ad orientem, quia cum moventur extra solstitia ad septentrionem & meridiem, minus mali inferunt, magis vero noxii sunt, si ad orientem ferantur, quia materia illorum ob copiam non potest à sole edomari & dissipari. Sed hoc signum necessarium non est, nec respondet experientiæ, siquidem ut rectè inquit *Scaliger*, plurimi visi sunt Cometæ, quos nulla sequuta est pernicies mortalium. Anno 1618. apparuit insignis Cometa, quo tempore tractatum hunc de febribus anno ætatis meæ vigesimo non tibi Lector, sed mihi, Burdegalæ componebam, quod sydus nec pestem, nec annonæ caritatem, sed Galliæ & Germaniæ intestina bella, vel potius nihil portendebat. Non possunt autem esse propria signa, & naturalia, quia non magis pestem quam bella demonstrant, nec supernaturalium præterquam Iridis nulla nobis cognitio revelata. Non esse autem Cometas causas signaque pestilentiæ ita olim me demonstrasse memini, cum valde puer Medicinæ darem operam in Scholâ Monspeliensi, adversus doctissimum Goudinum, qui tunc pro Regiâ Professione, quam postea obtinuit, respondebat. Prima ratio petitur ex generatione Cometarum, secunda ex effectis cometarum, tertia ab exemplo *Hippocratis*. Quod autem eorum ortum spectat, ex *4. meteorum*, mista duobus modis intereunt, vel per putredinem, vel per combustionem, putredo humidorum tantum est, combustio siccorum, unde quæ putrescunt uri non possunt antequam exsiccentur, tamdiuque combustioni resistunt, quamdiu humida manent. Febris pestilens generatur, secundum communem fermè omnium sententiam, per putredinem vel ipsius aëris, vel eorum quæ aëri permiscentur. Cometa generatur per ustionem exhalationum. At putredo & combustio sunt contraria. Ergo cometa & pestis erunt contraria. Unum igitur non erit causa alterius. *Secundò* effectus cometarum duo sunt, *capite septimo primi Meteor.* Siccitatum & ventorum productio. Siccitates sunt contrariæ putredini, & proinde febri pestilenti, sed etiam *aphorismo* xv. *lib. tertii* siccæ tempestates humidis sunt salubriores, minusque mortiferæ, sed per Cometas generantur siccæ tempestates, ergo generantur tempestates saluberrimæ, non igitur pestilentes quæ sunt omnium maxime insalubres. Ventorum quoque flatus pestem prohibet, quia venti aërem puriorem reddunt, perflant & seminaria conta-

Prima ratio.

Secunda ratio.

gionis diſſipant. *Tertio Epidem.* ſtatus peſtilens deſcribitur à ventis omnino tranquillus. *Annus Auſtrinus pluvioſus*, ἄπνοια διὰ τέλεος. Eſt enim duplex conſtitutio auſtrina una in quâ flant auſtri, alia eſt conſtitutio calida, humida ſuffocans, quando cum calore & humiditate aër turbidus eſt, nebuloſus, ventique aut nulli, aut rariſſimè ſpirant. *Tertiò* notum eſt exemplum Hippocratis à *Galeno* laudatum *libro de theriacâ ad Piſonem*, qui peſtem ab Æthiopiâ ad Græcos venientem accenſis ignibus repulit, ex quo exemplo infero; ſi potuit ignis ſeminaria peſtis aëri admiſta diſſipare, multò magis id præſtabit Cometa flagrantiſſimus, utpote qui ſicuti prius ex *Ariſtotele* dictum, potentiſſimè exſiccet. Quibus rationibus tolli videtur Cometarum in inferendâ peſte efficacia, & in præſagiendâ certitudo. Quidam tamen modum tradere conantur quo portendere & efficere peſtem Cometa poteſt. Scribit *Gentilis* hos ignes intelligendos eſſe conjunctos cum multâ evaporatione præter ipſorum apparitionem. Poteſt præterea vaporum multitudo eſſe in aëre, qui ſi non poſſint abſumi calefiunt, inde excitantur exhalationes authores Cometarum, vapores reliqui remanent in aëre à quibus peſtis. Sed hæ ſolutiones non ſunt neceſſariæ, nam ſi poteſt adeſſe vaporum in aëre copia quando cometa apparet, poteſt quoque non adeſſe. Tum Cometæ faciunt ſiccitates, vaporeſque; ſi qui ſint in aëre diſſipant. Alii dicunt Cometas inducere famem & ſterilitatem, ex quâ deinde fit peſtis. At ſic Cometa peſtem propriè non portendit, ſed famem: deinde ſæpe viſi ſunt Cometæ quos nulla fames ſequuta eſt, ſed omnium bonorum copia. Invenerunt alii aliud ſubterfugium, dicunt deflagrante hoc ſydere tetrum vaporem ſpargi per aera, ſicut experientiâ videmus extincti ellychnii, carbonumque fumos noxios eſſe & peſtiferos, deinde dum Cometa generatur, magna halituum venenatâ qualitate præditorum copia aeri permiſcetur, qui halitus quia mineralem habent materiam & nitroſam, multum poſſident acrimoniæ & malignitatis, unde multa generantur mala; Et quoniam ex terræ cavernis expirant, putredinemque illic contraxerunt, aërem primùm, dein cor inficiunt, Sed hæc negare tam facile eſt quàm aſſerere. Unde enim conſtat hos halitus eſſe metallicos, acres, malignos, nitroſos, venenatos, cum multi Cometæ fuerint ſine peſte, & multæ peſtes nullo præcedente Cometâ. Cum itaque experientia oſtendat apparentibus Cometis nullas peſtes fieri ſæpiſſimè, nullaque mala inferri, concludendum nullam eſſe illorum in præſagiendo

Tertia ratio.

*

giendo

giendo rationem habendam majorem quam reliquorum meteororum. Sed prætereà certum eſt multos fieri ſupra orbem lunæ, non ex materiâ ſublunari, quorum ſignificatio ſi ulla eſt non eſt naturalis.

II. Præſentem autem peſtem demonſtrant ſymptomata quæ in aliis febribus contingunt, ſi præter febris naturam & ſpeciem intendantur, ut febris maxima quamvis exteriore tepeant, ardeant interiora, cordis palpitatio, lipothymia, ſyncope, capitis gravitas, delirium, inquietudo, ſitis, oris ſiccitas, ſpirandi difficultas, vomitus, vigiliæ, &c. Sed maximè adſunt exanthemata, carbunculi, bubones, quæ quando in quopiam primùm apparent, malignam peſtilentemque febrem judicare poſſumus, ſed antequam morbus propagetur difficile eſt aſſerere peſte verâ affectum eſſe illum qui primus in aliquo loco eo morbo tentatur, in quo nulla hujus mali ſuſpicio eſt. Igitur ſi prædictis accedat infectio per contagium, aut morbus Epidemicus eſſe videatur & graſſari in obvios, tunc veram peſtem addeſſe certò aſſerendum. Sed hæc ſigna diligentius perſcrutemur. *Signa febris peſtilentis, & peſtis.*

III. Calor nec acris, nec vehemens, ſed mitis blanduſque ſentitur, parteſque exteriores tepeſcere videntur, quamvis interno incendio maximè æſtuent, ſic refert *Thucidides* in peſte illâ quam deſcribit, interna viſcera fuiſſe adeo ferventia, ut quamvis externa teperent, nec veſtimenta tamen nec lintea ægri ferre potuerint, quia interior æſtus ſpiritus ſanguinemque ad ſe retrahit, quod tamen ſignum non eſt inſpirabile, interdum enim vehementiſſimus & maximus tùm foris, tùm intus calor perſentitur, interdum externa quidem tepent, ſed non primis diebus, verùm in morbi progreſſu. Febris ergo videtur à principio mitis, ſed graviſſimis ſtipata ſymptomatis, majoribus, quam calor febrilis promittere videatur. περὶ τὴν ἁφὴν μὴ περικαέες φρενιτικοὶ γίνονται, καὶ μᾶλλον ἢν αἷμα ῥυῇ. concepto ſcilicet in præcordiis incendio uruntur & ardent, & ſæpe fiunt phrenitici, quod maligni morbi ſignum eſt, *ut ſæpe obſervavimus*, quando nec ſanguinis fluxu liberari æger poteſt, multò minùs ſi infra modum ſanguis fluat. Quamvis igitur nec calor, nec urina, nec pulſus valdè immutentur, ſymptomata tamen gravia ſunt, ut docent *Paulus* & *Aëtius*, quia venenoſa qualitas, non putrefactio, ideo nec calor fatigat, vel ob humorum putreſcentium craſſitiem, unde non magnus calor foris, ſed tantùm intus perſentitur. Quod ſi ſimul humoris bilioſi tenuis & acris putredo adfuerit, tunc magnus etiam ut in aliis febribus calor percipietur. *Calor.*

IV. *Pul-*

IV. *Pulsus* quandoque parvi sunt, languidi, frequentes, si vires cordis fuerint admodum labefactatæ, aliquando majores, & vehementiores, si putredo minor fuerit, in universum autem celeres sunt, frequentes, inordinati, inæquales, quia natura oppressa est & maxima urget refrigerandi necessitas, systole quoque celerior est diastole, propter copiam fuliginum. Interdum sanorum pulsibus similes sunt, ut docet *Galenus tertio de præsag. ex pulsibus cap. 3.* de cujus symptomatis causâ multa philosophatur à ratione satis aliena; ad inæqualem cordis intemperiem refert, quando frigida est cordis substantia, contenta autem calida sunt, vel vice versâ, hincque calorem reddi quasi moderatum, naturali similem, quique propterea pulsus non immutet, qualis intemperies imaginaria est, nec in febricitante reperiri potest, ullisque signis dignosci. *Conciliator* id fieri voluit, quia natura putredinis magnitudine & pravitate perterrita, humorem morbificum non aggreditur, unde nec pulsum neque urinam immutat. Quæ sententia absurda est, siquidem facultas corporis nostri est agens naturale, non voluntarium, agere solet quoties agendi causa est, adversus causas morbificas pugnat quantùm potest. Præterea oporteret signum hoc frequenter apparere, cùm tamen rarò videatur. Deinde cùm putredo ut plurimùm adesse solet, vixque ulla pestilens febris sine illâ consistit. At à putredine pulsus necessariò immutantur. Veriorem causam reddit *Galenus primò de causis pulsuum cap. 8.* ubi docet fieri pulsus similes sanis, quia facultas debilis est & usus auctus, unde ex his duobus pulsus fit veluti moderatus. Alii, ut dicemus, in solâ hecticâ pestilenti signum hoc apparere voluerunt, quod falsum est, cum talis nulla detur. Verisimilius est contingere symptoma hoc quoties sola venenata qualitas, nulla putredo aut exigua fatigat, unde nec humores, nec calor nativus quicquam patiuntur, unde neque pulsus, neque urina immutantur. Ubi notandum hanc pulsus moderationem contingere, vel in principio morbi ob rationem dictam, & postea in progressu succedente putredine pulsus immutari: vel in morbi progressu, etiam cum adjunctâ putredine, ubi pulsus qui priùs inæqualis erat & inordinatus, fit naturali similis ab rationem à *Galeno* redditam, nam non semper toto morbi decursu pulsus optimus apparet, sed interdum in principio, interdum in morbi progressu.

Vrina. V. Urina quoque varia esse solet pro humoris & partis affectæ diversitate, pro majori & minori cruditate & putredine, nam redundante pi-

te pituita, urina alba est crassa, aquosa, flavâ bile abundante crocea, flava, à sanguine verò rubicunda, cum cruditate erit tenuis, & si humorum effervescentia & adustio fuerit, turbata, lotio jumentorum similis, livida interdum, plumbea & nigra, quandoque maximè fœtida, si insignis putredo affuerit, quandoque oleaginosa, ἀραχνοειδεῖς ex colliquatione. Scribit *Hipp. 2. Epid.* tenues & turbatas urinas habuisse eos qui febri pestiferâ laborabant, quæ cruditatem, & caloris debilitatem ostendunt. Contingit autem, sicuti de pulsu diximus, urinam nonnunquam esse sanorum similem, quod contingere tantùm in pestilenti hectica volunt *Altimarus*, aliique recentiores, quia putredo solidas corporis partes occupat, non humores, unde non alteratur urina, quæ tantùm ostendit vitium eorum qui in venis sunt humorum. At superiùs ostendimus non dari ejusmodi hecticam pestilentem, de quâ *Galenus* hoc prognosticum scripsit, incurabilem illam esse, cum nulla medicina inveniri possit ad putredinem quæ cordis corpus occupavit, unde sequeretur febres illas in quibus urina sanorum similis apparet, perpetuò esse lethales, quod tamen certò scimus experientiæ repugnare, cum plurimas ejusmodi sanaverimus. Imo judico cum *Petro Salio Riverso* febres has in quibus pulsus & urina sanorum similia sunt, inter omnes pestilentes esse curatu facillimas, quia sola viget maligna qualitas alexiteriis edomanda, nulla putredo infestat, quæ sola ægrotanti periculum portendit, difficilioremque curationem reddit, ut ostendunt ardentes febres, quæ solæ periculosæ sunt, quamvis nulla adsit malignitas, nulla venenata qualitas. Imò in illis prava non adsunt symptomata, nec anguntur, nec cruciantur, nec sitiunt, nec dolent, nec alia habent putridarum accidentia. *Argenterius* vult prædictas febres non esse pestilentes, sed malignas tantùm, ridendamque illorum opinionem, qui putant id fieri timiditate naturæ, quæ non audeat venenosam materiam aggredi, Natura enim non agit ex consilio, ipsiusque instrumentum calidum innatum non potest non agere, agitque quantùm potest præsente objecto. Verùm docere debuit *Argenterius* cur in malignâ adsit prædictum symptoma, non in pestilenti, siquidem pestilens non minus noxia est, quam maligna quæ ipsi ità vocatur. *Riolanus* id fieri vult tantùm in ephemerâ pestilenti, non in humorali, aut quod venenum internum tantùm vitalem facultatem offendat, non jecur, non venosum genus, vel quod excretrix languida nihil humoris morbifici excludat. Vel demùm quo-

niam illius natura in solâ venenosâ qualitate, non in putredine consistit.

Symptomata. v. Pestilentem præterea indicant symptomata, quæ gravissima omnia superveniunt, & ficciora sunt quam in cæteris febribus, ut sunt vigiliæ, deliria, cataphoræ, memoriæ læsiones, convulsiones, tremores, fœtor anhelitus, syncope, jactatio, inquietudo, cardialgia, vomitus, inappetentia, sitis, respirandi difficultates, quæ febris parvitati non respondent, unde interiora vi & malignâ qualitate infestari est conjectandum. Interdum sitis major est, quam calor postulat, interdum, quoque exigua, lingua tamen existente sicca, quod malignitatis evidentissimum signum est. Excrementa sunt sæpe valde fœtententia quod maximum in leviculâ febre putredinis & venenositatis indicium, sicut & apositia ab humores malignos ventriculi robur dissolventes, aliaque multa prava. Sed maximè bubones, carbunculi, parotides, maculæ, aliæque excretiones ad ignobiles partes à naturâ factæ, quæ quidem inter se differunt colore, magnitudine, copiâ, nam nigræ, purpureæ, lividæ fiunt, interdum plures, interdum pauciores, minores quoque pulicum morsibus similes, interdum majores, ut sunt parotides, bubones, carbunculi, quæ omnes excretiones fiunt conatu naturæ materiam morbificam in habitum corporis expellentis. Contingit etiam ex *Hippocrate* alvi fluxus colliquativus, *3. Epidem. Ventris vitio omnes fermè mortui, cunctos namque venter sustulit, quæ evacuabantur erant* syntexes, quod signum ut advertit *Saxonia*, non semper convenit, quia dantur pestilentes quæ non habent alvi fluxum, sed neque omnibus, quia dantur in quibus fluxus est humoris potius nigricantis, aut alterius coloris, quam colliquativus. Et præterea colliquatio symptoma est ardentium; itaque hoc signum cæteris symptomatibus adjungendum est. Appetentia quoque omnino prostrata est, ita ut potius eligant mori, quàm cibum assumant: Qui autem sibi vim afferentes oblata alimenta sumpserunt, omnes fermè fuerunt superstites, ex *Galeno*: atque prædictis signis cognoscuntur febres pestilentes humorales.

Signa hecticæ pestilentis. vii. Præterea signa hecticæ pestilentis tradunt authores, si nullus percipiatur calor, ita ut vix febricitare sibi ipsis videantur, deprehenditur tamen calor acris manu thoraci impositâ, anhelitus fœtor adest ingens, nullaque exacerbatio, nisi post unam vel alteram horam à cibo sumpto, quæ signa non conveniunt pestilenti hecticæ, quia nul-

la talis datur, siquidem priora conveniunt aliis febribus humoralibus, ut vidimus superius, postremum verò signum est hecticæ simplicis. Pariter nec describenda sunt signa ephemeræ, quoniam talis febris vix fieri potest, nam sudorem anglicum, quem solum in exemplum ephemeræ adducunt, fuisse febrem humoralem ex ipso sudore superiùs ostendimus.

IIX. Cum autem ægrum jam defunctum invisit Medicus, eum peste extinctum fuisse signa prædicta ostendunt, si illa adfuerint, tum maximè si maculæ appareant, quæ interdum non vivo, sed mortuo superveniunt ægrotanti, interdum majores, interdum minores, variique coloris; Pariter si appareant bubones, parotides, carbunculi, aliive tumores tetri & coloris & odoris. Quod si nihil eorum in extincto cadavere appareat, tunc sufficere debent quæ prius diximus de causis & signis diagnosticis febris pestilentis. *Signa anamnestica.*

IX. Morbus hic omnium morborum periculosissimus est, & maximè lethalis, ita ut quæcunque demum cura adhibeatur, fermè semper ægrotantium pars maxima pereat, ut vix ex centum decem serventur. Ita ut non sit fidendum plurimis impostoribus qui certam istius morbi curationem pollicentur. Refert *Platerus* Chymicum quendam qui stibio se omnes curaturarum gloriabatur, peste cum uxore suâ periisse & *Adamum à Bodenstein*, in Chymicis versatissimum, cum libello edito se pestem præcavere & curare posse divulgaret, peste correptum, cum fermè ea Basileæ cessaret, interiisse, & ratio est quia pestis verum Alexipharmacum ignotum est, cujus loco iis utimur, quæ vel putredini resistunt, qualis est succus citri, vel cor roborant ut veneno & putredini resistat, quamvis nullâ aliâ vi peculiari pestis causas oppugnent. Curant igitur pestem tantùm per accidens, naturam roborando quæ est morborum medicatrix, & quia sæpe valida satis non sunt ista antidota, ideo natura sub onere morbi fatiscit. Periculosior tamen illa est pestilens, in quâ gravia adsunt symptomata, deliria, vigiliæ, convulsiones, sopores, extremorum refrigerationes, vomitus & dejectiones humorum virulentorum, in quâ adsunt exanthemata præsertim viridia, violacea, nigra; Deterrima verò quæ sunt livida, lata, copiosa, & quæ statim occultantur ex *Aëtio*, tum quæ in principio morbi apparent, arguunt enim humoris sævitiam naturam irritantem. Demùm omnia symptomata malum præsagiunt, nec bonis semper fidendum, visi enim plures sunt qui cum bonis signis interierunt. Mi- *Prognostica.*

nùs tamen lethalis illa censenda est in quâ sola venenata qualitas inficit, in quâ propterea nec gravia adsunt symptomata, nec pulsus, nec urina immutantur, potest enim solis alexiteriis edomari, sed si putredo simul adfuerit periculosior morbus redditur, ob adjunctam putredinem, quæ alexipharmacis tolli non potest, sic continua omnis putrida acutus morbus est & periculosus, multò autem sævior erit si simul malignitas & venenata qualitas accesserit. Quærit *Mercurialis* an parotides & bubones signum sint exitiale, cum natura videatur per hos tumores humorem morbificum vacuare. Respondet parotidas si appareant in morbi principio vel labefactatis viribus esse semper exitiales. Contra vero si in morbi progressu, viribusque firmis contingant, non esse semper lethales. Verùm præterea videndum an apparentibus iis morbus levior fiat, symptomata minuantur, viresque redeant alacriores, tunc enim bonæ sunt, & salutares, sed si morbus remaneat, nec levior fiat, lethales, arguunt enim materiæ morbificæ copiam circa partem principem, nam judicatoria non judicantia mala, quod de cæteris excretionibus quoque dicendum est.

CAP. IX.

De præservatione à peste.

1. PRæservatio à peste in tribus consistit, primum ut causa morbifica evitetur, secundum ut corrigatur, tertium ut corpora adversus illius vim muniantur. Ubi fiunt ab aere morbi, sententia est *Hippocratis 2. de Nat. humanâ*, locum & aerem esse mutandum, *Celsus* dixit esse navigandum, quod si evitari & relinqui locus peste infectus nequeat, tunc adhibenda præservatio est, idque ex *Hippocratis* consilio curandum, ut & purissimus & paucissimus aer admittatur. Sitque siccior & frigidior, quandoquidem putredinem difficiliùs concipit, ædes ideo septentrionem admittant, claudantur austro, atque omni diligentia mundentur & expurgentur, quod potissimum exemplo *Hippocratis* igne accenso perficiemus, præsertim si ex odoratis accendatur, quia absumit quæcunque in aere noxia esse possunt, & odore spiritus reficit, cerebrumque recreat. Urantur autem, *quercus, fagus, abies, olea, Iuniperus, laurus, lentiscus, cupressus, rosmarinus, salvia, hyssopus, thymus, pulegium, serpillum, rosa, lavendula, xyloäloe, Iuncus odoratus, cinnamom. caryoph.* myr-

myrrha, styrax, benjoinum, ambra, moschus, ex quibus etiam suffitus fieri possunt. In summis autem æstatis ardoribus aer refrigerandus iis, quæ in febre ardente diximus. Potest etiam aër quem inspiramus pomis odoratis alterari, vitando semper calidiora & nimis odorata, quæ cerebro & spiritibus noxia sunt. Fiunt ex ladano, ambra, moscho, caryoph. styrace, benjoino, ligno aloes &c. ℞ *ligni aloes, carpobalს. caßiæ ana* ℈ j. *calami aromat. spicæ ana grana* vij. *caryophill. nucis moscatæ ana grana* v. *styracis* ʒ j ß. *benjoini* ʒ j. *galliæ moscatæ* ℈ ß. *ambræ, moschi ana grana duo, ladani* ℥ ß. *cum muscilag. gummi tragac. factâ in aquâ rosar. fiant trochisci, vel pila odorata.* Vel ℞ *radicis angelicæ* ʒ ij. *zedoar.* ʒ ß. *rosar. rubrar. lavend. ana* ʒ ß. *seminis nigellæ, coriandri, corticis citri sicci ana* ℈ j. *nucis moscatæ, caryophillor. ana* ℈ j. *cinnamomi, ligni aloes, juniperi, ana* ℈ ij. *ladani, styracis ana* ʒ iij. *benjoini* ʒ ij. *myrrhæ* ʒ j. *camphoræ grana* vj. *cum infus. gummi tragacant. f.* pomum odoratum. Vel fiant candelæ odoratæ, quæ accensæ fumum reddunt gratissimum. ℞ *myrrhæ, thuris, benjoini, styracis ana* ʒ iij. *ladani* ʒ j ß. *succini* ʒ ß. *ligni juniperi, aloes, caryophillor. santali citrini, corticis citri sicci ana* ℈ j. *carbonum salicis ad duplum pondus omnium, cum infusione gummi tragacant. fiant aviculæ cypriæ.* Utuntur quidam pilis rotundis ex lignis odoratis, quæ intus sunt cavæ, intra quas spongia reconditur imbuta liquore quodam odorato, ut aquâ naffe, rosar. cum aceto, ut ℞ *radicis angel.* ʒ ß. *benjoini, styracis ana* ℈ j. *camphoræ, croci ana grana* v. *Cum aceto fiat infusio, cujus portio spongiâ ad usum dictum excipiatur.* Præterea ad aërem expurgandum cadavera & res infectæ crementur, sed procul ab urbibus, aquarum stagnantium vapor declinetur, ideo Magistratus mundas servari jubeant urbes quibus præsunt, cloacas, paludes, stagna depurent, & quicquid fœtorem putredinemque generare potest, omninò tollant.

11. In cibis quantitatem, qualitatem, & utendi modum spectare debemus. Debent autem esse eupeptoi, euchymoi, minimè excrementitii, quique putredinem arceant, quibus addi possunt ad gratiam acetum, omphacium, succus citri, granator. saccharum. Allium vitandum, quamvis à *Galeno* vocetur theriaca rusticorum, nam æstuosos malosque humores gignit, & tetro odore spiritibus est noxium, *Cicutis* dixit *Horatius allium esse nocentius.* Alii tamen commendant quod venenis assumptis prosit & valeat adversus aquarũ corruptionem; sed aliud est loqui de cibo, aliud de medicamento, potest enim esse remediũ ad-

versus venenũ aliquod assumptum, quamvis alimentum sit cacochymũ homini sano noxium; Eâdem ratione vitare oportet raphanos, cepas, porros, fungos, tubera. Abstinere oportet ab omnibus antiquis carnibus, pinguibus & crassioribus & *Averrh. 6. Collig.* Præstantiores sunt carnes pullorum, gallinarum, caponum, phasianorum, perdicum, turturũ, juvenum columbarum, hœdorum, leporum, caprealorum, vervecum, vitulorum: Coqui possunt cum foliis acetosæ, borrag. pimpinellæ, & tempore frigido, cum zinzibere, cinnamomo, caryophillis. Ova tremula, sorbilia, omphacio & aceto condita prosunt: Legumina omnia improbat *Mercurialis*, quod malum succum gignant, multosque scripserit *Hippocrates* in Æno ex esu leguminum ægrotasse unde Arabes malè lentes præscribunt. Fugiendi fructus horæi, melones, cucurbitæ, cucumeres, persica &c. quia pravum succum febresque malignas pariunt; Pistacia verò, amygdalæ, avellanæ, nuces conveniunt, sicut inter herbas melissa, borrago, buglossum, acetosa, pimpinella, sonchus, endivia. Pisces non omnino rejiciendos putant *Massaria & Altimarus*, si sint optimi, carne molli & friabili, & in aquis puris & limpidis degant, ut mullus, scorpius, trotta, solea, &c. Illud in omnibus eduliis observandum, ut sint optimè parata, nitida, sine sordibus, visuique placeant, & ex locis salubribus desumantur.

Potus. III. Rhazes in potu vinum omnino prohibet, quia humores calefacit, adurit, in caput exhalat, At sic etiam theriaca, & alia antidota rejici deberent. Ideo alii rectius vinum concedunt, quia cardiacum, spiritus instaurat, & roborat adversus causæ externæ efficaciam, nec exurit, nec inflammat nisi immodicè sumptum. In quantitate ciborum & utendi modo id perpetuò observandum, quod inter sanitatis tuendæ regulas traditur, repletionem crapulamque esse vitandam, lubrica adstringentibus, humida siccis, eupepta dyspeptois præmittenda.

Motus. IV. Moderata sint exercitia, imò secundum quosdam optimum nullis uti, sed domi se continere, quia exercitio augetur calor, sicque spiritus multò plus inspirare oportet, quod vetant *Hippocrates & Avicennas*. Attamen ea mihi maximè videntur convenire, si fiant in cœlo bene puro, difflato, ad Aquilonem spectante non autem in loco concluso, vaporoso, declivi, & infecto, sique fiant, non statim à cibo, sed ante cibum, & ejusmodi exercitia calorem nativum roborant, corpusque ab excrementis evacuant. Rhazes in quadam peste refert omnes fermè

fermè interiisse præter venatores, tum quia in aëre libero vivebant, tùm quia exercitiis corpus confirmabant. Vitentur tamen choreæ publicæ, hominumque magnus concursus.

v. Somnus & vigilia, si modum excedant malum, igitur utraque sint moderata, dormiendum autem in cubiculo bene clauso, & obturato, ne pestilens aër subeat, qui suffitu manè & vesperi emendari potest, dormire autem sub dio, vel juxta arbores quarum, umbra gravis est & noxia, malum. *Somnus.*

Ira, metus, tristitia pestis timor, procul facessant, vita potius hilariter & jucundè transigienda, nam inter omnia animi pathemata maximè nocet mortis timor, unde vespillones qui & assueti sunt & nihil timent, potiusque lucro inhiant, vix unquam peste afficiuntur. *Pathemata.*

vi. Inanitionem quod spectat, corpora quantùm fieri potest excrementis vacua serventur, perspirabilia reddantur, obstructiones internæ apeciantur, unde inutilis quæstio eorum qui quærunt, habitus rariorne an densior sit magis pestilentiæ obnoxius, nam si transpiratione periculum corpori impendet, multò magis ex inspiratione. Vacuantur autem corpora *primò* venæ sectione, si plethora adsit, observatis iis quæ in ejusmodi remediis observari solent, cujus loco cucurbitulæ partibus inferioribus adhibeantur. *Secundò* purgatione, quam quidam ex fortioribus instituunt medicamentis, euphorbio, colocynt. stibio, diagridio, & similibus. Alii melius utuntur benignioribus, quia priora venenata sunt & maligna, Maximè laudantur pilulæ dictæ pestilentiales, de tribus & Rufi, quamvis Rufus non pilulas sed potionem describat, amarissimam, & ingratissimam, qualem ægri nostri vix bibere vellent. Haud novi, inquit Rufus, qui hoc potu pestem non superaverit. Constant aloe, myrrha, croco, *Rufus* loco croci addebat ammoniacum: Rhabarbarum quoque salutare est & agaricus. Usurpari possunt cathartica superiùs in singulis febrium speciebus descripta, humoresque priùs, sicuti illic diximus, præparentur, tum calidis tum frigidis, pro humoris peccantis ratione. Vomitus quoque, si adsit stomachi repletio, utilis est, & demum suppressa quælibet evacuatio consueta revocetur. Cauteria, per quæ ichores continuò effluunt, utilia judicantur à *Massariâ, Mercuriali*, *Nicolao Florentino*, brachiis, cruribusque apposita, testaturque Mercurialis se neminem vidisse peste extinctum qui cauterium haberet, unde *Galenus 5. methodi cap. xij.* scribit in pestilentiâ quâdam sui temporis illos omnes evasisse, quorum scatebant ulceribus corpora. *Inanitioni & replet.* *Cauteria.*

VII. Præ-

Antidota. VII. Præter hæc prophylacticis corpora sunt munienda, eadem autem tum præcautioni, tùm curationi inserviunt, in formâ Julepi, syrupi, decocti, infusionis, opiatæ, tabellarum, aquarum stillatitiarum, & cum verum pestis antidotum ignoretur, quæcunque cardiaca sunt tam calida quàm frigida promiscuè huc referuntur. Præcipua sunt theriaca, mithridatium, diascordium, electuarium de ovo, theriaca diatessaron, quæ remedia calidissima non censet *Galenus de theriaca ad Pisonem capite 17.* temerè pueris exhibenda, nec æstivo tempore, sed temperanda refrigerantibus; quamvis ostendat experientia fœlicissimo cum successu ejusmodi remedia laborantibus pueris præberi; Est alia Mithridatis antitotus, ex duabus nucibus, totidem ficubus, rutæ foliis viginti, salis grano, quam singulis diebus qui sumpserit à veneno tutus erit. Est antidotus magna Matthioli, ex infinitis simplicibus coagmentata, quæ à quibusdam valdè laudatur. Ejusmodi alia quamplurima à Medicis materiæ Medicæ peritis præscribi possunt.

Externa. VIII. Externa medicamenta sunt epithemata cardiaca, & carpis & regioni cordis admota ex theriacâ, mithridatio, oleo scorpionum cum aceto caryophillato, & succo limonum, ℞ *olei scorpionum* ʒ ij. *theriacæ* ʒ j. *confect. alchermes* ℈ j. *caphuræ g. vj. croci grana duo, olei caryophill. angelicæ distillati ana guttam unam M. fiat Epithema.* vel ℞ *theriacæ* ʒ ij. *rad. angel.* ʒ j. *caryophillor. hortensium, corticis citri sicci ana* ʒ ß. *croci, camphoræ ana grana tria, succi limon.* ℥ j. *vel aceti rosacei tantundem, f. linimentum, regioni cordis applicandum.* Sacculi quoque cardiaci assiduè gestari possunt. ℞ *flor. anthos, trium cordialium ana P.* ß *rad. angel. cort. citri, rad. ireos ana* ʒ j. *ligni aloes, Santali citrini, macis, nucis moscatæ ana* ʒ ß. *croci grana v. fiat pulvis, ex quo sacculus cum bombace.* Solent quidam addere lapides pretiosos, sed frustra, quia illorum virtus non potest à calore nostro reduci in actum. Sed sacculis addere venenata ut arsenicum, sublimatum, jam invaluit consuetudo, multorumque medicorum comprobat authoritas, & ratio suffragari videtur, ob vehementem scilicet siccitatem, quâ venenum omne absumunt, vel ob qualitatem occultam peculiaremque vim quâ venenum attrahunt, ut pharmacum humorem. Sic à *Mercuriali* componuntur, ℞ *arsenici crystallini* ℥ ij. *dictamni albi, croci ana* ʒ ij. *camphoræ, euphorbii ana* ʒ j. *fiat pulvis, qui cum aquâ rosarum & gummi arabico reducatur in pastam, quæ postea exsiccetur, & linteo involuta supra cor gestetur.* Alii varia præterea ad libitum admiscent cardiaca, imo & bufonis exsiccati pulverem. *Septalio* autem &

Epithemata.

Sacculi.

Massa-

Massaria non tantùm inutilis, sed & periculosus illorum usus censetur, quia corpus potius lædere possunt per vapores venenatos, quam cor cui adversantur tueri, si enim admota partes non exsiccant, sed putrefaciunt & corrumpunt, quomodo cor à malignâ qualitate defendent, ut fusè explicat Massaria libro de peste.

IX. Periaptis quoque utuntur alii: Avellanam argento vivo repletam de collo suspensam probat *Ficinus*. Idem præstare dicuntur *Sapphyrus, smaragdus, ebur, hyacinthus*, si nudum pectus attingant, sicuti pariter laudantur pentaphylli, dictamni, betonicæ radices, si manu gestentur. Sed quanta ejusmodi periaptis fides sit adhibenda in methodo generali diximus.

CAP. X.

De curatione febris pestilentis.

I. ILlud primùm inquirendum an methodo & per indicationes curari febris hæc debeat, Medicus rationalis, ne empiricus credatur, semper methodum affectat, at empirici etiam methodo utuntur, & ordine in curando, sed an indicationibus in febre pestilenti sit utendum hæc quæstio. Quidam solis alexiteriis contenti sunt, quæ omni tempore omni ætati exhibent sine methodo solâ innixi experientiâ. Præstantissimorum tamen Medicorum exemplo non omnis respuenda methodus. Non unam habent febres pestilentes curandi indicationem, sed geminam, triplicemve, nam ratione febris indicant refrigerationem, quæ quamvis evictâ putredine deleatur, non est tamen negligenda: Putredo quoque indicat alterationem & evacuationem; at quia venenata simul putredo est, alexiteriis est utendum. Ubi notandum si sola venenata qualitas fatiget, nec putredinis adsint indicia, ut in plurimis observare est, solis alexiteriis esse utendum, sed si unà putredo affuerit, alterantia & evacuantia in usum esse revocanda: Solet autem putredo familiaris esse febribus malignis, vixque ulla est quæ illam non habeat comitem, quamvis illius natura in putredine illâ non consistat. *An methodo sit curanda?*

II. Victus rationem quod spectat: Aër frigidus sit siccusque, talisque arte paretur inspersis aquis refrigerantibus & odoratis, & aceto, *Diæta.*

 sub-

ſubmoveaturque adſtantium frequentia; Vigiliæ quæ ægros torquere ſolent ſubmoveantur omni arte, ſomnus tamen ſit moderatus, nam longior omnino exitialis eſt, quia qualitas venenata intus remanet, & promptius cor obſidet. Si ergo ſomnus nimis arctè ægrum detineat, frictionibus, ligaturis & aliis remediis inhibeatur. Omnis animi paſſio gravior vitanda, ut mœror, ira, timor, præter gaudium & lætitiam. Alvus ſi nimium adſtricta ſit, clyſteribus interdum ſed rarò ſollicitanda. Vinum non eſt concedendum ex *Avicennâ*, nec exercitium, neque ſitis, quia corpus exſiccant, accendunt, & attrahendi aëris occaſionem præbent, unde *Galenus* bolum armenam vetat propinari cum vino ſi adſit febris, vini autem loco convenit aqua hordei, acetoſæ, cum vino granatorum ſucco berberis, aceto, &c. Nec obſtat *Paulum* pilulas Rufi ex vino propinare, nam tunc vinum ratione medicamenti in paucâ quantitate, non ratione alimenti præſcribitur. De cibo dubium eſt copioſuſne an parcus eſſe debeat, ſiquidem ob virium imbecillitatem quæ facilè diſſolvuntur plenius eſt alendum, & *Galenus 3. in 3. epidem. com. 58.* ait eos ſervatos fuiſſe qui ſibi vim inferentes cibos alacriter ſumpſerunt, cui conſentiunt omnes Græci & Arabes *Oportet* inquit Avicenna, *ut cibi eorum ſint ex acetoſis, & deſiccativis, & eos oportet cogere ad cibum.* Itaque quia in his febribus ſolent criſes eſſe pernitioſæ, declinandæ ſunt, ideo non tenuis ſed plenior victus impetrandus, quo humoris ferocia infringatur, nam ut inquit *Herodotus apud Aëtium*, inediæ humorum malignitates augent. Alii tenuem victum imperant, tùm quia morbus eſt acutus, qui talem victum poſtulat, tum quia impura corpora quò plus nutries eò magis lædes, augentur enim humores pravi, tùm quia viſcerum calor imbecillis eſt, unde non poteſt uberiorem alimenti copiam inficere, inde majus accedit corpori nocumentum, nam ut docet *Galenus xj. method. cap. 16.* corpora non aluntur ex his quæ devorantur, ſed ex iis quæ in viſceribus optimè concoquuntur, & concocta digeruntur. Ideo ſecundum *Mercurialis* ſententiam mediocritas ſervanda, ſæpe & parum exhibendo, nam ex cibo parciori vires collabuntur, plenior eaſdem obruit, cruditates putredinemque auget: Satius igitur eſt eum ſæpius exhibere, modo ſit optimi ſucci & facilis coctionis. Humidior ab omnibus fermè reprobatur, unde quidam etiam ptiſanæ uſum damnarunt, quam tamen niſi alvi fluxus obſtiterit, alii commendant, quod refrigeret,
cu-

eupepta ſit, minimè excrementoſa, præſertim ſi ſucco granatorum & ſimilibus medicetur. Juſculis incoquantur, quæ malignitati obſiſtunt, ut folia acetoſæ, ſcabioſæ, tormentillæ, meliſſæ, pimpinellæ, borraginis, ſuccus citri, limonum, berberis, granator. acetum roſaceum, omphacium. Juſculum cum vitellis ovorum laudatur, ſed fructus omnes rejiciendi quia facilè putreſcunt, poſſuntque cibis admiſceri cardiaca & alexiteria. Carnes non competunt in febribus acutis, multò minùs in malignis, quia corruptionem facillimè ſubeunt, unde dicit *Hippocrates* ſolis ſorbitionibus alendos eſſe ægrotantes.

III. Reliquum curationis quod ſpectat. Conſiſtit ea inquit *Avicennas*, in exſiccatione, quæ venæſectione & purgatione perficitur, de quibus tamen remediis dubitatio maxima eſt an conveniant, quia quicquid fiat à Medico ſemper ægrorum pars maxima moritur, non remedii importunitate ſed pravitate morbi. Magna autem hactenuſque ſub judice conſtituta lis eſt ſanguis ne mittendus ſit necne, cum alii aſſerant, alii negent, alii ſcarificatas cucurbitulas, alii hæmorrhoidibus hirudines adhibeant. Quidam igitur venam ſecandam eſſe negant, *primò* quia vires imbecillæ ſunt in peſtilenti febre, maligna qualitate viribus noxam infert, venæſectio ſanguinem vacuando vires non ſuſtinet, ſed eas etiam labefactat, & ad morbi ferociam edomandam ineptas reddit. *Secundò Galenus lib. de cibis boni & mali ſucci*, omnes refert obiiſſe quibus ſanguis miſſus eſſet. *Tertiò* neque ratione putredinis convenit, quia venæſectione non curatur, ſed aliis remediis *xj. methodi cap. 15.* nec ratione venenatæ qualitatis, quia venæſectio venenum à circumferentiâ ad centrum trahit, unde revocatis in penitiora corporis humoribus mors celeriùs contingit. *Quartò* experientia oſtendit venæſectionem in peſte fuiſſe noxiam. Refert *Valleriola*, ſe obſervaſſe omnes eos quibus detractus fuerat ſanguis, interiiſſe, reliquos autem evaſiſſe magnâ ex parte. At qui phlebotomiam admittunt prioribus rationibus reſpondent. Primæ quidem in nullo morbo demendum ſanguinem naturæ theſaurum ſi vires non conſtent, at in peſtilenti quamvis eximia urgeat putredo, vires tamen adeſſe poſſe, aliàs omnes interirent, & ſanè recreata natura alacrius inſurgit adverſus morbum & illum ſuperat. Secundæ vero, *Galenum* loqui de peſte quâdam in quâ ob annonæ penuriam vires erant attritæ, quæque ideo venæſectionem de-

An vena ſecanda.

Rationes negantium venæſectionem.

Reſponſio.

dehortabantur, ex particulari autem caſu univerſalis propoſitio non eſt inferenda. *Tertiæ* verò ſatisfaciunt, convenire phlebotomiam ratione materiæ putris quæ evacuatur, nec metuendum eſſe recurſum à circumferentiâ ad centrum, nam præterquam quod quilibet naturæ motus non eſt imitandus ut ſymptomaticus, natura præterea onere ſuo levata, & expedita pondere, alacrius & facilius expulſionem in cutim molitur & perficit, ut *1. aphoriſm. 23.* ſanguine ad lipothymiam miſſo plurimis ſudores contingunt. Nec abſurdum eſſe putant venenum in vaſis majoribus conſiſtens venæſectione educi debere, modò vires conſtent: Quamvis enim venenum hauſtum venæſectione in venas rapiatur, proptereaque ſtatim aliis remediis è ventriculo vacuandum ſit, antequam ulterius ſerpat, eadem tamen ratio non eſt de veneno in venis majoribus concepto, è quibus nullo remedio commodius quam ſanguine miſſo evacuatnr, venæſectione autem humores à centro ad circumferentiam trahi non contra rectè oſtendit Augen. lib. 4. cap. 19. de phlebotom. quia minores venæ à majoribus, & hæ ab aliis trahunt donec ad jecur & ventriculum fiat attractio, tum quia naturaliter venæ habitus corporis trahunt à primis venis. *Quartò* demum loco authoritatem opponunt Medicorum contrariâ experientiâ certantium, qui pariter obſervarunt omnes, aut ſaltem quamplurimos venæſectione fuiſſe liberatos, quamvis hæc ſit hujus morbi ſevitia, ut quibuſcunque adhibitis remediis ægros interficiat, quod natura morbi, non remedio tribuendum.

Rationes probantium venæſectionem.

V. Et quidem ſanguinem mittendum eſſe voluit *Avicennas*, cum inquit cardinem curationis eſſe exſiccationem, eamque fieri & pharmacis & ſanguinis miſſione, eandem probat *Galenus 3. epidem. 20.* In Critone, & *3. in 3.* in prooemio, & in hiſtoriâ Calvi Lariſſæ *Rufus apud Oribaſ. 6. ſynopſ. 25. Aëtius ſermone quinto, cap. 95. Paulus cap. 36. lib. 2. Avenzoar lib. 3. Theizer. Rhazes 3. Continentis*, quibus quamplurimi ex recentioribus adſtipulantur. *Primò* in morbo magno mittendus eſt ſanguis, ſed peſtilens febris eſt morbus magnus, magnum enim morbum etiam cacoethia conſtituit. *Secundò* eſt ex genere putridarum, at in omni putridâ, optimum eſt ſanguinem mittere, ſi enim vacuatione indigeat, quis vacuantia remedia denegabit: Inde corpus refrigeratur, febris minuitur, peccantis materiæ portio demitur, ſudores effluunt, libera in omnibus meatibus ſpiratio efficitur. *Tertiò* ſi vene-

num

num citissimè est ex corporibus educendum, illudque potissimum in sanguine consistat, educto sanguine tolletur fomes veneno, causâ externâ prius aut evitatâ, aut alteratâ. *Quartò* Galenus *3. epid. 1. textu 26.* quærit cur Hippocrates in historiâ Critonis non miserit sanguinem, respondet id factum quia in principio non fuit accersitus, quasi si opportunè accessisset, sanguinem mittere debuisset. Idem *Galenus 14. methodi cap. 16.* in carbunculo pestilenti & *3. κατ. τοπ. cap. 2.* in parotidibus, & *6. Epid. textu 30.* apparentibus exanthematis & posse mitti & debere. Plurima præterea addunt tum de tempore, tum de sanguinis mittendi quantitate, ex generali methodo repetenda. Quidam post quartum diem nefas esse putant sanguinem mittere, aliàs vires malignâ putredine concidunt, unde *Hippocrates* non meminit venæsectionis in casu Critonis, quia in principio non fuit vocatus, quasi post principium venam secare non liceat; Alii ex *Galeni* consilio non dierum sed virium rationem habent, ita ut præsentibus scopis phlebotomiæ, etiam vigesimo morbi die eam faciendam censeant, sicut etiam primâ die ab eâ abstinendum si vires fuerint exolutæ, & Critoni non missum fuisse sanguinem, non quia principium morbi præterierat, sed quia vires morbi sævitiâ erant dejectæ, quod pustulæ nigræ in cute efflorescentes ostendebant.

v. Affirmativa pars fermè in Scholis obtinet principatum, quæ tamen non est absolutè sequenda, nec experientiæ consentit, siquidem vidimus omnes quibus aut meo aut aliorum consilio sanguis in ejusmodi febre missus fuit, ad unum interiisse, reliquos fermè omnes sanatos, & ratio suffragatur. Siquidem eidem morbo non conveniunt repletio & inanitio, at febri pestilenti convenit repletio, scilicet victus plenus, non igitur venæsectio. Considerandа hic venenata qualitas, quæ si sola fatiget, solis alexipharmacis erit utendum, sed si præterea humorum putrefactio conjungatur, plethora adsit, sanguis mitti poterit, aliàs minime, unde quamvis quamplurimis phlebotomia prodesse queat pesti tamen non convenit quâ pestis, sed tantùm ratione adjunctæ plenitudinis, & putredinis humorum in vasis. Unde superioribus respondemus, nec omni morbo magno, nec omni febri putridæ, nec veneno deberi sanguinis missionem. Non debet autem authorum recensitorum authoritas prævalere, quoniam veteribus pestis Natura & curatio vix satis cognita fuit, tamque jejunos de eâ reliquere sermones, ut Conclusio. *

recentioribus in hoc morbo potius fides ſit adhibenda quàm veteribus.

Hirudines. VI. Sed loco venæ ſectionis alii probant hirudines hæmorrhoidibus appoſitas, quæ pravum fæculentumque ſanguinem attrahunt, quæ evacuatio præterquam quod per excretioni deſtinata loca evacuat, fit præterea ſine magnâ ſpirituum reſulatione, cum guttatim & per anguſtas venas ſanguis profluat, & ab intimis partibus revellat, in quibus ſolet morbi fomes latitare.

Cucurbitula. VII. Eâdem ratione cucurbitulæ proſunt ſcarificatæ, quas ideo venæ ſectioni quidam præferunt, quia ex hâc interior ſanguis magis vacuatur, ſpiritus magis exhauriuntur, venenum in corpus univerſum diffunditur, Cucurbitulis contra extrahitur magis venenum ad corporis ambitum, & ſuperficiem, motuſque naturæ adjuvatur. Sed principio febris non debent apponi, quoniam *13. methodi* non conveniunt in plethoricis ante vacuationem & purgationem, ſicut neque in phlegmone, ſive Cerebri membranas ſive alias partes occupet, nõ ſunt ſcapulis apponendæ ut quidam faciunt, quia cor nimis calefacerent, humores ab univerſo corpore ad ipſum attraherent unde ſcribit *Avicennas* tremorem cordis generare, niſi ut docet *Antyllus*, ferventibus internis viſceribus frigeant exteriora, ut in febribus lipyriis, tunc valde conveniunt. Applicandæ igitur ſunt potius partibus inferioribus, ut natibus, & ex ſententiâ *Apollonii* Medici apud *Oribaſium*, cruribus, nam ſpiritus non diſſipant & multùm à corde revellunt. Sed operatio quam deſcribit *Oribaſius*, differt à cucurbitulis ſcarificatis, & à ſcarificatione vulgari, de quâ plura diximus in generali methodo.

Veſicantia. VIII. Inter Chirurgica auxilia laudantur Veſicantia, quæ à partibus internis ad externas venenum trahunt; Remedium erat veteribus familiare, nam *Oribaſius lib. 8. Collect. cap. 19.* probat veſicantia ad revulſionem veneni à partibus nobilibus ad ignobiles; *Iacobus de partibus* valde ea extollit brachiis & cruribus appoſita. Sed tamen non omnibus placent recentioribus. *Primò* quia calidiſſima cum ſint in calido affectu non conveniunt; *Secundò* dolorem & moleſtiam ingentem pariunt. *Tertiò* ulcera pariunt curatu difficilia & turpia. *Quartò* naturæ motus remorantur. *Quintò* humorum coctionem prohibent. Sed convenire ejuſmodi remedia cenſent authores quamplurimi. *Oribaſius, Aëtius, Paulus, Mercurial. Saxonia*, aliique, quia venenum à partibus internis ad externas & à corde remotas potenter revellunt, ſic docet

cet *Galenus*, fluxiones in caput & thoracem tendentes per acria esse retrahendas, sive cum febre fuerint, sive citra febrem. *Rhazes* aliique veteres quibus ignota erant hujusmodi remedia, veneni tamen ad exteriora attractionem semper proponunt. Præterea calorem febrilem ad exteriora revocant, cataphoras, deliria, fluxusque sedant ex sententiâ, *Rufu* apud *Aëtium*. Paulus valdè probat *cap. 36. lib. 2. In iis quibus ardor interiora occupat, Summa inalgescunt. præcordia contrahuntur, venter colliquata dejicit, mens desipit, lingua est aspera, hi calefacientia postulant, ut calor per totum corpus distrahatur, aut si alio modo ab internis foras poterit elici.* Nec quicquam valent rationes prædictæ. Primæ satisfiet si dicamus phœnigmos præscribi propter symptomata febri adjuncta, non propter febrem, quin potius præscribi ad revulsionem & vacuationem humorum calidorum, quibus expurgatis interiora refrigerantur potius quam incalescunt. *Ad secundam* dico non esse adeo dolorosa, sed si essent quid tum! ratione doloris attrahunt, quod si dolorifica remedia exploderentur, funditus tolleretur ars medendi. *Ad tertiam* Respondeo, non semper sequi magna ulcera, quin etiam sæpe ejusmodi ulcera prosunt, Naturâ expurgante quicquid noxium est & pernitiosum in corpore. *Ad quartam*, negamus impedire Naturæ motus, quinpotius in principio admota eos promovent. Sic quoque *quintam* negamus, scilicet prohibere coctionem, nam evacuant ea quæ noxia sunt, nec talem in his expectare oportet coctionem, qualis desideratur in reliquis humoribus, humor enim summè putridus concoqui non potest ex *Galeno*, ut docet *Saxonia libro 2. de Phœnigmis*. Statim autem in principio ubi malignitas morbis dignoscitur sunt adhibenda, non autem ut quidam faciunt rebus desperatis & in summâ virium imbecillitate. Apponuntur autem cruribus paulò supra malleolum, & carpis manuum, quod si capitis symptomata urgeant etiam pone aures. Fiunt autem ex variis rebus, flammulâ jovis, ranunculo, vulgo ex cantharidibus, sinapi, euphorbio, fermento & aceto acerrimo. ℞ *cantharidum præparatar.* ℈ iij. *sinapi, euphorbii ana* ʒ j. *seminis ameos* ʒ ß. *fermenti* ʒ iij. *ceræ resinæ q. s. addito aceto acerrimo fiat massa, quæ prædictis locis applicetur.* Quod si metus sit exulcerationis vesicæ prætermissis Cantharidibus, præparari poterit ex *Sinapi, euphorbio, nitro, thapsiâ, Sandarac. Squamâ æris, ære usto, vitriolo, elaterio, squillâ, lacte tithymali, nasturtio, lepidio, tartaro usto, fimo columbino, &c.* ℞ *Sinapi* ʒ ij. *euphorb.* ʒ j. *caricarum pinguium* ʒ iij. *cum aquâ vitæ fiat pasta.* ℞ *Sinapi, nitri ana* ʒ j ß.

eupho-

euphorbii, thapsiæ ana ℥ ij. *dissolvatur gummi in aceto squillitico, & cum cerâ fiat ceratum.* Pars primum abradenda est, dein ad ruborem fricanda, panno aspero, & acrioribus, non autem oleosis, quia acrium vim hebetant. Vesicæ autem apparentes acu perforentur ut ichor exeat, post illinantur butyro cum brassicâ, aut in nimio dolore unguento de cerussâ. Post admovetur attrahens aliquod ceratum ut diachylon, donec tempus sit ulcera claudendi, quod ceratum de minio, vel diachalciteos commodè perficiet.

Purgatio. IX. De purgatione pariter dubitatur, utrum illa conveniat? Quidam negant, alii concedunt, idque non nisi in principio, alii materiâ tantùm concoctâ: Quidam lenientia tantùm, alii vehementiora ut scammonium, antimonium præscribunt. Non convenire autem multi volunt; *Primò* quia vires languidæ vix possunt medicamenti & morbi sævitiam ferre: *Secundò* sola venenata qualitas lædit in pestilentiâ, quæ non catharsi, sed alexiteriis edomatur. *Tertiò Hippocrates 3. Epidem. 56.* Omnes, *inquit*, venter sustulit, purgationes multos offendebant, si igitur alui fluxus lethalis est, omittenda est purgatio, unde *Celsus & Rhazes*, nolunt, in pestilentiâ alvum esse ciendam. Contrarium docet *Avicennas*, cum prodidit febrem pestilentem exsiccationem per phlebotomiam & ventris solutionem requirere, & *Hippocrates 3. Epidem. sect. 3.* docet quosdam alui & urinarum excretione fuisse sanatos, cum enim cacochymia insignis adsit hæc aliter quam purgatione vacuari nequit. Respondent quidam si alui fluxus fuerit colliquativus, vel futurus timeatur, omnino abstinendum, quod cognoscitur si febris fuerit ardens, adsint ventris tormina, rugitus, murmurationes, viresque sint dejectæ, tuncque cautè esse agendum, quod si nihil tale adfuerint, catharsin posse commodè imperari. Dubitant alii an in principio danda sint, tùm qualia conveniant; Respondent plurimi statim in principio danda esse. Certum est in doctrinâ *Galeni*, humorem illum qui Naturæ gratiam acquirere nequit, statim è corpore esse educendum, ne putredo augeatur, ideo *cap. 18. lib. de Constit. artis*, pituitam salsam statim evacuandam consulit, quia concoqui non potest. Constituit siquidem humorum putrescentium species tres, unam eorum quibus Natura dominatur, alteram eorum qui partim superantur, partim superant, tertiam eorum in quibus Natura semper superatur, quia humores concoqui non possunt, & à Naturâ edomari, propterea statim è corpore sunt educendi. Præterea febris

hæc

hæc eſt morbus acutus, in acutis autem ſi quid videtur movendum, move, ſiquidem tardare, malum ex aphoriſmo. Demum ubi materia turget ſtatim eſt vacuandum, ne, *ut inquit Galenus*, in partem aliquam nobilem ruat. At in febre peſtifera materia turget, imo & partem nobilem obſidet, quare eſt purganda, unde *Avicennas* ſtatim vacuandum præcipit. Acris materia eſt ardens, virulenta, quæ undequaque agitata partes principes petit. *Oribaſius*, *Aëtius*, *Paulus*, adeo varia peſtis ſymptomata recenſent, ut ea omnia à turgente materiâ proficiſci facile ſit agnoſcere. Sed blandis potius quam vehementioribus medicamentis eſt agendum: Validiora enim quia calida venenata & viſceribus ac naturæ infenſa, plus detrimenti afferunt quam emolumenti, præcipuè cum in peſtilentiâ frequens ſit alui fluxus colliquativus; Inſuper introrſum trahunt contagem, ſanguinem præterea, humores & corpus nimium agitant, unde ab iis abſtinere bonum eſt, ſic in bubonibus veneris purgatio pernitioſum humorem in intima corporis deducit, multò periculoſius idem in peſtiferis contingeret. Convenient igitur leviora *rhabarb. agaricus*, *myrobalani*, *tamarindi*, *ſyrupus roſar. ſolut. catholicon*, *hiera*, *pilulæ Ruſi*; Sed Caſſiam quidam prohibent, quod humectet; At pariter nec juſculis, nec ptiſanâ, ſed ſolo biſcocto alendi forent ægrotantes, nec adeo humectat ac illi cenſent, tùm in corpore nec remanet, nec in eo putreſcit. Gentilis & Savanarola fortia præferunt benignis, quia morbus non dat inducias, nec humor poteſt à naturâ probè concoqui. At dum promptum auxilium præcipiti malo adhibere volunt, verendum ne venenum multiplicent partes nobiles labefactent, & ægrum in mortem præcipitent. Clyſteribus etiam uti poſſumus quotidie aut alternis diebus, ex decocto refrigerante, decocto hordei, vel ſero lactis, cum Saccharo, butyro, & oleo ac melle violato. Decoctum veronicæ cum butyro bene ſalito injicit *Crato*, Alii cremorem hordei, ad humores ut aiunt contemperandos. Vomitoriis quidam utuntur etiam validiſſimis, ſtibium porrigit Matthiolus, quorum uſu cum viderim plurimos interemptos, ab iis cenſeo abſtinendum, nam humores venenatos, non tantùm retrahunt in interiora, ſed etiam in partem nobilem, valdè ſenſibilem per arterias & nervos cordi conſentientem, unde convulſionis, delirii, ſyncopes, mortiſque periculum impendet, unde ſi Natura in morbi principio hanc viam affectet, erit vomitus ille ſymptomaticus, pernitioſus, & propterea cohibendus. *Vomitus.*

Alterantia. x. Cum igitur nec satis tuta sint remedia tum Chirurgica, tum purgantia, ad alterantia veniamus & alexiteria, quibus statim in principio quidam utuntur, antequam maligna qualitas cor occupaverit, nam ex 3. *de præsag. expulsibus*, ubi venenata qualitas cor obsidet, æger desperatæ est salutis. Ubi Notandum hactenus verum pestis Antidotum esse ignotum, ex sententiâ *Cratonis*, *Mercurialis*, & aliorum Medicorum, nos tantùm vulgaribus utimur alexipharmacis simplicibus & compositis quæ naturam roborent, unde non mirum si veri remedii ignoratione tot pereant. Quæstio est an calida esse debeant, an frigida. Recentiores quamplurimi qui methodum & indicationes affectant, sola commendant refrigerantia ratione febris; *Rondeletius* laudat pulveres *diamargarit frigidi, triasant. Diatragac.* addito crystallo, & à pulvere bezoardico tollere jubet *semen rutæ, dictamnum, radicem tunicis*, quia nimium calefaciant. Idem improbat pulverem de bolo, & theriacam quia calida habent quamplurima simplicia, probat autem refrigerantes syrupos & aquas, eaque quæ in febre ardenti dicta sunt. * At *Galenus* qui probat & laudat bolum armenam, idem probat theriacam quæ calida est; Agunt hæc non qualitatibus manifestis, sed totius substantiæ proprietate, unde quamvis frigida conveniant, non tamen nisi quæ sunt cardiaca, & veneno opitulantur, nam cum ejusmodi refrigerantia vix ardentem synochonue febrem superent, quomodo evincent pestilentem. Non semper igitur frigida esse debent; Ideo fermè omnes qui pestilentium curationem tradunt, calida non minus quam frigida usurpant. Alterantia autem humorum qualitates emendant, obstructiones aperiunt, putredinem prohibent, suntque pro humorum diversitate varianda, nam in calidis qui utplurimum peccare solent, conveniunt succi limonum, arantiorum, granator, acetum, & similia in febre ardente & synocho recensita, cum decocto acetosæ borrag. lactucæ, portul. scabiosæ, cichorii, endiviæ, ℞ *Succi granator, limon. aceti rosacei, vel caryophillati ana* ℥ ß. *succi pomor. ribes ana* ℥ j. *aquar. acetosæ, buglos. melissæ, scabiosæ ana* ℥ ij. *camphoræ grana v. cum saccharo. fiat julep.* ℞ *aquæ rosar. acetosæ, borrag. ana* ℥ ij. *aquæ cinnam.* ℥ j. *vini albi* ℥ i ß. *manus Christi perlatæ* ʒ ij. *cornucervi* ʒ ß. *bulliant in alembico cæco;* Colat. *adde sacchari* ℥ iij. *syrupi de limonibus, vini granator. ana* ℥ j. *f. julep.* ℞ *conservar. florum cordialium* ℥ j. ß. *corticis citri conditi* ℥ ß. *confect. alchermes* ʒ ß. *boli armenæ optimæ* ʒ j. *coralli rub. crystalli, margarit. præparat. ana* ʒ ß. *rosar. eboris, cornu cervi ana* ℥ j. *fragmentor. pretiosor.* ℈ j. *pulveris diamarg.*

diamarg. & bezoardici ana ℈ j. *cum syr. caryophillor. hortensium fiat Electuar.* Tabellæ quoque fieri possunt ex prædictis, vel similibus pulveribus cum saccharo. Quidam adstringentia minus probant, ut granata, sed quia his febribus solet adesse fluxus colliquativus, humorumque putredinem & agitationem sedant, maximè conveniunt. Aquam quoque frigidam in pestiferis laudant *Celsus & Avicennas*, *Mercurialis* experientiâ propriâ idem confirmat, sunt enim utplurimum febres ardentes. At quamvis in febribus ardentibus eam laudet *Hippocrates*, in pestilentibus tamen minus conferre censent alii, quia præscribitur ab *Hippocrate* gratiâ evacuationis post coctionem, ubi Natura valida est, at in pestiferis cum vires sint imbecilles, natura non sit valida, ea inferet mala quæ recensentur ab *Hippocrate 2. acutorum.* Sed si alteretur vel decoquendo cornu Cervi, vel aurum extinguendo, vel admistis syrupis commodissimè poterit propinari. In frigidis humoribus conveniet *mel rosat. syrupus de beton. de scordio, de corticibus citri, cum decocto agrimon. torment. dictamni, scordii, pimpinellæ, myrrhidis, sem. citri & similium.*

XI. Alexiteriis demum utendum est partim simplicibus, partim compositis, qualia sunt corallia, margaritæ, Cornu cervi, rasura eboris, folia auri, fragmenta pretiosa, species cordiales, diamargariton frig. elect. de ovo, & similia, sed præcipuè laudantur *bolus armena, terra sigillata, lapis bezoar, unicornu, theriaca, mithridatium, spiritus vitrioli*, & ex his quæ simplicia sunt vix vera inveniuntur; Bolum quidem armenam valdè laudat *Galenus*, eamque solam profuisse scribit, cum vino datam, ubi nulla aderat aut exigua febris, vel cum aquâ ubi febris infestat, Nos cum aquis borraginis, acetosæ, scordii, florum citri exhibere possumus. Idem de terrâ sigillatâ dicendum. Sed hæc adulterata afferuntur, nec veram terram lemniam habemus, nec bolum armenam, si credendum *Matthiolo*, tùm quia venalis non est apud Turcas, tum quia nec ex eodem monte eruitur, nec colorem habet illius quam vidit *Galenus* in Lemno. Vult *Amatus* terram eam quæ sub nomine boli orientalis venditur esse veram lemniam, sigillatam autem esse adulterinam. Hodie ex Silesia & Hungaria defertur bolus non inferior terrâ lemniâ *Galeni*, qui ejus succedaneum esse potest. Lapis bezoar valde laudatur à *Rhaze* & à *Matthiolo*; sed recentiores plurimi nullum insignem illius effectum se percepisse afferunt, forsan quia verus lapis rarus est, promiscuè lapides tum orientales, tùm occidentales usur-

Alexiteria.

Bolus armena.

Terra sigillata.

Bezoar.

pantur, ſuntque alii ex Indiis allati, omnino veris ſimilis qui tamen nullam vim habent, multi factitii ſunt, novi Pharmacopœum qui ita affabre ejuſmodi lapidem conficiebat, ut à nemine fraus detegi potuerit. Quicquid ſit nullum unquam hujuſce lapidis ſalutarem effectum videre mihi contigit, ut propterea mihi videatur in poſterum ex antidotorum albo expungendus; ſi tamen quiſpiam illi confidat, ut conceptæ opinioni ſatisfaciat eo utatur à granis tribus ad duodecim, cum aquâ cardiacâ, ſcorzoneræ, florum citri, cardui benedicti: Sed temerè non eſt illi fidendum, rarò ſiquidem verus reperitur. Quidam non minorem quam lapidi bezoar vim attribuunt oculis cancrorum, imo & à quibuſdam pulvis chelarum cancri marini qui dicitur *laugouſta*, cenſetur præſtantior lapide bezoartico. Cornu quoque monocerotis primum obtinet inter alexiteria locum, ſed nunc incipit in infima collocari, ſiquidem dubitatur an ejuſmodi cornu poſſit reperiri. Quatuor ſunt animalia ex Ariſtotele & Æliano, quæ unicum in fronte cornu gerunt, *Rhinoceros*, *monoceros*, *oryx*, *aſinus Indicus*. Sed quid propriè ſit Monoceros quæritur, cum hactenus navigationibus indicis non potuerit explorari, & qui ſe vidiſſe ejuſmodi animal referunt, tam parum conſentiunt in illius deſcriptione, ut vix abeſſe à fabulâ ipſorum relationes videantur. Servatur in æde Divi Dyoniſii juxta Lutetiam ingens cornu quod dicitur eſſe Monocerotis, adſunt quoque referente *Amato* in ærario D. Marci venetiis duo ejuſmodi cornua, brachiali craſſitie, longitudine bicubitali, prætii ineſtimabilis, quæ ſemel in anno aſcenſionis die cum pluribus & variis pretioſiſſimis rebus palam oſtenduntur. Ex prædictis omnibus animalibus unius tantum cornu adverſus venena prædicti authores celebrant, quo Reges Indorum utuntur. Quidam cornua illa probant quæ in aquam demerſa ſpumam emittunt, ſed idem præſtant omnia cornua in ſcobem redacta. *Ariſtoteles* non meminit Monocerotis, ſed tantum Aſini Indici & Origis. *Ælianus*, qui deſcribit Monocerota, vim tamen alexiteriam illi non tribuit, ſed Aſino; Apud *Galenum* quoque aliàs diligentiſſimum materiæ Medicæ indagatorem altum eſt de ejuſmodi cornu ſilentium, unde plurimi tutius eſſe putant familiaribus uti quam iſtis adeo incertis & ignotis. *Amatus* tamen ejuſmodi cornu plurimum commendat ad ℈ iiij. datum, in aqua naffe adverſus peſtem, & operari ait interdum vomitu, interdum ſudore, interdum ſeceſſu. Plura autem eſſe animalia tam terreſtria quam aquatica quæ unicum in fronte

Vnicornu.

cornu

cornu gerant recensent historiæ quorum plurima describit *Ambrosius Paraus*, & quamvis ignoretur cuinam potissimum animali nomen monocerotis κατ' ἐξοχὴν conveniat, non deneganda tamen virtus horum cornuum, cum omnium exotericorum origo vix adhuc plene innotuerit, nam si cornu cervi probamus, cur facultas eadem reliquis cornibus adimetur? Nam cum uaria sint colore, magnitudine cornua à diuersis prodire animalibus verisimile est, sive igitur cornu sit aut Asini Indici, quod Ælinianus comprobat, sive Rhinocerotis, sive animalis aquatici perinde est, dummodo vires experientiæ respondeant, non igitur morose inquirendum puto sintne Monocerotis, vel alterius animalis cornua, dummodo bona sint & efficacia, imo parum quoque refert sitne animal bicorne, an unicorne. Quod si non prodesse alicui videantur, nocere tamen nemo afferet, ideo illis suum in Medicinâ locum relinquendum esse puto, ut etiam dixi lib. 4. error. Popular.

XII. De auro, argento gemmisque dubitat *Erastus* an quicquam prosint, nam si agere debet medicamentum dissolvi debet ut deducatur in actum. At hæc talia excernuntur qualia ingesta fuere, nullâ molis & ponderis imminutione. Hunc sequuntur Medici fermè omnes, qui ut rationales videantur, occultas qualitates libenter non condunt, nec arcana Paracelsica, nec magneticas virtutes, nihilque probant nisi quod *Galenus* olim dixerit. At posse gemmas dissolvi quotidiana demonstrat experientia, & præstantissimas habere vires, nec est necesse omnia in actum reduci qualem illi commenti sunt, emanare siquidem vires tanquam à magnete, tum succini, tum magnetis ipsius historia demonstrat, quidni idem de auro & gemmis dicetur? Aurum potabile laudant Chymici, cujus tamen præparandi modum hactenus docere non potuerunt, nisi per aquas ardentes & causticas, corpori perniciosas, unde auro foliato potius utendum quam ulla illius præparatione ut diximus *cap. de hecticâ*. Theriacam & mithridatium summis laudibus extollit *Galenus* in pestiferis, sed iis non est utendum ut quidam faciunt cum solutivis, quia pharmaci actionem remorantur, illiusque substantiam corpori inimicam in præcordiis detinent. Monent quoque recentiores, non esse exhibenda ante coctionem, ne corpus nimium agitent, obstructiones augeant, humores commoveant; Sic Galenus eos reprehendit qui in quartanis theriacâ utebantur, ante coctionem, siquidem ex simplici in duplicem, triplicemve immutabant, red-

Gemmæ.

De hac quæstione in methodo generali agitur.

reddebantque curatu difficiliorem. Præter hæc ſummis laudibus camphoram extollit *Geſnerus*, Alii galegæ ſuccum, juniperi extractum, baccarumque lauri, aliaque cardiaca, quæ ſeorſim & etiam aliis admiſta proſunt.

De ſpiritu Vitrioli.

XIII. Sed ſpiritus vitrioli adeo magnis laudibus extollitur, ut nihil ferme huic remedio æquale habere credantur Pharmacopœi. Eaſdem vires obtinet ſpiritus ſulphuris. *Quercetanus*, aliique Chymici in aceto & ſucco limonum vires ineſſe vitriolicas volunt. Eſt autem prædictus ſpiritus valde acris, nec debet niſi in exiguâ quantitate alio liquore permiſtus exhiberi, exſiccat enim, putredini & malignitati reſiſtit; Quidam tamen ſed pauci improbant, quia ſepticum cum ſit non poteſt tutò exhiberi, ſed ab acrimoniâ, ejuſque vi putrefaciente nos vindicat doſis exigua, & alterius liquoris permiſtio, ſicut aceto, ſucco citri, limonum, berberis innoxiè utimur, etſi gemmas lapideſque acrimoniâ ſuâ corrodant. Thermæ vitriolatæ ſalutarem ejus uſum oſtendunt, nam præparatione multa illi adempta fuere, quæ erant in integro, unde non ſicut integrum corpus perturbat, aut vomitus ciet, ſed calorem febrilem extinguit, & humorum ferociam conſopit. Objicies *Galenum xj.* Methodi in febribus rejicere uſum aquarum vitriolatarum. Reſpondeo id intelligendum de externo earum uſu, quod poros conſtringant, putredinem & calorem augeant. Quamvis igitur plurima adſint febribus iſtis idonea, ſpiritus tamen iſte non eſt rejiciendus.

Deſcriptiones variarum antidotarum.

XIV. Tam varia autem remedia adverſus peſtem à veteribus & Neotericis præſcripta videre licet, ut tædioſum ſit ea & legere & deſcribere, ſimilia quilibet componere poteſt, qui materiam medicam noverit, quam inter affectus cordis deſcribemus, ſunt enim omnia cardiaca quæ peſti deſtinantur, cum verum illius alexipharmacum hactenus ignotum ſit. Commendantur autem præcipuè aquæ diſtillatæ, extracta, electuaria, infuſiones, ſyrupi, pulveres, quorum exempla quædam addemus, & primum aquas.

XV. ℞ *rad. tormentillæ* ℔ j. *rad. enulæ* ℥ iiij. *rad. tunicis & dictamni ana* ℥ iiij. *acetoſæ cum ſeminibus* ℔ j. *bugloſ. borrag. cum florib. roſar. rubrar. ana* ℔ j. *pimpinellæ, ſcabioſæ ana* ℔ ß. *ſucci limon.* ℔ j. *theriacæ* ℔ ß. *aquæ vitæ optimæ* ℔ ß. *ſantali albi, rubri, ben albi & rubri, margaritar. ana* ʒ ij. *oßis de corde cervi* ʒ j. *croci* ʒ ß. *caphuræ* ℥ ß. *Inf. ſimul, in fimo equino per dies* XV. *fiat diſtillatio lento igne, & ter cohobetur. Doſis cochleare unum,* deſcribitur à

Guai-

Guainerio, & ſummè laudatur ab Hollerio. ℞ *rad. tormentillæ, lappæ majoris pimpinellæ, ſucciſæ, valerianæ, ana* ℥ iiij. *Imperatoriæ, Angelicæ, dictamni, gentianæ, ſerpentariæ ana* ℥ j. *cæparum, nucum viridium ana* ℥ vj. *foliorum ſcabioſæ, verbenæ, calendulæ, rutæ, acetoſæ, card. bened. ana* M. ij. *Camphoræ* ʒ j ß. *aquæ vitæ* ℥ j ß. *vini albi Menſur.* j ß. *mithridat. theriac. ana* ℥ j. *aceti roſacei* ℥ ij. *Eliciatur aqua, cujus doſis ſit ad* ʒ j ß. *ad ſummum.* Valde commendatur à Platero. ℞ *rad. angelicæ, imperat. valer. dictamni, ſucciſæ, pimpinellæ, biſtortæ, ana* ℥ j. *Zedoar. rad. aſclepiad. ana* ℥ ß. *folior. verbenæ, ſcabioſæ, rutæ, calend. ana* M. j. *granor. juniperi, baccar. lauri ana* ʒ j. *cinnam.* ʒ iij. *croci* ʒ ß. *aquæ vitæ, vini optimi ana* ℔ j. *ſtent in infuſione per dies octo, diſtillentur, doſis ſit ad* ℥ j. *vel cochleare unum.* Plures videri poſſunt apud Quercetanum in Pharmacopœâ, quæ huc referantur, ut elixir vitæ majus, aqua cœleſtis, bezoardica Langii, aliæque ex antidotariis repetendæ. Nucum viridium aqua ſummopere laudatur, Macerentur nuces in aceto per octiduum, conterantur & diſtillentur ſublato aceto. Uſurpari quopue poſſunt aquæ cardiacæ *Saxoniæ*, quæ deſcribuntur lib. de febribus, & de Plicâ, extantque in Pharmacopœâ Londinenſi. Hic addenda eſt aqua Mariæ dicta quam Mouffætus olim compoſuit. ℞ *aquæ Cæleſtis* ℔ ij. *Moſchi, ambræ ana grana* xviij. *Croci grana* xv. *ſtent in infuſione per dies* xiiij. *tunc adde ſyrupum ſequentem* ℞ *ſacchari* ℔ j *vini canarini* ℥ vj. *aquæ roſar.* ℥ iij. M. Prædictis ſi addatur theriaca fiet aqua theriacalis cujus tam variæ ſunt deſcriptiones. Extat optima deſcriptio in Antidotario Londinenſi. & in Pharmacopœâ Quercetani. Sequens mihi eſt familiaris ℞ *rutæ* M j. *dictamni cretici, card ana* M. j ß. *angel. zedoar. corticis citri viridis vel ſicci ana* ʒ ij. *flor. tunicis, roſar. vel magmatis roſar. prius diſtillatar. ana* P. j. *Cinnamom. caryophillor. ana* ʒ j. *folior. meliſ.* M. j. *florum calendulæ, anthos* P. j. *ſemin. aniſi, nucis moſcatæ ana* ʒ ß. *theriacæ Andromac. Mithridat. ana* ℥ ij. *ligni aloes* ʒ j. *vini Hiſpanici* ℔ vj. *Inf. per dies tres vel quatuor, dein diſtillentur lento igne per balneum Mariæ, iterari poteſt bis terve affundendo priorem aquam fæcibus.* Vel ℞ *theriacæ optimæ* ℥ j. *myrrhæ* ʒ ij. *croci* ℈ j. *aquæ vitæ* ℥ viij. *diſtillentur. Doſis ſit ad* ℥ ß. *cum S. Vitrioli guttis aliquot, & ſyrupi limonum* ℥ j. Similes quilibet ad libitum præſcribere poteſt? Sed Infuſiones aquis diſtillatis ſunt longè efficaciores, quæ ex prædictis ſolum infuſis componi poſſunt, tum ex ſequentibus ℞ *aquæ vitæ* ℥ x. *theriacæ* ℥ ß. *myrrhæ croci ana* ʒ j. *liquoris Zinzib. piperis ana* ʒ ß. *Miſce, fit inſigne diaphoreticum* ex Paracelſo deſumptum, quod imitatus eſt

Quer-

Quercetanus ℞ *theriacæ* ℥ j ß. *myrrhæ* ℥ ß. *croci* ʒ ij. *S. Vini* ℥ vj. M. *distillentur*, sed infusio multo præstantior est. ℞ *theriacæ Andromachi, electuar. de Ovo ana* ℥ j. *camphoræ* ʒ ij. *zinzib. albi, caryophill. ana* ʒ j. *aquæ vitæ* ℥ vj. *syrupi de succo limon. vel citri* ℥ iij. *sacchari candi* ℥ j. *croci* ℈ ß *pulveris diamarg. frig. de gemmis ana* ℈ j. fiat infusio in balneo, cujus dosis sit ad ℥ j. Sequens à me fuit experientiâ comprobata ℞ *succi limon. calend. ana* ℥ ij. *aquæ cardui bened.* ℥ iij. *Sp. Vini* ℔ ß. *theriacæ* ℥ j ß. *myrrhæ* ℥ j. *rad. tussilag.* ℥ j. *Spermatis ceti, terræ silesiacæ ana* ℥ ß. *radicis Asclepiadis, seu vincetoxici* ℥ ß. *dictamni, pimpin. valer. angel. ana* ʒ ij. *camphor.* ʒ j. *sacchari candi* ℥ ß. *stent simul bene obturato vase ad solem vel in loco calido per occiduum, dosis sit cochleare unum, aut alterum pro ratione personæ, sudores abundè movet, tuncque nihil cibi sumatur per horas quatuor.* Infusio theriacæ solius in vini spiritu sufficere potest quoniam theriaca fermè omnia habet simplicia quæ ad hunc usum adhibentur, & notandum quod docet *Gesnerus lib. 2. epist.* theriacam recentem veteri esse præstantiorem, efficacius venenis & pesti adversari, quod credo esse verissimum, quicquid *Galenus* dicat in contrarium, mistioque opii non ad caliditatem medicamenti refrænandam ut Galenici sentiunt, sed ad sudores promovendos à veteribus omnibus antidotis addebatur, opium & narcotica frigida esse sensibus adversatur, ut alibi diximus, siquidem Extat in Antidotario Londinensi acetum theriacale optimum *Magmati aquæ theriacalis adde caryophill.* ℥ j. *flor. lavend. tunicis ana* ʒ vj. *aceti rosati, & sambucini ana pintas* ij. *fiat digestio per occiduum. & per manicam colatura.*

Syrupi. XVI. Syrupi quoque fieri possunt ℞ *radic. angel. bardanæ, petasit. chelidon. tormentillæ, dictamni albi, pimpinellæ, cruciatæ ana* ℥ ß. *rad. imperator. Zedoar. ana* ʒ ij. *foliorum acetosæ, verbenæ, rutæ, scordii, cardui benedicti, calendulæ cum floribus, salviæ ana* M. j. *granor. Iunip. baccar. lauri ana* ℥ j. *f. decoct. ad* ℔ j. *cui per residentiam clarificatæ adde sacchari* ℔ j. *Iterum clarificetur & coquatur in syrupi consistentiam.* ℞ *Verbenæ, scabiosæ, galegæ ana* M. j. *granorum Iuniperi* P. j. f. *decoctio & cum saccharo syrupus.*

Electuaria. XVII. Pulveres quoque & electuaria ex prædictis confici possunt. ℞ *boli armenæ* ℥ j. *radic. tormentillæ, tunicis, dictamni, ana* ʒ j. *rasuræ eboris, spod. corticis citri ana* ʒ ß. *margaritar.* ℈ ij. *fragmentorum pretiosor. ana* ℈ j. *cornu monocerotis* ʒ ß. *f. pulvis.* Prostat in officinis pulvis liberantis qui à Valerio Cordo primum descriptus, postea fuit reliquis Antidotariis

tariis inſertus, Pulvis baccarum lauri, & hederæ vel arboreæ, vel muralis maximè commendatur. ℞ rad. angel. myrrhid. imperator. ana ʒ ij. rad. torment. carlinæ, vincetoxici, pimpin. morſus, phu ana ʒ j. Zedoariæ, Ariſtoloc. gentianæ ana ʒ ß. granor. Iuniperi, baccar. lauri ana ʒ j. cinnamomi, ligni aloes ana ʒ ß. folior. cardui bened. ſcordii, rutæ, verbenæ, florum cordial. ana ʒ j. croci, piperis, macis ana ℈ j. raſuræ eboris ℈ j ß. cornu cervi ʒ j. cornu monocerot. ʒ ß. lapidum pretioſor. margarit. ℈ j. boli ſucco citri præparati ℥ ß. camphoræ ℈ ß. Semini acetoſæ, cardui, citri ana ʒ ß. pulveriſentur omnia, & cum ſacchari ℥ iij. mellis ℔ j. fiat electuarium. Eſt præterea diaſcordium Fracaſtorii, electuarium de ovo, cujus variæ ſunt deſcriptiones, quæ omnes in idem redeunt, theriaca, mithridatium, electuar. de nucibus à Fuchſio deſcriptum, & Chalmetao, antidotus de ſanguinibus, aliaque infinita ex authoribus practicis repetenda. ℞ conſervæ flor. calend. corticis citri conditi ana ℥ j. conſeræv roſar. nymphea ana ℥ ß. theriacæ ʒ ij. confectionis de hyacintho, pulveris liberantis ana ʒ j ß. boli armenæ, terræ ſileſiacæ ana ʒ ß. cum ſyr. de limonib. vel caryophill. hortenſ. fiat electuar. ℞ mithridat. theriacæ ana ℥ ß. rad. tormentillæ, ſem. Iunip. ana ʒ j. boli armenæ ʒ ij. ſpecier. diamargarit. ʒ j. cum ſyr. idoneo fiat electuar. Trochiſci.
℞ radicis Ireos ʒ j. rad. angel. ʒ ß. Zedoar. ℈ j. caryophillor. ℈ ß. boli armenæ ʒ j. ſacchari ℥ j ß. cum infuſ. gummi tragac. fiant trochiſci. ℞ corticis citri ſicci, ligni aloes ana ʒ j. cinnam. ℈ ij. ſem. coriand. ſantali citrini ana ʒ j. ſacchari ℥ ß. cum prædictâ infuſione fiant trochiſci.

XIIX. Demum prædicta in varias potiones poſſunt efformari. ℞ theriacæ ʒ ß. ſucci ſcabioſæ ℥ ß. aquæ angel. & vini ana ℥ j. M. f. potio. ℞ elect. de ovo ʒ j. decocti zedoar. vel aquæ mariæ ℥ j ß. ſyr. limon. ℥ j. M. f. potio. ℞ mithrid. ℈ ij. croci grana duo pulver. diamarg. ℈ j. diamoſchi ℈ ß. aquæ nucum virid. ℥ iij. M. f. potio, adde ſi vis camphoræ grana duo aceti caryophillati vel theriacal. ℥ ß. ſyrup. limon. ℥ ß. ℞ cæpam parum coctam infunde in aceto & poſt ſuccum exprime, adde theriacæ ʒ j. ſyr. de acetoſ. citri ℥ j. aquæ bezoard. langii ℥ ß. aceti caryophillati ℥ ß. ſ. vitrioli guttas ij. ſacchari candi ʒ ij. f. potio. Geſnerus antidotum ſaxonicam aquis idoneis diſſolutam maximè commendat. Potiones.

XIX. Exterius admoventur epithemata, unguenta, ſacculi, & alia ejuſmodi ex ſuperioribus capitibus repetenda. ℞ aquar. acetoſæ, verbenæ, meliſſæ, roſar. ana ℥ iij. aceti roſacei ℥ j. ſucci limonum ℥ ß. vini optimi ℥ ij. trochiſcor. de camphora ʒ ß. ſpecierum diamargarit. ʒ j. M. f. epithema, addi poteſt theriaca, crocus, moſcus. ℞ theriacæ ʒ j. ſpecier. diamb. ʒ ß. ca- Externa.

phuræ ℈ j. *olei scorpionum compositi* ℥ j. M. *fiat unguentum regioni cordis applicandum.* Oleum scorpionum compositum valdè commendat *Matthiolus*, arteriis temporum & carpis illitum, cujus descriptio apud eundem videri potest. Hæc autem topica non nisi calefacta admoveantur, & ubi refrigerantur statim sunt amovenda, tum enim meatus constringunt & ægrotanti noxam haud exiguam inferunt. Et hæc sufficiunt. Plura legantur apud *Hollerium*, & reliquos scriptores, qui ad nauseam usque varia remedia congesserunt, cum tamen unum & alterum bene probatum sufficiat.

Cap. XI.

De febre purpurea.

I. DE febre purpureâ agunt recentiores, tanquam de morbo veteribus ignoto, & à febre pestilenti distincto, eodem prorsus modo quo Germani doctos & prolixos tractatus fecere de scorbuto, qui morbus non est, sed symptomatum multorum affectis hypochondriis succedentium congeries, sic purpura symptoma tantùm est febris pestilentis, non autem ulla illius differentia, nec species. Vocantur quibusdam *peticulæ*, *pestichiæ*, *aliis lenticulæ*, *aliis purpuræ*, ob symptoma in cute apparens. Solent autem etiam in aliis affectibus maculæ quædam purpuris similes apparere, quæ tamen malignæ non sunt, nec in pestilenti apparet affectu, sed in lienosis, in diuturnis viscerum obstructionibus, in ictericiis, in scorbuticis, in omnibus iis qui ex viscerum imbecillitate sanguinem generant aquosum, proclivesque sunt ad cachexiam; Fiunt sicut in enchymomate à sanguinis tenuitate, qui ex minoribus venis elapsus in cute efflorescit. In illis siquidem sanguis tenuis & aquosus, facile per nares effluit, aut exit è venis in habitum corporis, ubi livescit, nigrescit, & in alienum colorem permutatur, fiuntque à sanguine tenui & imbecillo jecore, ut in scorbuticis.

Maculæ lienosorum.

II. Maculæ autem nostræ pulicum morsibus similes, in febre tantùm malignâ & pestilenti, non in aliis sese produnt. Febres hæ antiquis incognitæ perhibentur, primumque à *Fracastorio* observatæ, quod tamen minus verisimile mihi videtur, siquidem *Hippocrates* in Coacis κονώπων κεντήματα nominat, *Aëtius* ait in febribus malignis apparere ma-

Maculæ pestilentes an sint morbus novus.

maculas ſimiles morſibus culicum, quæ tamen non exulcerantur, unde quamvis antiqui febrium malignarum exquiſitam non fecerint tractationem, ſymptomata tamen hæc ignoraſſe non eſt credendum, ſed ſicut cætera morbi accidentia parum curaſſe, ſiquidem curationem non immutant, & nihil propriè indicant, ideoque nos ſupra inter febris peſtilentis ſigna recenſuimus, & ſub nomine exanthematum comprehendi commodè poſſunt ἐξανθεῖ, inquit Hippocrates, οἷον κωνώπων δήγματα; & ratio ſuffragatur, quamvis enim concedendum ſit novos interdum morbos externæ cauſæ vi ſuſcitari, Natura tamen corporis noſtri gubernatrix quæ eadem perpetuò eſt, non ſolet novos affectare excernendi modos, unde cum ſemper familiaris fuerit excretio per corporis habitum in ſudores, maculas, & papulas, cur hæc in febribus malignis ſicut in aliis morbis contingere non poterunt? Si enim excernendi modus cauſæ procatarcticæ vi cieretur forſitan novo morbo ingruente, novus quoque Naturæ impetus contingeret, qualis in aliis morbis non fuerat obſervatus. At humorum excretio Naturæ actio eſt. In lue venereâ, quam novum morbum eſſe omnes fatentur, natura humorem malignum per bubones, alioque cutis exanthemata, non minus quam benignum in aliis morbis evacuat. Non eſt igitur novum, humores in cute efflorescere, eamque variè aſperſis maculis inficere, cum ejuſmodi excretiones ſint naturæ familiares, & ſatis frequenter in aliis morbis apparentes, in ſugillatis, in vitiligine, in ſcorbuticis cur inſolens id erit in malignis? Quod ſi fiunt tubercula exanthemata, quidni maculæ? At nemo exanthemata nova dixerit. Idem de maculis ſentiendum. Ad quod ulteriùs probandum referre poſſumus rationem illam quâ *Cœlius Aurelianus* doctè & eleganter demonſtrat hydrophobiam non poſſe eſſe morbum novum, de quâ alibi à nobis dicetur. Noſtris temporibus omnes omnino febres peſtilentes habent hoc ſymptoma, nec ulla eſt in quâ ægri fermè omne maculis ejuſmodi non laborent, *Thucidides* in peſte illâ maximâ quam deſcribit, corpus ait fuiſſe rubrum, fuſcum, minutis papulis ſcatens, febreſque rubræ quas *Hippocrates 6. Epidem* recenſet, quid aliud eſſe poſſunt, quam febres hæ rubentibus maculis inſignes, cum in nullo alio febrium genere appareant.

III. Fiunt autem ex humorum in vaſis ferventium parte tenuiori & vaporoſâ, unde citiſſimè accedunt receduntque, ſine tumore, pruritu, ulceratione, quamvis interdum aſperitas quædam cutis ſimul *Cauſæ.*

An sint criticæ maculæ. * contingat. Semper autem symptomaticè erumpunt, nunquam criticè quicquid *Altimarus*, *& Salius* scripserint, nam in febribus quæ synochi speciem habent, exeunt tertio quarto, nono die quando omnia sunt cruda, sine ullâ morbi solutione, nam neque humorem vacuant, neque febrem tollunt. Quapropter quocunque morbi tempore eruperint, humorum sævitiam, fervorem, ebullitionemque demonstrant, ac humoris malignitatem quâ natura cogitur excretionem hanc frustra tentare. Unde quamvis ne minima quidem humoris maligni pars his maculis vacuetur, propensionem tamen & conatum Naturæ humores ad superficiem corporis pellentis indicant. Unde malè plurimi & ægro melius sperare videntur, quoties plures apparent, cum enim morbum nec solvant, nec minimam ejus partem adimant, humoris maligni majorem copiam arguunt, ideoque periculosiores censeri debent. Attamen ex paucitate macularum salus non portenditur, nam sæpe imbecillior natura excretionem perficere non potest, quod si robur virium adsit paucitas hæc humoris quoque paucitatem arguit, nisi maculæ retrocesserint, qui casus lethalis esse solet, ob humoris venenati recursum in viscera, & penetralia corporis. Nec obstat quod quidam dicunt critico die & post signa coctionis posse erumpere, sicque esse criticas, non enim quicquid die criticâ contingit, criticum censeri debet, nihil paucum criticum est, liberalis enim & libera esse debet excretio quæ critica est. Signa autem coctionis in hoc morbo sunt infida, urinæ solent esse sanis similes, vidique omnibus signis coctionis salutem portendentibus, ægros ex hâc febre pereuntes; Igitur si signa coctionis appareant, æger melius habeat, febris cesset, symptomata remittantur, excretio aliqua succedat, satis benè sperandum, aliàs si cum signis coctionis remaneat febris, nec symptomata leviora fiant, coctio nihil boni significabit, quod tantùm in febre pestilenti contingit, nam in aliis morbis qui urinas immutare possunt, signa coctionis quocumque tempore appareant, nunquam sunt mala, ut diximus *cap. de temporibus febrium.*

Differentia. IV. Variæ autem sunt macularum differentiæ, præcipuæ à colore & quantitate desumuntur. *A colore*, aliæ sunt rubræ omnium tutissimæ, quæ à sanguine puriori, aliæ flavæ, vel virides, prioribus deteriores, quoniam à majori sanguinis putredine, & acrimoniâ generantur, aliæ nigræ, ceruleæ, omnium pessimæ, ab humoribus summè adustis & in atram bilem degenerantibus prognatæ *A quantitate* copiosiores

piosiores sunt, pauciores, majores, minores, pro materiæ quantitate, crassitie, lentore, virtutis robore vel debilitate. Sed præterea tempus considerandum, aliæ statim in principio, aliæ procedente morbo erumpunt, raro tamen cum febre ipsâ incipiunt, sæpius in progressu exeunt, Non sunt enim febris pestilentis signum pathognomicum, sed epigenomenon. Quæ citius prodeunt, magnam quidem humoris malignitatem, sed virium robur, materiæ tenuitatem arguunt: Contra quæ tardius erumpunt, aut ut interdum fit post mortem, sine ingenti periculo esse non possunt, ob humorum malignorum crassitiem, cutis densitatem, viriumque infirmitatem.

v. Cognoscuntur autem si malignæ febres grassentur, & apparentibus earum indiciis maculæ hæ prodeant; Solet febris primò ità mitis esse ut vix se laborare ægri percipiant, calor mitis apparet, sed interna perturbatio maxima est, symptomata gravia sunt, confractio & lassitudo in universo corpore persentitur, capitis gravitas adest, & ferme semper mens perturbata, sensus sunt hebetes, urinæ subalbidæ, confusæ, interdum rubentes, vino granatorum similes, sed sæpe sanorum similes, imo quibusdam sine dolore retinentur, quod pessimum signum est, ob emortuum vesicæ sensum, cæteraque adsunt, de quibus alibi diximus, febris malignæ symptomata. Solent hæ maculæ præcipuè apparere in dorso, brachiis, cruribus, & pectore, rarissimè in facie, quia aëri externo obvia est, cujus frigitate humor intrò repellitur. Cum igitur ejusmodi maculæ se produnt, si die critico præcedentibus signis coctionis exeant, rubicundæ, purpureæ, nec intro remeantes, res ægri paulò melius se habent, si cardiacis natura roboretur, sudorque erumpat, quamvis non sint salutares, sed majorem perniciem indicant, quæ lividæ sunt, violaceæ, nigræ, quæ subitò disparent, introque recurrunt, & ante coctionis signa ferè erumpunt, tunc enim vix mors evitari potest. Hic notandum maculas has interdum toto morbi decursu non apparere, sed extincto homine post mortem pullulare; Apparent autem vel instar vibicum, vel instar morsus pulicum, vel tanquam magni livores, idem contingit in iis qui veneno extincti sunt, tum etiam quandoque in strangulatis, quod facilè cognoscetur si causas signaque præcedentia Medicus intueatur, in strangulatis semper sunt nigri coloris, in peste mortuis certum non habent colorem, sed possunt esse vari. Causa autem eruptionis harum macularum est, quoniam extincto calore innato, calor internus quicun-

Signa.

Cur appareant post mortem.

que tandem sit, sive naturalis, sive præter naturam, exteriora petit, & simul humores sanguinisque ichores cum à facultate naturali non amplius regantur, ad externa ducuntur, & ob cutis densitatem in eâ firmantur, eamque inficiunt. Quidam à virtute expulsivà aliquamdiu post mortem remanente, id fieri crediderunt. At extincto cadavere omnes vires extinguntur, quod si expultrix remanet, quidni retentrix? Et si vivente adhuc animali non potuit expultrix hos humores secernere, quomodo expellere poterit in extincto, aliàs vires erunt in mortuis quàm in viventibus validiores. Fit igitur expulsio hæc, quoniam humores à Naturâ non reguntur, unde ex omnibus partibus effluunt per aures, nares, os, anum, quæcunque illis in cavitatibus continebantur. In strangulatis autem maculæ illæ nigræ, & livores, non eâdem ratione apparent, sed quia humores spiritusque interclusi quantùm fieri potest agitantur diffunduntur que, ut necessariò vasa quædam non interna tantùm sed etiam externa lacerentur & disrumpantur, ex quibus sicut in enchymomate, è capillaribus venis sanguis in cutim effluit, illicque refrigeratus livores maculasque illas generat, unde colligo adversus *Rondeletium*, periculosum esse contactam cadaverum peste mortuorum, ob motum humorum pernitiosorum ab internis ad externa unà cum calore evaporantium.

VI. Sed præterea sunt maculæ pestilentes ab aliis maculis discernendæ. A lentigine quidem figurâ, magnitudine & febre distinguntur, nam sunt cum febre eaque malignâ & pestilenti. A morsibus pulicum, quoniam in his in medio puncturæ vestigium apparet, quod compressione non evanescit, in purpuris verò nullum puncturæ vestigium est, compressione quidem recedunt, sed iterum redeunt.

Curatio Purgatio. VII. Curam autem quod spectat, quæcunque superius diximus huc referri possunt. Cum enim symptoma curationem non postulet, sintque purpuræ febris pestilentis tum Epidemicæ, tum sporadicæ accidens, nihil peculiare indicant, sed domitâ febre, & evictâ malignitate sponte evanescunt. Quidam à blandiorum catharticorum usu auspicantur, quæ primas vias vacuent, hæcque si in principio adhibeantur conferre possunt, in progressu morbi quando maculæ sese produnt, plurimum nocent, ne noxius humor quem Natura ad cutem propellere nititur, retrocedat, & interiora viscera labefactet. Venæ sectionem plurimi commendant, quia febris synochus est, in quâ ad animi deliquium sanguinem mittit *Galenus*, neque id maculæ erumpentes prohibere

Venæ sectio.

hibere videntur, quia criticæ evacuationes non sunt, sed in principio solent apparere, nihil ægrum juvant, nullamque materiæ morbificæ partem demunt, sed tantùm sanguinis fervorem & ebullitionem indicant, qui venæ sectione commodissimè temperatur, quinimo Natura oneris quo gravabatur parte levata, reliquum facilius superat & expellit. Venæ sectionem improbant reliqui, ut *Fracastorius*; qui potius experientiâ quam ratione nituntur, quibus nunc accedo, quamvis puer contrarium publicè propugnarim; At aliud est in Scholis disceptare, aliud remedia in humano corpore experiri. Cum enim plurimas ejusmodi viderim, observavi omnes etiam juvenes, plethoricosque quibus aut meo, aut aliorum consilio sanguis missus fuit omnes ad unum interiisse. Idem observarunt quamplurimi, quorum authoritas experientiæ innixa sufficere deberet. Phlebotomiam siquidem non maculæ prodeuntes, sed febris Natura prohibet, quæ hoc remedio non tollitur. Neque hic verum est naturam oneris parte levatam alacrius excretionem perficere, id enim locum habet, in morbis quos humorum copia generavit, at in hâc febre venenum solum fatigat, & sæpissimè nulla putredo adest, ut vidimus in ejusmodi febribus sanguinem emissum rubentem, citò concrescentem, tanquam à victimâ, nullis ne minimæ quidem corruptionis notis laborantem. Cum enim maculæ propensionem Naturæ indicent, si demptâ hac humorum mole, qua laborare natura dicitur, alacrior reddita, pro maculis pustulas in universum corpus, sicuti in variolis & morbillis, reponeret, verisimile foret eam prius obrutam humoribus excretionem proficere non potuisse: At sive instituatur venæ sectio, sive omittatur, febres purpuratæ quantumvis synochi esse dicantur, nunquam emergunt in pustulas, sed solis maculis, inanis & irrita vacuatione cutim inficiunt. Ideo sicuti superiori capite diximus à missione sanguinis abstinebimus, nisi summa putredo simul venenatæ qualitati adjungatur, ut in febre ardenti, synocho non improbarem ob curruptionem humorum additum.

VIII. Ideo potius Alexiteriis utendum & cardiacis ad cutim Naturæ imitatione ducentibus, *Eo ducere oportet quo Natura vergit, per loca convenientia*. At convenientissima regio est cutis, ad quam transferatur materia pernitiosa internas occupans partes; Sic quoque *eresypelas ab interioribus ad exteriora verti bonum esse*, prodidit *Hippocrates*. At materia maligna deterior est eâ quæ eresypelas facit imò cum sit venenosa, *Alexipharmaca.*

eamque

eamque Natura ab intimis visceribus ad cutim traducere conetur, omnino huic expulsioni opitulandum esse ratio suadet. Frigidus aër prohibeatur, ne naturæ & medicamenti alexipharmaci motum interturbet. ℞ *rhapontici, radicis tormentillæ, scorzoneræ, dictamni albi ana* ℥ ß. *Zodoar.* ʒ ß. *folior. acetosæ* M. j. *scord. galegæ cardui bened ana* M. ß *sem. napi citri ana* ʒ ß. *flor. cordial.* P. j, *fiat decoctio ad* ℥. *viij. dissolue syrupi limonum* ℥ iij. *sp. sulphuris guttas xij. fiat julep. in tres doses.* vel ℞ *succi galegæ, scordii, acetosæ, citri ana* ℔ j. *vini canarini* ℔ ß. *theriacæ optimæ* ℥ ij. *Mista digerantur aliquandiu postea distillentur.* Sequens remedium creditur esse Fernelii. ℞ *aquar. scabiosæ, pimpin. ulmariæ, cardui bened. ana* ℥ iij. *aquæ theriacalis* ℥ iiij. *succi citri* ℥ ß. *fiat julep. quo utatur sæpius.* Sic autem componitur aqua theriacalis. ℞ *scabiosæ, pimpin. morsus diaboli, buglos. borrag. ana* M. j. ß. *oxalidis* M. *vj. seminis card. bened. rasuræ cornu cervi ana* ℥ j. ß. *fiat decoctio ad* ℔ *v. dein adde mithridat.* ℔ ß. *theriacæ* ℥ iiij. *conservæ borrag. buglos. veronicæ ana* ℥ iiij. *aquar. buglos. scabiosæ, morsus, cardui bened. ana* ℥ iij. *fiat distillatio in alembico vitreo lento igne.* ℞ *aquæ prædictæ* ℥ iij. *syr. de acetositate citri* ℥ ij. *julep.* Sed hæc aqua non est valde rara; Quidam sequentem pulverem laudant. ℞ *sacchari* ʒ iij. *zinziberis* ʒ ij. *camphoræ* ʒ j. *fiat pulvis, cujus dosis sit* ʒ j. *in aquis cardiacis.* ℞ *albumen unius ovi, croci* ℈ j. *spiritus vini cochlearia tria, per linteum exprimantur, & additis camphoræ granis duobus* sudor provocetur. Item cordi hepati admoveantur epithemata ex conservis rosarum, violarum, ocellorum, scabiosæ, theriacâ, mithridatio cum succo citri, & similibus super linteum extensa, aut liquida superius descripta, vitatis semper nimium refrigerantibus & adstringentibus, ne materiam peccantem venenosam ad intra repellant. Vesicantia quoque cruribus & brachiis quidam admovent, ut pravos ichores ad cutim attrahant, & à corde revellant, de quibus sicut & de cæteris roborantibus abundè superiori capite diximus.

CAP. XII.

De febribus Colliquativis.

1. FEbrium pestilentium symptoma syntexis est sive colliquatio, à qua febres dicunrur syntecticæ & colliquativæ; Sumitur autem hoc nomen diversimodè, nam generalissimè loquendo ita vocantur febres

febres omnes in quibus ſolidarum partium alimentum aut ſenſibiliter & brevi tempore liquatur, aut inſenſibiter & paulatim diſſolvitur, ſed propriè loquendo, ſenſibilis adeſt colliquatio, aut per alvum, aut per urinam, aut per ſudorem. Liquari autem ea dicuntur quæ craſſa & concreta cum ſint ſolvuntur, humidiora & fluxilia evadunt, ut oleum, adeps, cera, plumbum, ſic in craticulâ, veru, carnium adeps, pinguedoque ſecernitur & defluit, ac liqueſcit. Idem contingit in viventibus dum febrilis calor humidum ſolidarum partium depaſcitur; Impropriè tamen & per abuſum quælibet partium ſolidarum abſumptio intelligitur, cum inſenſibiliter exſiccantur & extenuantur, ut *aphoriſmi 28. lib. 2.* ἢ καὶ συντηκτικὸν μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον. Galenus aſſeruit verbum hoc impropriè & per abuſum ſumi. Ita ut generali ſignificato duæ febrium harum ſpecies conſtitui poſſint. Quædam ſenſibilem habent colliquationem, quædam inſenſibilem. Senſilis de quâ hic agimus in peſtilentibus & ardentibus, inſenſilis in hecticis, & in quibuſdam ardentibus, cernitur, quando cutis raritas adeſt, & tenuibus humoribus corpus abundat, qui facile halitus ſpecie reſolvuntur, de quibus agit *Hippocrates*, cum deſcribit faciem hippocraticam, ut docet *Galenus* in commentario ad illum locū. Sed propriè colliquativæ ſunt in quibus adeps & caro ſenſibiliter confluunt in ventrem, quando autem per urinas & ſudores vacuantur, minus propriè ſyntecticæ vocantur. Harum autem febrium naturam videtur *Galenus* eleganter expreſſiſſe *x Methodi cap. ultimo*, ubi docet differentiam inter maraſmodes & colliquativas, quod in his portio carnis quæ colliquatur defluit in ventrem, in illis vaporis ſpecie digeritur.

11. Per ſolidas partes intelligimus, non eas quæ fiunt à ſemine, ſed ſanguineas, ut ſunt adeps, pinguedo, caro, ſi humida, mollis, & cum adipe fuerit. Neque enim poſſibile videtur *Galeno* verè ſolidas partes liqueſcere; docet enim *loco citato*, nec fibroſam, nec nervoſam, nec membraneam naturam à febribus malignis liquari, quoniam animal ipſum priuſquam hæ ſint ſiccatæ interiret, ſed in calidiſſimis febribus, ſi carnes humidæ & molles cum adipis copiâ fuerint, eas ſenſu liquari deprehendere licet, ſin verò ſine adipe & ſiccæ ſint, inſenſibiliter abſumuntur. Et ratio ſuffragatur, nam calor ſola pinguia eliquat *4. meteor.* & quæ frigore ſunt concreta, reliqua vero magis indurat, dum humorem reſolvit. Credere autem humidum radicale & ſuſtantiam partium quæ calore moderato concreverunt, poſſe lique- *

Quæ partes colliquentur.

ſcere experientiæ repugnat; Per chymicas ſiquidem encheireſes validiſſimus ignis eſt, qui partium ſpermaticarum oleoſam ſubſtantiam ſecernit, Tantumque calorem ne vehementiſſima quidem febris poſſidet, unde ut rectè dixit *Galenus*, prius animal ex febre interibit, quàm oleoſa ſubſtantia defluat, quamvis eadem longâ diuturni caloris actione ſenſim abſumatur.

III. Fit autem ſyntexis à calore igneo & vehementiſſimo; Solet enim ejuſmodi calor quicquid pingue eſt liquare, ut in carnibus quæ in veru & craticulâ aſſantur, ſed gradibus diſtinguitur, nam vehementior is eſt à quo carnis humiditas rorida funditur, quàm is à quo adeps liquatur, facili enim negotio, nec ità intenſo fervore, adeps ſolvi ſolet. Hinc rectè diſtinguendum, non enim quælibet dejectio pinguis colliquativa eſt, ſiquidem in quâdam dyſenteriæ ſpecie, in quâ craſſiora inteſtina afficiuntur, etiam pinguedo per alvum ſecernitur, & in longo in dorſum decubitu urinæ pingues mejuntur; Cæterum calor ejuſmodi vires ſuas exerit in corporibus molli carne & adipe præditis, nam qui ſunt habitus durioris, ob ſubjecti reſiſtentiam, potius in halitus vaporis ſpecie abſumuntur, unde febri ſyntecticæ juvenes potiùs quàm ſenes obnoxii ſunt.

Cauſa. IV. Quoniam igitur peſtilentes quædam habent calorem blandum, quædam acriorem, quædam acerrimum, hinc fit illarum quaſdam nullomodo eſſe colliquantes, quaſdam parum, aliàs plurimum. Neque obſtat quod *Galenus* colliquativum fluxum omnibus adeſſe peſtilentibus aſſerat *3. Epid. ſect. 3. com. 57.* Quæ *evacuabantur*, inquit, *erant ſyntexes, quod quidem ſymptoma eſſe videtur in perpetuum febris quam peſtilentem vocant, cum mortales vel citra peſtem febris corripiat.* Reſpondeo, vel intelligendum eſſe *Galenum* de illa tantùm peſte quæ illius tempore vagabatur, in quâ utplurimum aderat colliquatio, vel fluxum hunc colliquativum, non niſi in malignâ peſtilentique febre fieri, quamvis non omnis peſtilens illum habeat. Et rariſſimè, fermè nunquam in aliis quam in malignis febribus hoc ſymptoma apparet. Si enim febris quæ inter malignas & peſtilentes mitiſſima cenſeri poteſt, qualibet tamen ardente periculoſior eſt, ſanè ſi poteſt dari peſtilens ſine
* ſyntexi, ardens quæ mitior eſt, & benignior, ejuſmodi fluxu non laborabit, aut quoties in ardente conſpicitur, toties illam malignam eſſe ſuſpicandum eſt. Vult autem *Augenius* peſtilentem illam quæ ſyntectico hoc fluxu ſtipata eſt eſſe hecticam, ſed malè nam ut ſuperius docui-

Augenius refellitur.

docuimus, nulla talis febris datur, tum si ardentes hoc habent symptoma, cur non etiam pestilentes putridæ, cum utriusque sedes sit in humoribus, & calor vehemens adsit. Præterea colliquatio est effectus intensi caloris qualis in hecticis non reperitur, in hecticâ siquidem pestilenti nec calorem, nec urinam, nec pulsum volunt immutari. Demum humores sunt qui sensibiliter solvuntur, adeps scilicet & pinguedo, non igitur hectica erit, quæ solida & spermatica depascitur. *Objicies* syntecticas adipem & solidas partes colliquare, omnes ideo esse hecticas, quæ sunt solidarum partium affectus. Respondeo non esse necesse calorem factum esse in solidis partibus, ut colliquet, sufficit si illas ignis modo vehementer efficiat & adurat, nam quod conceptum est in solidis partibus incendium, per insensilem transpirationem humores resolvit, non autem per alvum, aut urinas.

V. Igitur si cum malignæ pestilentisque febris indiciis excrementa alvi prodeant calidissima, pinguia, crocea, rufa, nonnunquam viridia, & fœtidissima, colliquatio adest, & biliosis spuma innatat, sunt etiam exigua, glutinosa, modo alba, modo pallida. Dejectio non est tenuis sed corpulenta, ob consumptos ichores, exigua, quia non adest fluxus immoderatus, & superfluus, glutinosa quoque eadem ratione, alba si sola pinguedo à calore patiatur, subcrocea dum eadem vel putrescit, vel validum patitur calorem, viridis à bile æruginosa. Fluxus, *inquit Paulus*, flavæ bili per vomitum & secessum rejectæ similis est, sed differt odoris fœditate, tum quod rufus magis & glutinosus, interim verò oleosus appareat, cum caro pinguis ab ardenti febre solvitur & eliquescit. Perseverante hoc fluxu livescit facies, corpus gravatur, pulsus concidit, statim decidunt vires, quartâ, septimâ, aut nonâ moriuntur, aut saltem ægrè convalescunt. In urinis sedimentum est orobo vel hordei granis simile, suntque urinæ pingues & oleaginosæ Quidam totâ cute commutantur, diffusâ putredine per universum corporis habitum, quibusdam decidunt ungues ex atrophiâ, & venenatâ humorum qualitate. *Signa.*

VI. Fluxus hic in febre pestilenti si contingat comprimendus est, & ratione colliquationis corpus nutriendum paulò plenius, quia solidarũ partium alimentum deficit. Non tamen statim conveniunt adstringentia, quia humorum maxima est corruptio, ut patet ex fœtore, quos retinere in corpore non est tutum. At progrediente morbo non abs re *Curatio.*

fuerit moderatè refrigerantibus & adſtringentibus uti, maximè iis quæ ſimul totius ſubſtantiæ proprietate peſtilentiæ adverſantur. In victu ptiſanam laudat *Galenus*, quia refrigerat, humectat, abſterget, ſolidas partes nutrit, putredini convenit. Cujus loco hordeata noſtra, vel juſcula herbis refrigerantibus alterata præberi poſſunt, vel gelatinæ cum cornu cervi, & bolo armenâ, terrâ ſigillatâ compoſitæ. Abſtinendum à mellitis omnibus ut mulsâ. Vino quoque abſtinendum, niſi in ſummâ virium imbecillitate, & ſi nullus capitis dolor ægrum fatiget. Potus frigidæ utiliſſimus eſt ex *Rufo ephesio & Paulo* & Galen. 10. methodi idque ſi vires valeant, ut in principio, quamvis in reliquis febribus attendenda ſint ſigna coctionis, hic tamen non ſunt expectanda, urget enim colliquatio quæ ſiſti debet, nec forſan coctionis indicia in ejuſmodi febre unquam apparebunt. Admiſceri autem poterit conſerva roſarum, cum ſyrupis de agreſtâ, de nympheâ, de limonibus, & ſimilibus. Loco ſimplicis aquæ detur hordeacea cum ſucco mali punici, aut citri, nam refrigerat, humectat, nutrit, & colliquationem emendat. Aquæ frigidæ minerales quoque præberi poſſunt, quia refrigerant, exſiccant, putredinem inhibent, calorem temperant, niſi frigidum languentemque ventriculum ægri habuerint. Clyſteres fieri poſſunt ex lacte, quia humorum acrimoniam obtundunt, idem quoque ptiſana præſtat. Non debet autem propinari lac, quia febris acuta urget, calida adeſt viſcerum intemperies, dejectiones ſunt bilioſæ, quæ dehortantur lactis potionem, ut docet *Hippocrates in aphoriſmis*. Abſtinendum quoque ab uſu purgantium, etiam eorum quæ poſt purgationem adſtrictionem relinquere ſolent, potius ſiquidem colliquationis cauſis incumbendum, ut ſiſtatur quantùm fieri poterit, quod acida & cardiaca præſtabunt, qualia ſuperius in febre ardenti deſcripta fuere, ut ſyr. *de ribes, citonior. myrtillorum, de limonibus, de acetoſitate citri*, vinum granator. in quibus diſſolvi poteſt ʒ ß. theriacæ, ſcordium cum conſervâ roſarum laudat *Salius*. ℞ *conſervæ roſar. corticis citri conditi ana* ℥ ß. *margarit. præparat.* ʒ ß. *fragmentorum pretioſorum ana* ℈ ß. *boli armenæ, terræ ſigillatæ ana* ʒ ß. *cornu cervi uſti, raſuræ eboris ana* ℈ j. *folia auri* N. ij. *ſacchari q. ſ. fiat conditum.* ℞ *myrobalanor. conditar. corticis citri conditi ana* ℥ ß. *confect. alchermes* ʒ ß. *pulveris diamargarit.* ʒ ß. *boli armenæ* ℈ ij. *cum ſyr. limonum fiat electuarium.* Plura ex ſuperioribus repeti poſſunt. Epithemata & unctiones conveniunt thoraci & hypochondriis admotæ, quæ refrigerent, humectent, leviter adſtringant; *Aëtius* lau-

laudat *ceratum rosaceum*, sempervivi & rumicis succum cum polentâ, hucque referantur quæ capite decimo dicta sunt. Et ne acrimonia humorum intestina ulcerentur, clysteribus utendum refrigerantibus & lenientibus ex capite *de dysenteriâ* repetendis.

Cap. XIII.

De bubone pestilenti.

1. IN verâ peste frequentissime pullulant bubones & carbunculi, cum natura summâ venenatâque putredine lacessita omni conatu humores noxios, aut ad cutim, aut ad emunctoria, partesque ignobiles transmittere conatur. Bubon autem tum glandulas ipsas, tum illarum tumorem inflammatorium significat, sive fuerit pone aures, sive sub axillis, sed potissimum in inguine, quæ omnium glandularum ad suscipiendam phlegmonen maximè aptæ sunt, quia sunt omnium glandularum imbecillimæ, tum ob metum, partis agitationem, situm declivem, tum ob redundantem illis in locis humiditatem, tum quia humor crassus, viscidus lentusque non facile in superiora fertur, sed potius in inguina, & partes inferiores. Sunt autem bubonum differentiæ plures, alii sunt majores, alii minores, alii dolorosi, alii indolentes, alii benigni ex quibus generantur febres diariæ, alii maligni & pestilentes, ex maligno venenatoque humore prognati. Ideo distinguendus est benignus à maligno, nam interdum etiam vagante peste bubones non pestiferi emergunt, cognoscentur ergo si pestilens constitutio sit, & accidentia sæva bubonem comitentur, ut deliria, vomitus, urinæ turbatæ, aliaque pestis signa se prodant, nam in benigno febres adsunt tantùm diariæ nullo gravi symptomate stipatæ. Solent autem partem corporis præ aliis laborantem indicare. Etenim in collo & pone aures cerebrum, sub axillis cor, in inguine pullulantes jecur affici potissimum ostendunt. Riolanus in Anthropographiâ distinguere docet bubonem pestilentem à venereo, nam venerei supra inguen, aut in flexu inguinis nascuntur, pestilentes & alii intra inguen. Sunt, inquit, quatuor glandulæ vera jecoris emunctoria, juxta venam cruralem, sub quibus posita est alia glandula oblonga, quæ materiam bubonis pestilentis excipit, & per arteriam cruralem, in eam glandem defertur. At bubo venereus trium digitorum distantiâ pene erumpit, in glandulis

illis quæ peritonæi productionem amplexantur, prope ſpinam oſſis Ilium, & vaſa ſpermatica fulciunt. Sed adde ſymptomata non eſſe eadem in venereo & peſtilenti.

II. Prognoſin quod ſpectat febres omnes ex bubonibus malæ præter diarias, ſi enim bubones non ab externâ, ſed ab internâ causâ pullulent, ut inflammationibus viſcerum, febres habent non diarias conjunctas, ſed putridas & malignas, & 2. epid. mali ſunt bubones qui in principio febrium acutarum apparent. Sunt autem ejuſmodi febres malæ & ut cauſæ & ut ſigna. Ut cauſæ, quia remanens febris putredinem auget, facultates naturales debilitat & imminuit, eaſque febres vocat *Hippocrates* malignas. Ut ſigna, quoniam evacuato humore ſi febris non ceſſarit, ſignum eſt remanere intus cacochymiam, humoremque malignum qui febrem foveat. Præterea peſtifer bubo lethalis eſſe ſolet, & quantò magis occultus, & quantò minor, tantò deterior eſt. Colorem autem habent varium, interdum rubicundi ſunt, qui benigniores, interdum lividi, nigricantes, & quandoque non differunt à colore cutis, cum ex humore frigido fiant, tardiuſque moveantur. Carbunculis ſolent eſſe minus doloroſi, quia glandularum ſenſus obtuſior eſt, humorque minus acris.

Cura. III. In curatione illud ſciendum, humorem venenatum nunquam eſſe ad partes interiores repellendum, vetat enim *Galenus* ne reprimentibus in materiâ venenatâ & juxta partem principem utamur, hæc enim ad cutim & partes ignobiles tranſmiſſio, etſi morbum plenè non ſolvat, melior tamen eſt quam ſi humores intus retinerentur. Ideo imitandus potius eſt naturæ motus, & â nobilioribus, interniſque partibus ad externas eſt attrahendum: Cavendum tamen eſt ab immoderate trahentibus quòd dolores & febres plurimùm adaugeant, & vires dejiciant, tuncque nec vomitus ciendus, nec catharticum exhibendum, ne humores quos natura foras propellit, intro revocemus, ſed perſeverandum in potibus cardiacis ſupra deſcriptis, & topicis moderatè attrahentibus eſt utendum. Sed ſi dolor valde urgeat, primum anodynis & relaxantibus erit mitigandus, ſicque pars ad fluxionem ſuſcipiendam aptior fiet. Fovendus itaque tumor decocto *radicis lilii, althea, malua, chamameli, anethi, adianti, oleo amygd. chamamel. anethino, roſaceo, pinguedine gallinæ, anatis recenti,* quibus ſi aliquod medicamentum malignitati reſiſtens addatur, ut ſuccus ſcabioſæ, borrag. pentaph. & ſimile quippiam, medicamentum fiet initio valdè accommodatum.

Deinde

Deinde ad validiora attrahentia veniendum. Tumori *gallina* applicetur quæ sphynctere ani sui trahat satis sine vehementi dolore aut humorum agitatione. Alii *columbas, catulosve* per medium dissectos apponunt, unguentum *diachylon, stercus columbinum, panem calidum, vesicatoria, scarificationes, cucurbitulas,* quas tamen quia maximè dolorosæ sunt, non nisi in urgentissimo casu admovere quidam jubent, dolores enim vires dissolvunt, quarum conservationi maximè in hisce febribus attendendum est. ℞ *ammoniaci, bdellii, galbani ana* ℥ j. *pulveris ireos* ℥ ß. *olei lilior. q. s.* M. *fiat emplast.* Validius est quod ex fermento, caricis, cæpis, columbino stercore cum axungiâ gallinæ conficitur. ℞ *ficuum* N. vj. *passular.* ℥ ß. *salis* ʒ ij. *mellis* ℥ j. *cum oleo liliorum f. emplast. buboni applicandum.* Aut ejusmodi quod ab omnibus plurimum commendatur. ℞ *capam excavatam, quam reple theriacâ,* & foramine luto obturato coquatur, & contusa buboni imponatur. Improbant *Valescus & Gentilis* theriacæ & alexiteriorum applicationem, ne venena intro repellant. Sed malè, non enim à se propulsant, alexiteria venenum, sed potius ad se trahunt, hæc enim alexiteriorum propriè actio est. *ex 5. simplicium cap. 17.* Privatim autem eâ actione esse præditam theriacam idem *Galenus lib. de theriacâ ad Pisonem* testatum reliquit. ℞ *sinapi, Sambuci, piperis ana partes æquales, cum cerâ & oleo scorpionum f. unguentum, quod bubonem foras* potenter extrahit, singulis tribus horis renovandum. ℞ *valerianæ* ℔ ß *radicum ebuli, dictamni ana* ℥ iij. *ligustici cum radicibus* ℥ j. *coq. pistentur, & fiat cataplasma*, quod ab Hollerio plurimùm commendatur. ℞ *capam excavatam quam imple galbano, coquatur sub cineribus, adde malvæ, oxalidis, sub cineribus coctarum ana* M. j. *Contundantur omnia in mortario, adde theriacæ* ʒ j. *fermenti* ℥ j. *butyri* ℥ ß. *fiat cataplasma.* ℞ *radicis helenii* ℥ j. *rutæ, melis. salviæ, scorzoneræ, ana* M. j. *flor. Sambuci, chamameli ana* P. j. *fiat decoctio pro fotu. Residentia teratur, transmittatur per setaceum, cui adde œsypi* ℥ j. *theriacæ, mithridatii ana* ʒ iij. *farinæ iridis, orobi ana* ℥ ß. *croci* ʒ ij. *olei lilior. q. s.* fiat cataplasma admovendum post fotum. Attractus humor conconquendus est basilico, diachylo, aliisve suppurantibus, ut decocto altheæ, liliorum, cæparum, croci, & similium. Perfectam autem coctionem expectare non oportet, cum non facilè in pus abeat humor, & periculum sit ne dum perfecta expectatur suppuratio, venenati vapores iterum cor lacessant, frustra siquidem expectatur maturatio, quæ in morbo præcipiti forsan ante mortem futura non est. Ideo aperien-

dus

dus bubo ſcalpello vel veſicatoriis, ut veneno via pateat. Aperto tumore ulcus diligentiſſimè mundandum melle roſato, terebint. Cum melle, ſyrupo roſar. ſiccarum, ſcordio, ſcabioſâ, unguent. Apoſtolor. Ægyptiaco, pulvere aluminis uſti ſi caro ſupercreſcat, atque diutius apertum ulcus ſervetur. Mundatum verò carne implendum eſt, myrrhâ, ſarcocollâ, unguent. diapompholygos, thure, radice ireos & ſimilibus. Peculiariter autem aſter atticus ſive bubonium commendatur, qui illitus ac etiam ſuſpenſus bubones ſanare credatur. *Ruellius* probat Lyſimachiam, & ejus apud Cœnomanos feciſſe periculum teſtatur.

Cap. XIV.

De carbunculo peſtilenti.

1. Etiam peſti ex ſummâ humorum aduſtione ſuccedit carbunculus, anthracem Græci vocant. Eſt autem tumor modo ulceratus modo non ulceratus ab humore uſto, craſſo, putreſcente & venenato genitus, hinc modo inter tumores modo inter ulcera reponitur, cruſtoſumque ulcus appellatur. Puſtula primum eſt dura, rubicunda, dolens, acuta, ſed quæ poſtea in eximiam excreſcit magnitudinem, ſecundum naturæ vires & materiæ copiam. Duplex eſt, peſtilens & non peſtilens. Uterque vel eſt cum puſtulis multis & exiguis milio ſimilibus, quibus apertis cruſtoſum ulcus provenit, quale candentia ferramenta ſolent excitare. Vel ſine puſtulis, in baſi colorem refert rubicundum, ſupra baſin nigreſcit, ſplendet bituminis piciſque modo, & tandem in apice veſicam habet albicantem, quâ apertâ apparet eſchara ex maximo humorum incendio: In principio veluti clavus quidam parvus emergit, qui malignior factus puſtulas quaſi ab igne aduſtas, eſcharam, ardoremque intolerabilem habet, ad quæ omnia dolor ingens cruciatuſque ſubſequuntur, & propter putredinem fœtor maximus, & infectio, quem ideo ſine febre nunquam eſſe putamus, ſive ea præcedat, ſive ſubſequatur. Fiunt autem ſicuti bubones naturâ venenum in corporis ſuperficiem expellente, ex humoribus aduſtis craſſis in atram bilem degenerantibus ex *cap. primo lib. 2. ad Glaucon.* Cognoſcentur ex prædictis coloribus & dolore maximo ac calore, quibus accedunt alia ſymptomata, vigiliæ, ſitis, deliria, nauſea, vomitus, cor-

cordis tremor, animi defectio, appetitus prostratio, interdum sopor & urinarum perturbatio, quibus hoc indicium addendum est, si febris pestilens eo tempore vagetur & sæviat. Est autem affectus acutus & penè lethalis, quò minor eo deterior, quo verò plures sunt & ampliores eò sunt securiores. Ideo qui pestilentiæ tempore oriuntur, periculosiores sunt, præcipuè si circa emunctoria vel partes principes enascantur. Sic apud *Celsum*, si circa stomachum, œsophagum, faucesve incidat subitò spiritum elidit. Minùs lethalis est qui primùm rubet, qui vero livescit nigrescitve omnes ferè jugulat. Si verò accidentia remittantur, spes quædam superest, quod si intendantur planè est desperandum.

11. Curationem quod spectat, victus ratio non discrepat ab eâ quam in febribus pestilentibus descripsimus. Quidam sanguinem mittunt etiam ad lipothymiam, quod etsi verum sit in carbunculo non pestilenti, minus tamen verum est in pestilenti, quoniam febri malignæ, ut diximus, non adeo competit phlebotomia, nisi maxima adsit putredo, sanguinisque copia, tum ne malignus humor quem natura deponit in cutem intro revocetur, & Rhasis negat sanguinem esse mittendum. Alii rectius mittendum sanguinem volunt ob ardorem maximum, humorum fervorem, morbi magnitudinem, in febribus ardentissimis sanguinem mittit Galenus. Sic pariter non est satis tutum pharmacum, ne humor noxius intro redeat, potius alexiteriis utendum est & corroborantibus, non tamen admodum calidis, ne humores magis accendant. Rhaz. laudat corroborantia & refrigerantia, ut acida, granata citria, &c. quia humor est adustus, calidus, fervens, acida verò temperant & putredini resistunt. Virus quoque ad exteriora est evocandum, quod fiet scarificationibus, hirudinibus, ano galli admoto. Panis è furno calens idem commodè præstat, sicut & cataplasma ex scabiosâ, fermento & sale. ℞ *radicum althea, liliorum, ana* ℥ j. *florum chamæmeli, meliloti, anethi, ana* P. j. *caricas. ping.* N. x. *f. decoctio ad* ℔ j. *adde farina ireos* ℥ ß. *fermenti* ℥ ij. *fimi columbini* ℥ j. *seminis sinapi* ℥ ij. *ammoniaci, galbani ana* ℥ ß. *cum adipe gallinaceo fiat Cataplasma.* Pus hic nullatenùs est movendum, cum enim materia non sit hujus pepasmi capax, suppurantia non maturant, sed putrefaciunt *ex Galeno 14. methodi.* Interea vicinarum partium ratio habenda est, ne humor venenatus illis quoque communicetur, easque inficiat, quod fiet adstringentibus defensivis dictis. Tale est unguentum ex bolo armenâ, sanguine *Curatio.*

guine draconis, unguento populeo, cum succis portulacæ, plantaginis, aceto & similibus. Topica quod spectat debent ea exsiccare & venenum frangere, ac fervorem remittere. Ad id scabiosa trita & imposita conferre dicitur, sicut & lysimachia, succus tussilaginis. Consolidam majorem tritam magno miraculo carbones sanare intra unum diem quidam referunt, ita ut nulla deinceps curatio necessaria sit. Cæpe cum theriacâ imponi potest ℞ *scabiosæ*, *plantag. morsus diaboli*, *tussilag. violariæ ana* M. ij. *millefolii*, *consolidæ majoris ana* M. ß. *coquantur ex aquâ*, *fiat fotus*. *Residentia teratur & cum pane syncomisto fiat cataplasma*. Laudatur autem maximè sequens ℞ *farinæ lentium*, *panis furfuracei ana* ℥ j. *pulveris gallar. scordii ana* ʒ j ß. *succi plantag.* ℥ j ß. *f. emplast.* quod sæpiùs mutetur, sic enim efficacius refrigerat, exsiccat, venenum attrahit. Non injuriâ tamen veretur *Valetius*, ne vi adstringente & repellente potiùs noceat, sed si dolor maximus adsit, prædicta in lacte coquantur. His si non curetur valentioribus utendum. ℞ *theriacæ*, *mithridat. ana* ʒ ij. *fermenti*, *tereb. ana* ℥ j. *mellis rosati* ʒ vj. *butyri recentis* ℥ j. *salis communis* ℥ ß. *fulig.* ʒ iij. *saponis veneti* ʒ ij. *croci* ℈ j. *vitellos ovor.* N. iij. M. *fiat Cataplasma*. Item ℞ vitellum ovi, salem tritum, fermentum, fuliginem camini, caricas pingues, scabiosam, nasturt. urticam, allium, & cum oleo liliorum fiat cataplasma. *Sapphyrus solo contactu anthracem curare dicitur*. His & similibus irritis ad ignem & caustica veniendum, extremis morbis extrema remedia, & quæ medicamentum non sanat, ferrum & ignis sanant, hic utilis sunt *trochisci Andronis*, vel cauterium actuale. Eschara tollatur butyro, ovi vitello, pinguedine suillâ, aut cataplasmate ex radice altheæ, butyro & pinguedine suillâ non salitâ, vel farinâ triticeâ cum oleo rosato. Ulcus mundandum mundificativo de apio & similibus, mel & carbonem quercinum commendat *Mercurialis*, quem carbonem scribit *Plinius lib. 36.* carbones pestiferos finire. Valet quoque unguentum ex melle & sarcocollâ descriptum à *Rhaze* terebinthina quoque cum vitello ovi & melle juvat. Demum ulcus carne implendum, & cicatrice obducendum remediis idoneis alibi describendis. De hoc affectu libro de tumoribus præter naturam, uberius dicetur.

CAP.

CAP. XV.

De variolis & morbillis.

I. FEbri pestilenti adeo affines sunt variolæ & morbilli, ut meritò illius tractationem harum explicatio sequi debeat. *Rhazes* qui inter Arabes de his omnium optimè scripsit, pestem vocavit, quod sint morbus epidemius, contagiosus, & valde periculosus. nam pestem sæpe præcedunt vel sequuntur. Quo nomine Arabico usus sit *Rhazes* ignotum mihi est, sed tum Græci tum Latini interpretes de peste illius librum inscripserunt. Sunt quidem morbus malignus & contagiosus, *Nomen.* sed propriè non sunt pestis, sæpe enim sporadicæ sunt, & quocunque anni tempore pueri quidam illis afficiuntur, & etiam liberantur. Vocantur autem à Græcis ἐξανθήματα & ἐκθύματα quo nomine in universum omnes eruptiones intelliguntur quas natura deponit in cutim, ipsa etiam maculæ, nam hoc nomen vitiligini tribuit *Philosophus 3. de histor. animal. xj.* unde variolæ & morbilli etiam sub his comprehendi possunt, quod turgentium in plantis gemmarum modo tumeant. Plinius vocavit papulas, Arabes vero variolas appellarunt à varorum similitudine, quod instar vari in corpore emineant: sunt autem vari tumores exigui duri in facie psydraciis affines, ex crasso ferventique succo collecti, ad quorum similitudinem variolæ dictæ sunt, tanquam parvi vari.

II. Definiri possunt pustulæ in toto corpore cum febre, dolore, pruritu erumpentes, à naturâ sanguinem in cutim & partes ignobiles expurgante. *Definitio.* Diximus esse *pustulas*, siquidem in genere tumorum præter naturam continentur, sunt enim eminentiæ, adestque aucta magnitudo. Prominent autem in cute tumor, tuberculum, pustula, tumor tuberculo major est, utroque minor pustula est, variolæ non ad tumores, & tubercula, sed ad pustulas & exanthemata referuntur, quia tumorum minimi sunt, nequaquam magni, ut phlegmone, furunculus. *Hippocrates 3. aphor.* inter pueriles morbos numerat exanthemata, & *Paulus cap. 6. lib. primi* eorum curationem docet. * Nec obstat quod *Mercurialis* probare conatur variolas nostras non esse veterum exanthemata, est enim hoc nomen adeo generale ut certam non indicet morbi speciem, sed omnibus in cutim eruptionibus, etiam ipsis maculis attribui possit,

& ostendemus inferius, eadem variolis nostris & exanthematibus convenire, fuisse quoque *Hippocrati & Galeno* cognitas. Addidimus *in toto corpore*, ad differentiam eorum exanthematum quæ unam tantum partem afficere solent, ut psydracia, vari, exanthemata à *Paulo* inter externos capitis affectus *libro tertio* descripta. Variolæ autem totum corpus inficiunt. Quod si unam solùm partem seorsim laborare contingat, id casu potius fit quam ex morbi naturâ. Nec tantùm in externis corporis partibus, sed etiam in internis ut pulmonibus, faucibus, intestinis, ventriculo generantur. Potissimum autem erumpunt in facie, contra quam in purpureis maculis fieri solet, quæ faciem fermè nunquam occupant. Certum est humores in utrisque sursum ferri, in purpuris sicut in variolis, ut deliria cerebrique symptomata ostendunt, sed quoniam cutis in facie tenuior est & rarior, nisi copiosa fiat humorum expurgatio in cute non firmantur, sed exhalant, & per insensilem halitum dissolvuntur, sive quod in purpuris humor crassior non soleat sursum ferri, sive quod vasis majoribus contineatur, in variolis verò sit in ipsa partium substantiâ, sive quod facies aëri exposita inutilem illam & exiguam purpurarum evacuationem non admittat, in variolis autem maximus impetus naturæ humorisque pravi abundantia ita urgeant, ut non obstante aëris frigiditate in cute faciei pullulent, nisi summo & extraordinario aëris rigore repellantur. Scribit *Aristot.* varos potissimum fieri in facie, quia locus humidus est & rarus, materiam propterea crassiorem facilius excipit, quod tumoribus istis etiam convenire potest. Fiunt autem cum febre, quæ perpetuò vel præcedit vel saltem comitatur, estque continua conclusa, ut plurimùm autem præcedit, quia fieri solent crisis ratione, naturâ per habitum corporis febrem solvente. Nec tantùm adest febris, sed etiam dolor prurituſque maximus, ægris interdum intolerabilis, interdum tamen mitior est, cum humor minus est acris, ut in pustulis latis quales *Simon* habebat, quas variolas non fuisse *inquit Mercurialis*, quia non erant pruriginosæ, quod tamen non dicit *Hippocrates*, sed non admodum multumve fuisse pruriginosas, quædam enim magis, quædam minùs pruriunt. Fiunt autem ex sanguine effervescente in febre synochi speciem referente, quamvis secundum quosdam, non sanguis vasis conclusus qui facit synochon, sed menstruus poris partium contentus materia fit harum variolarum, vel ut alii volunt, sanguis ichorosus & tenuis ac aqueus, fieri enim exanthematum proventum cum abundant ichores docet *Galenus 3. de*

Cur variolæ faciem inficiant.

*

sympt.

sympt. cauf. cap. 2. Sic quoque nullus in earum expulsione, quantumvis validâ & criticâ, fit rigor, quia fiunt ab humore minùs acri, sed mitiori, unde qui ab illis exit humor verum pus non est, sed potius ichor quidam. Et hæc est definitionis rudis adumbratio, quam plenius explicare oportet.

III. Cum ergo tres sint affectus præter naturam, morbus, causa, & symptoma, variolæ ad hos omnes, sed diversâ ratione, referri possunt, Et quidem morbi sunt, quia actiones quasdam lædunt, dolorem pruritumque inferunt, motum impediunt, in illisque triplex morbi genus inveniri potest, intemperies, solutio continui, & aucta magnitudo, ut in reliquis tumorum generibus videre licet. Causæ quoque esse possunt, cum alium morbum producunt, ratione cujus quasdam actiones lædunt, ut in naribus, faucibus, gutture, oculis, pulmonibus, gulâ, intestinis, obstructiones aliosve morbos pariunt, sicque visionem, respirationem, deglutitionem, fœcum excretionem impediunt. Cum verò criticæ sint evacuationes, & in cute erumpant, non minus quam sudores symptomatis possunt adnumerari, vel in excretis, vel in qualitate corporis mutatâ. Vel potius morbi sunt symptomatici, ut abscessus critici, nec enim mera symptomata esse possunt. Objicit quidam cutim non esse subjectum morbi, quia ex Galeno cutis nullam edit actionem, sed tantum usum habet, At morbi sunt tantùm in partibus quarum sunt actiones. Respondet *Mercurialis* intelligi debere cutim cum partibus annexis sicque esse morbi subjectum, non autem si pro solâ cute sumatur, quæ expers est omnis actionis, tantumque amictus quidam est corporis, quo reliqua membra conteguntur & unita continentur. Contrarium tamen docet experientia, namque pars est corporis, nutritur, sentit, dolet, actionesque edit naturales & quasdam animales, sed nullam habet peculiarem actionem organicam, ut musculus, ventriculus, non desinit tamen subjectum esse alicujus morbi. *Quis affectus præter naturam.*

IV. In horum autem morborum consideratione videndus est modus generationis earum, tum natura febris quæ illos vel præcedit vel comitatur. Primumque explodenda est opinio eorum qui variolas sine febre esse posse voluerunt, quod ita fieri commenti sunt, quia potest sanguis effervescere in partibus cuti proximis, tuncque ejus calor cor non afficiet, nec fiet febris aut saltem subsequetur, quando scilicet in pus transmutantur, nam dum pus fit, febres fiunt, quem casum etsi rarum possibilem tamen esse contendunt. Id docere videtur *Theophrastus* *De febre variolarum.*

libro de sudoribus, qui vult in corporibus nostris ex sudoribus & laboribus eruptiones quasdam fieri seu exanthemata varis similia. Idem quoque tres affert causas papularum, anni tempestates, excrementorum abundantiam, corporis motum & agitationem, tum aliud quidlibet quod causæ moventis rationem habere possit. *Celsus* quoque *lib. 5. cap. 28.* de pustulis agens & exanthematis, ait eas similes esse varis, & fieri vel ab igne, vel à frigore vel à medicamentis. *Rhazes* etiam variolas post febres erumpentes statuit salubriores esse iis quæ febrem præcedunt. Non negandum autem est posse pustulas quasdam oriri sine febre, quæ tamen non sunt variolæ nostræ de quibus agimus. Necessario enim febris præcedit, cum sint criticæ evacuationes febrem solventes. Effervescentia enim non juxta cutim, sed in vasis majoribus fit, à quibus in superficiem humor transmittitur. Non posse humores effervescere prope cutim inditio est, quod pars ea corporis ab aëre attracto refrigeretur, ut vult *Augenius*, quod tamen falsum est, nam in febribus continuis quæ exacerbationes habent, humores in minoribus vasis juxta cutim putrescere dicuntur, in intermittentibus quoque in habitu ipso corporis, ex *Galeni* sententiâ. Nec est impossibile humores qui in vasis istis minoribus ebulliunt, febrem generare; sic quando febris ardens solvitur, extruditur humor in vasa minora, & tamen adhuc febris est. Nec transpiratio cutis id prohibet, ut experientia ostendit. Ideo statuendum febrem præcedere variolas, & simul eas interdum febrem facere. Fiunt à febre semper, nam ipsam critico impetu solvunt, tuncque ea cessat. Quod si contingat variolas esse copiosas, magnas, sanguine ichoroso plenas, tunc febres fieri à variolis possunt, quæ tamen non ejusdem sunt cum prioribus generis, sed symptomaticæ, eæque diariæ, sicut ex bubonibus fiunt diariæ, ex phymate furunculis & cutaneis affectibus ejusmodi ephemeræ gigni possunt secundum *Avicennam* ut proprio capite diximus. Propterea sobrie intelligendum est dictum *Rhazis*, quod est verissimum, cum statuit variolas salubriores esse quæ febrem sequuntur, quam quæ eam præcedunt aut comitantur, nam cum iis apparentibus minui febris debeat, si ea aut perseveret, aut augeatur, aut quæ cessarat iterum redeat, augmentum putredinis significatur, quod non potest non esse perniciosum. Nec ex prædictis authoribus quicquam probari potest, quam interdum pustulas quasdam sine febre fieri, eas tamen nostras esse variolas nemo dixerit, quamvis si variolis nostris ea applicemus, causæ illæ de quibus illi

Capite de Ephemera.

illi loquuntur, non nisi commotis prius internis & forsan prius excitatâ febre papulas progignant.

v. Variolas ergo præcedit febris, sed non omnibus æqualis eademque, quoniam sanguinis reliquorumque humorum non solet idem esse incendium, parilisque putredo, sed modo major modo minor. Febris autem synochus esse dicitur, quæ à principio ad finem usque cor assiduè fatigat, donec impurus sanguis multorum excrementorum permistione inquinatus à naturâ depuretur, & expulsis à majoribus vasis in minora, & ab his in habitum corporis humoribus, papulas proferat. Putrida quoque febris esse statuitur, quamvis putredinis varii sint gradus, quibusdam enim levior est, quibusdam gravior, hinc febris oritur mitis quam ægrotantes fermè negligunt, quædã major & gravior, symptomatis pravis stipata, ex vehementi vasorum putredine, tuncq; variolæ sunt mali moris, ulceraque gravia in partibus affectis relinquunt tum internis, tum externis. Hæc ferme de hisce morbis protulerunt recentiores, quæ tamen dubia mihi videntur, num scilicet febris variolas præcedens synochos semper sit, tum quoque an semper sit putrida. Et *primò* non necessario videtur esse synochos, siquidem mirantur *Arabes*, si quispiam semel in vitâ illis non laborarit. Certum autem est synochon non fieri nec in gracilibus, biliosis, nec in pituitosis, nec in melancholicis, nec in frigidâ ætate ut senectute, nec in plenitudine ad vires, sed in plenitudine solâ quæ ad vasa dicitur generari. Non est autem verisimile omnes quos variolæ occupant plethoricos esse, valde carnosos & sanguineos, cum vix quispiam hunc morbum effugere possit, & in omni ætate contingere queat in ipsâ quoque senectute: Præterea synochos fit ex sanguine venis magnis concluso. Variolæ autem dicuntur fieri ex menstruo sanguine non in venis, sed in partium poris contento, siquidem ita statuunt recentiores, qui menstruus sanguis à singulis partibus expelli potest sine febre, si enim excretiones plurimæ à naturâ perficiuntur sine febre, cur hæc non fieri poterit? Ostendit tamen experientia nunquam sine febre fieri, sed hæc potest interdum alterius esse generis quam synochos, scilicet vel ardens, biliosa, aut similis quæpiam. Demum si synochos febris est cur in omnibus eâ febre laborantibus non contingit excretionem fieri per variolas, quandoquidem sanguis in omnibus putrescit, si igitur eundem hominem bis terve aut sæpius synocho laborare contigerit, cur semel tantum patietur variolas, & reliquis temporibus forsitan sudoribus, non pustu-

An febris sit synochos. *

lis liberabitur, si idem humor quantitate, qualitatibus & consistentiâ peccat, excretioque fit per eadem loca, cur tamen eadem non est?

An semper febris sit putrida.

* VI. Esse quoque semper febrem putridam non est adeo certum, namque explorato sanguine illorum qui hac febre laborantes ante eruptionem variolarum, scilicet ante sanguinis depurationem, venæ sectione vacuati sunt, conspeximus purum illum, rubentem citò concrescentem tanquam à victimá, quæ sunt sanguinis laudabilis indicia, Et quidem ebullitio sanguinem puriorem reddit, unde colligi potest ipsius sanguinis substantiam non putrescere, sed tantùm menstrui sanguinis & excrementorum inquinatione accendi, ex quâ ebullitione purior perfectiorque redditur: Cujus quoque evidens argumentum est, quod evacuatâ per morbillos variolasve parte eâ quæ sanguinem in fervorem agebat, cessat febris ardorque omnis, sanguisque ad pristinam redit bonitatem. Hic autem intelligimus universam sanguinis massam, etsi totus sanguis non putrescat, effervescit tamen secundum se totus, aliud autem est accendi, aliud putrefieri, accenditur in synocho imputri, putrefit autem simulque accenditur in synocho putri; sanguis ergo ille modo biliosus est modo pituitosus, modo melancholicus, modo ichorosus. Igitur de febre hâc statuo non semper esse synochon, ut varii pustularum colores indicant, nec semper putridam, sed malignam, siquidem contagiosa est, exitialis, & crises facit quæ aliis febribus non competunt, ex quibus patet aliquid hic adesse peculiare, quod aliis febribus non inest, nam si putrida foret febris, expulsis in habitum corporis noxiis humoribus, rigor ut in ardente & synocho contingeret.

Fiunt igitur variolæ per modum cujusdam crisis, naturâ humorem noxium expellente in corporis superficiem, cum ægri euphoriâ, modo crisis bona sit, febris enim illicò aut omnino desinit, aut imminuitur, tertio quartove morbi die, qui criticus esse solet, & apparentibus signis coctionis. Estque crisis hic modus huic febri peculiaris, ab aliis longè differens, reliquæ enim febres, aut per vomitum, aut per alvum, aut per sudores, aut per urinas sanantur, hæc vero per solam corporis superficiem, non extimam solum, ut ardentes, quæ sudore copioso liberantur, sed extimam & intimam simul, scilicet per parvos abscessus & pustulas, nunquam alvi fluore, nunquam vomitu sanantur. Imo si forte hæc contingant, pessimum signum est.

Differentia.

VII. Sunt autem istorum exanthematum differentiæ plures. A colore nigra, violacea, purpurea, alba. A quantitate alia sunt copiosa, alia

pauca,

pauca, sed præcipue quædam sunt sublimia, cum tumore satis conspicuo quæ variolæ dicuntur, quædam minora sine sensili tumore potius cum asperitate quâdam, quæ dicuntur morbilli, vasconibus popularibus meis *Sarampion*; Fuchsius cõtrariò prorsus modo variolas pro morbillis, morbillos pro variolis usurpavit, præter authorum usum & loquendi consuetudinem: sed id non est magni momenti. Communem autem habent morbilli cum variolis naturam, siquidem pustulæ sunt à sanguinis effervescentiâ procreatæ, sunt etiam cum febre, universum quoque corpus occupant, cum tumore, pruritu, & dolore. Differunt autem ab invicem, *primò* quia variolæ majores sunt, eminentiores, crassiores, morbilli minores sunt, nec habent sensibilem tumorem, sed granis milii sunt similes. *Secundò* variolæ à sanguine crassiori, frigidiori, aut saltem temperatiori, morbilli vero ab acriori & bilioso generantur, ideoque minimè petunt altum, potius culicum morsibus similes sunt pustulæ latæ, non sublimes. *Fuchsius* vult pustulas sublimes quas vocat morbillos à fervidiori sanguine, humiles verò quas vocat variolas à frigidiori fieri, quia *ex aphor. ix. libri sexti*, pustulæ latæ non admodum pruriunt, *Galenus* pustulas sublimiores à calidiore humore generari scribit, humiliores à frigidiore quæ ideo minùs pruriunt, quod à temperatiori succo procreentur. Sed hunc *Galeni* locum non intellexit *Fuchsius*, nam hoc modo intellecta *Galeni* sententia falsissimâ est, nam erysypelas, herpes, phlyctænæ à fervidiori fiunt humore & acriori quam œdema, scyrrhus, phlegmone, & tamen tumores sunt minores, & simul acriores, majorumque inducentes pruritum; Ipse pruritus non solet fieri nisi ab humoribus tenuioribus & salsis, sine ullâ extuberantiâ, ut verum non sit tumores humiliores pruritum minus inferre. Igitur intelligi debet *Galenus* de tumoribus & pustulis ejusdem generis, non diversi, nec sunt opponendæ latæ pustulæ sublimibus, cum plurimæ sublimes possint esse latæ, plurimæ humiles acutæ, sed latæ opponendæ sunt acutis, humiles sublimibus. In unoquoque genere tumorum sive sint sublimes, sive humiles, quicunque in acutum vergunt magis pruriunt, quoniam acrior causa eos concitat, minùs vero qui in latum expanduntur, & hoc adaptari debet variolis & morbillis, nam morbilli possunt esse acuti & lati, non minùs quam herpetes, quorum qui miliares sunt multis exiguis pustulis minimum extantibus cutim exasperant, ut forsan non sine ratione *Manardus* morbillos ad herpe-

Variolarum & morbillorum differentia.

Galenus & Fuchsius refelluntur.

tum genus retulerit, & valdè magnum pruritum inferunt. Pariter variolæ possunt esse acutæ & latiores, acutæ magis pruriunt quam quæ in latum exporriguntur, quoniam in latitudinem extensæ difflantur, & quæcunque latæ sunt humorem habent minus acrem. *Tertiò* differunt quod major in morbillis adsit fervor, quam in variolis, quia illorum sanguis acrior est. *Quartò* morbilli breviorem, acutiorem, periculosioremque morbum inferunt quam variolæ, sponte evanescunt, nulla relictâ ulceratione aut cicatrice, majoremque pruritum inferunt quam variolæ etsi sint humiliores, flaventique colore sunt præditi, biliosi humoris teste, variolæ autem rubicundo aut saltem dilutiori, & in abscessus desinunt cum emanatione ichoris purulenti, quod morbillis non contingit. *Demum* variolæ oculos gravissimè adeo interdum lædunt, ut inde visus amittatur, morbilli verò oculos non afficiunt, quia inquit *Mercurialis*, oculus naturâ suâ robustus est, externisque plurimùm resistit injuriis, ideo nunquam riget, tenuiorem propterea humorem non admittit, crassiorem autem quem Natura valide transmittit, repellere non potest, sed admittit: At sic nulli à bile affectus oculum infestarent, nec ophtalmia à bile, nec macula icterica illum inficerent, quod experientiæ repugnat. Alia igitur ratio reddenda est.

Differentia morbillorum & purpurarum.

Non est tamen credendum propterea sub morbillis contineri maculas illas purpureas in febribus malignis apparentes, de quibus superius diximus, quia maculæ pustulæ non sunt, nullum edunt pruritum, nullum ulcus relinquunt, quod tamen faciunt morbilli.

An fuerint veteribus cognitæ variolæ.

VIII. Affectus prædictos nomine exanthematum & ἐκθυμάτων contineri, superius diximus, quod tamen negant quidam recentiores simulque fuisse veteribus cognitos. Et quidem si nominis spectemus rationem, exanthemata hos etiam affectus complectentur. Non est enim exanthema certi morbi nomen ut phlegmone, sed ἐξανθεῖν dicuntur generali significato humores quilibet qui ex alto corporis in cutim pullulant, pustulasque excitant aut aspredines quosdam, propterea variolis & morbillis nomen hoc potest adaptari, imo quoque φύματα generali significato omnia exanthemata vocari possunt, ut *aphor. 15. lib. 2.* phumata vocat *Hippocrates* omnes in cutem eruptiones. Igitur si apud *Galenum & Hippocratem* videamus horum affectuum naturam clarè explicatam, simul evincemus tum esse exanthemata, tum veteribus fuisse cognitos: πεμφιγώδεες πυρετοὶ de quibus agit *6. Epidem.* ab authore definit. medicarum dicuntur illæ, quæ pustulas in toto corpore excitant,

excitant, ut diximus *capite de different. febrium*, & sectione 3. primi Epidem, ægro secundo. *Sileno* contigerunt in febre maximâ, exanthemata cum sudore rubra, parva, rotunda sicut vari; hic clarè expressa est variolarum natura. Sed inquit *Mercurialis* variolæ non fuerunt quia nequaquam in abscessum finierunt. At mirum est illum non advertisse fuisse hoc ab *Hippocrate* annotatum, scilicet pustulas has abscessum non fecisse, ut ostenderet signum illud esse lethale, mortuus enim est undecimâ die *Silenus*, signum enim funestum est si variolæ non suppurent. Et quidem si variolæ non erant, quid demum erant exanthemata hæc? *Galenus* in comment. ait facta ea fuisse naturâ pellente in cutim humorem morbificum quæ est variolarum vera generatio. Quod si nobis æger afferretur qualis *Silenus* erat, statim eum variolis laborare judicaremus, vix enim aliud nomen huic morbo dare posset *Mercurialis*. Insuper *7. Epidem. textu 114.* Timonactis puero bimestri exanthemata in cruribus, coxis, imo ventre, tumoresque valde rubicundi extiterunt, quibus quiescentibus convulsiones, & epileptica oriebantur, multis diebus sine febre fuit, & mortuus est. Ubi variolæ manifestissimè describuntur cum signis ipsarum lethalibus, quod totum corpus non occuparint, unde sufficiens evacuatio esse non potuit, quod delituerint & ex materia venenosâ intro remeante convulsiones, epilepsiæ contingerint, tandem mors. *Quintò Epidem. textu 92.* filio Euphanoris papulæ per totum corpus eruperunt, culicum morsibus non absimiles, pauco tempore duraverunt, postridie febris invasit, quod malum est pustularum inditium, scilicet recedere, ideoque illum postridie febricitasse scribit. Amplius locus est *sectione secundâ primi Epidemiorum statu 2.* ubi inter signa lethalia quæ ægris contingebant in Thaso, dicit facta fuisse exanthemata parva, quæ dignitati morborum non respondebant, citò evanescentia, quod signum funestum est. Addit deinde moriebantur ex omnibus quidem, plurimi vero ex pueris jam ablactatis, iisque quibus ætas paululum promi cesserat, octennes, decennes, necdum etiam puberes. *Sectione tertiâ 2. Epidem.* asperdines quædam miliaceæ in febribus contingebant; quæ morbos judicabant nec admodum pruriebant. Et *coaca 114.* earum prognosticum docet. *Quando in febribus continuis phlyctena per totum corpus enascuntur lethale est, nisi suppurent*, quod variolis optimè convenire quis non videt. *Galenus* quoque *5. meth. cap. 12.* ita describit exanthemata quædam quæ in pestilentiâ contingebant, ut statim variolas

riolas eas esse agnoscamus. *Aëtius lib. 5. cap. 129.* initiis febrium malignarum pustulas erumpere scribit similes morsibus pulicum, & *lib. 14. cap. 63.* *Paulus lib. 1. cap. 6.* infantibus papulas per universum corpus erumpere scribit, quod etsi morbillis adeo non conveniat, variolis tamen competit, nam hæ desinunt in ulcera; Id negat tamen *Mercurialis*, quia similes inquit erant morsibus culicum quod nec morbillis nec variolis competit; sed si consideremus quæ morsibus culicum attribuit *Hippocrates*, videbimus tum variolas tum morbillos posse intelligi. Non enim simplicem maculam, sed intumescentiam & asperitatem illis tribuunt authores, ut experientia quoque ostendit. Eandem quoque curationem *Paulus & Aëtius* instituunt, quam nos in hisce variolis observandam docebimus. *Celsus lib. 5.* ubi de phymate, phygethlo furunculo, cæterisque egit tuberculis, pustulas in genere describit, & ita exactè ut variolis omnia fermè competant, quanquam non solas variolas sed etiam alia earum genera complectatur. Si enim variolæ à sanguine, morbilli fiunt à bile, à reliquis pustulis non differunt nec naturâ nec curatione, nisi quod criseos ratione in febribus malignis eveniant, sintque epidemicæ & contagiosæ, & quoniam vi naturæ oriuntur nunquam sunt repellendæ, sed potius omni ingenio provocandæ. *Arabes* qui hunc morbum acuratissimè explicarunt, de eo tanquam de morbo novo, veteribusque incognito non egerunt, nec causas novas sed menstrui sanguinis impuritatem constituerunt, cujus vitium semper fuit, nec novum est. Quod si veteres Græci non ita clarè horum meminere, id factum est, vel quòd ob exactam victus rationem mitiora forent omnia, vel quia omnes papulas in cute apparentes exanthematum nomine complecterentur, vel quia criticæ sunt evacuationes, & symptomata febrium malignarum, quæ propterea seorsim in morborum numero non sunt recensendæ. Nihilominùs tamen quæ necessaria sunt ad earum curationem & cognitionem reliquerunt, scilicet in febribus malignis eas apparere, esse quoque si recesserint, & paucæ fuerint valdè periculosas, non esse repellendas, sed potius in cutim attrahendas; Demum quibus remediis sint exsiccandæ ut videbimus in progressu. Ex quibus solvuntur facile *Mercurialis* rationes: *Quis, inquit*, dixit unquam exanthemata omnes homines tentare, quis dixit magis afficere pueros, apud quem reperiemus ipsa adeo omnes homines deturpare, quæ puerilia esse & falsa ex superioribus intelligi potest, & quidem pueros magis affici *Hippocrates, Aëtius, Paulus, Celsus* dixere;

Omnes homines tentari semel in vitâ, veteres non adeo exactè observarunt, sed neque ipsi *Arabes* excepto *Avenzoare* id referunt. *Avicennas* id scriptis non prodidit, qui tamen omnium optimè de illis scripsisse dicitur. Id nos primus omnium docuit *Avenzoar*, & experientia comprobavit, quis tamen dicit Avicennæ ignotas fuisse?

IX. *Mercurialis* novum morbum esse vult, primum aëris vitio enatum, dein hæreditate in posteros derivatum, quæ opinio absurdissima mihi videtur. Negavit enim adversus *Fernelium* vitio morbidi Cœli fieri, at nunc concedit illius vitio incepisse. Si hoc modo primum incepit, cur non eodem modo propagari potest, iterumve enasci, aut cur idem de peste dici non poterit, scilicet à parentibus priùs peste infectis abire in liberos, aut cur semel tantum in vitâ infestat, nec perpetuò durat, cum morbi hæreditarii ad mortem usque soleant sævire. Demum morbi hæreditarii communicantur per semen ex quo solidæ corporis partes coagmentantur, vitium igitur in solidis partibus residet. At cum per exanthemata repurgentur solidæ partes, nulla in illis remanet labes, quæ postea illis communicari possit, alioqui periculum esset relapsus. *Refutatio Mercurialis.* *

X. Ad causas variolarum jam se convertat oratio, de quibus eò acrius disputant Medici, quo inutilior earum est inquisitio, nam sive aëris vitio, sive à menstruo sanguine, sive aliis ex causis oriantur, eadem curandi ratio est. Attamen aliorum imitatione de his agamus. Affectus iste omnes occupat, juvenes & senes, viros & mulieres, est igitur morbus communis; Communem ideo causam habet. Causa communis quâ scilicet omnes utuntur, vel aër est quem inspirando attrahimus, vel lac quo omnes nutrimur, vel sanguis menstruus, quo partes corporis nostri coagmentantur & fiunt. *Fernelius* ex cæcâ & abditâ aëris qualitate proficisci putat, Indeque fieri ut certis temporum intervallis sileant prorsus, rursusque sæviant in plebem, quod rigente cœlo non minùs quam ferventissimo generentur. Sed malè. Quamvis enim interdum epidemicorum morborum more grassentur, id tamen non est perpetuum, sunt enim sæpius sporadicæ, & quocunque anni tempore in quâlibet regione quidam hoc morbo conflictantur, in septentrione, in meridie, in universo terrarum orbe, quidam perpetuo sunt qui eo laborant, unde etiam interdum sæviant in plebem, falsum tamen est unquam prorsus silere. Vel igitur ab aëre originem non ducunt, vel arcana illa aëris qualitas in universo terrarum orbe per-

De causis Variolarum. *Fernelii opinio.*

Alia opinio. perpetua eſt, quod eſt abſurdum. Præterea ſemel tantùm in vitâ non infeſtarent, ſed ſæpius peſtilentium more inficerent, & occiderent. Quidam lac quo infantes nutrimur cauſam eſſe dixerunt, quæ tamen ſententia paucos habuit aſſertores. Abſit enim omnium nutricum lac eſſe vitioſum, aliàs laborarent in univerſum nutrices ſingulæ ob vitioſi ſanguinis perpetuum proventum. Tum quoque maturos partus hac lue perfuſos editos videre ſæpe contigit, antequam lacte fruantur.

Opinio Arabum. XI. Communiſſima igitur opinio eſt quam *Arabes* primùm protulere, ſanguinis menſtrui quo in utero fœtus alebatur relliquias hujus morbi cauſam eſſe, fœtus quidem iu utero materno ſanguine ſuſtinetur, primis quiden menſibus puriſſimo, ſed increſcente fœtu purum vitioſumque ſimul prolectat, eoque magis quo fœtus grandior eſt, pluriqué alimento eget ad ſui nutritionem, cujus impuri ſanguinis malâ qualitate inficitur; unde ſolidæ car noſæque partes eâ labe inquinatæ, ſemel ſaltem in vitâ depurari poſtulant, ſicut vinum in doliis fervendo & ebulliendo defœcatur, ipſaque vaſa ſi quid vitii continebant, illud ſimul deponunt, & puriora fiunt, ſic ſanguis menſtruus in poris partium contentus efferveſcens, naturæ vi foras propulſatur, & effloreſcit in cute. Quæ tamen ſententia non mediocres patitur difficultates. *Primò* verum non videtur fœtum nutriri ſanguine impuro, ſed potius puriſſimo à quo nulla labes ſolidis partibus inuri poteſt; Si enim in gravidis retentus ſanguis ille, tot gravia ſymptomata generat, quomodo innoxiè fœtus illo fruetur. *Fernelius*, *Averrhoes*, *Avenzoar*, negant ejuſmodi ſanguine fœtum nutriri. Reſpondeo nutriri quidem puriſſimo quantùm poteſt, ſed eo increſcente ſemper impuri aliquid prolectare, aut ſaltem ab impnrâ portione inquinari, ſicut vaſa à rebus impoſitis inficiuntur, ideo natura impuritates illas tandem cogitur ſecernere per cutaneas excretiones. *Secundò* objicit *Fernelius* ſæpe homines pati morbos grauiſſimos, multas febres, in quibus ob ſanguinis efferveſcentiam & vena ſecatur, & purgationes aliaque remedia inſtituuntur, corpus variis modis expurgatur, quomodo non fuit venenum iſtud poſt multas febres, poſt multos morbos ſuperatos ex fermentatione vacuatum. Cur pariter mulieres quæ ex menſtruorum ſuppreſſione ægrotant iiſdem malis non ſunt obnoxiæ? Reſpondeo non quamlibet efferveſcentiam variolas procreare, ſed eam tantùm in quâ ſanguinis menſtrui relliquiæ eam patiuntur, ſi ergo ſola in venis fiat ebullitio

litio, ut in synochis febribus, nulla fient exanthemata, unde in suppressione menstruorum per quia sanguis, partium substantiam non dispergitur, nec malignam illis qualitatem imprimit, sed venis continetur, non fiunt variolæ; Dicet quispiam partes non patiuntur ebullitionem sed venæ. Respondeo non ipsas quidem partes effervescere, sed ex malignâ illâ qualitate quam ex menstrui reliquiis contraxerunt, humores inficiunt, qui effervescentes in cutim propelluntur, sicque partes ipsæ depurantur, sic vasa quæ non sunt sincera vinum inquinant, quod si illud effervescat, simul quoque vasa expurgantur. *Tertiò* si fiunt à sanguine menstruo cur sæpe longè ab ortu in ipsâ senectute sese produnt, quomodo potuit tamdiu sine noxâ venenosa illa substantia retineri. Respondet *Augenius* id fieri, prout materia pauca fuerit vel copiosa, naturam vel multùm vel parum irritarit, sic latet sæpe per annos plures venenum, nec nisi post longissimam temporis moram sese exerit. Ideo non semper excretio hæc statim à naturâ instituitur, nisi aut contagio, aut externarum causarum vi stimuletur, ideo epidemicorum more interdum sæviunt variolæ, quia ab aëre incitatur natura ad excretionem, quæ aliàs otiosa fuisset, vel quia materia pauca est, vel quia natura assueta est. Labes autem illa solidis partibus impressa si exigua sit, nec externæ causæ vi commoveatur, sensim alimentum inquinat & multiplicatur ingravescitque in corpore, donec à naturâ amplius ferri non possit, hincque sese tantùm in senectute interdum prodit, citius verò, si copiosior illa fuerit acriorque ut in iis qui pueri hos morbos patiuntur. Eam autem accelerat impura victus ratio, quæ humores pravos coacervat, à quibus citius corpus ægrotat. *Quartò* sequeretur unumquemque his aliquando in vitâ conflictari debere, neminemque his posse secundò aut tertiò prehendi, quod experientiæ repugnat. Respondeo ex Arabum sententiâ & rei veritate vix millesimum effugere hanc labem, nisi juvenis ex alio morbo decesserit. Neque morbum repetere si sufficiens & copiosa fuerit excretio, nec nisi ex relicto fermento quod postea novi morbi historiam orditur, nam quæ relinquuntur recidivas facere solent. *Mercurialis de puer. morbis*, variis quoque modis sententiam hanc impugnat. *Primò* Variolæ sunt novus morbus ante Arabes vix cognitus, at vitium menstrui sanguinis fuit sempiternum. Sed superius ostendimus morbum hunc minimè recens excitatum, sed Græcis fuisse cognitum. *Secundò*, inquit ille, fiunt vitio aëris, ut profitetur *Avenzoar*, & ex historiis novi orbis

patet

patet fuisse fermè extinctos incolas & variolis morbidi cœli vitio contingentibus. Respondeo aërem causam tantùm esse externam quæ internam suscitat. Internam autem esse vitium illud menstruale, ut apparet quod quantumvis morbidum sit cœlum, multique morbi ab eo pullulent, non fiunt tamen variolæ, nisi in iis qui hujusce labis seminaria continent. *Tertiò* si à menstruo fierent variolæ quæcunque animalia menstrua habent, iis quoque forent obnoxia, ut equus, canis, asinus, quod tamen nunquam fuit observatum. Respondet *Laurentius* bruta victu uti sicciore, vitam in labore degere, sicque sanguinis impuri relliquias digerere. Sed præterea prædicta animalia menstruas habere purgationes etsi *Aristoteles* dixerit, id tamen tam rarum est ut inter centum millia vix uni contingat, parumque absit à fabulâ, ut tam debili fundamento subnixa ratio spontè facilè corruat. *Quartò* natura tribus modis omnia fœtus excrementa repurgat, primò deponuntur ea inter duas tunicas usque ad partum, secundo statim à partu per intestina excluditur meconion; demum per achoras capitisque ulcera fit nova excretio, quæ pueri excrementa ita secernit, ut ab epilepsiâ aliisque morbis in posterum tutus maneat. Respondeo superesse quartam expurgandi rationem per exanthemata, nec enim prædictæ excretiones sufficiunt, siquidem membranæ fœtum involuentes sanguinem tantùm continent quem infans non attrahit, impurum quidem & vitiatum, sed qui tamen illum non inficit. Meconio quoque non posse luem partibus conceptam educi certum est, tum quia locus accomodatus non est, tum quia excretio exigua est, nec sufficit humori vacuando. Achores non universum corpus, sed solum caput expurgant: Necessariò igitur menstruale vitium per corporis habitum debebat removeri. Fiunt igitur cum sanguis sicut vinum in doliis fervens depuratur, spumam suam & habitus crassiores ad cutem mandat, ex pituitosiore fieri sanguine ostendunt symptomata: fiunt enim somnolenti, caput ingravescit, oculi tument, & lachrymantur, febris non est admodum vehemens, extuberantque papulæ, morbillorum vero materia tenuior maculas tantum inurit.

XII. Itaque cum omnibus communis sit morbus hic, & pueris maximè familiaris, ad aërem solum referri non potest, quæ enim sporadicæ variolæ sunt, non nisi ab internâ causâ possunt suscitari; singulis annis pueri quidam ubique gentium illis laborant, etsi aër nec pestilens sit, nec malignus. Referantur ergo ad sanguinem quo infans alitur pri-

mùm

mùm & sustinetur. Quod si labem hanc à causâ cœlesti in actum deduci contingat, vel per contagium propagari, epidemici fieri morbilli poterunt, sæpe tamen sunt sporadici. Cum igitur ex eodem menstruo sanguine elephantiasin generari dixerint Arabes, videndum quonam demum modo à variolis distinguatur, quomodo scilicet in his universus corporis habitus expurgetur, in illâ vero immedicabili malo defœdetur. Id explicare non est difficile. Conceptio fit vel antequam fluant menses, vel post quam fluxere, vel dum fluunt. Optima fit post menstruorum fluxum utero repurgato, dein antequam fluant, deterrima verò ipsis fluentibus, quæ etiam legibus divinis prohibita est, nascuntur enim fœtus elephantici. Itaque cum ex pravo sanguine generationem sortitur homo, ut qui fluente menstruo concipitur, fit elephanticus, qui vero post uterum à sanguine expurgatum generatur, cum ex optimis purisque principiis coalescat, solidæ partes benè se habent à nativitatis principiis, solummodo dùm ad nutritionem purum impurumque simul sanguinem prolectat, labem aliquam contrahit, quam deinde per variolas expurgat. Statuamus ergo à sanguine menstruo fieri variolas & morbillos. *De differentiâ variolarum & lepra.*

XIII. Causæ verò harum internæ plures sunt, constitutio corporis calida humida, habitus tener & obesus, ætas puerilis & juvenilis, sunt enim pueri magis obnoxii, quia sanguine abundant, ichoribus, & maximo calore, facultates naturales habent robustiores, unde scribit *Plinius* magis eos tentari peste quàm senes. Aetate provecti minùs afficiuntur exanthematis, tum quia minùs validam habent excretricem, tum quia temporis diuturnitate vitium illud sanguinis partibus conceptum per insensilem transpirationem absumpserunt, quod si eos affici contingat, periculosius ægrotant, quia maxima tenaxque illa causa est quæ tamdiu in corpore latitarit: scribit *Rhazes* pueros esse magis obnoxios quam sint puellæ, quod tamen non est superstitiosè inquirendum, cum pariter sexus uterque afficiatur, nec facilè sit id observare, cum puellæ non minùs quam pueri hoc morbo intereant, vixque ulla sit puella quæ illum effugiat. Causæ externæ sunt quæ in sanguine effervescentiam & corruptelam efficiunt, aër calidus humidus, pestilens, sub quo pernitiosæ variolæ concitantur, constitutio austrina, tempus vernum & autumnale, regio calida humida. *Avicennas* ver magis obnoxium esse scribit, *Rhazes* verò autumnum, quæ differentia inutilis est, siquidem quolibet anni tempore grassari observatum fuit, interdum ferocius autumno quam *Causa interna.* *Causa externa.*

quam vere, interdum ipsâ hyeme magis quam aliis temporibus. Unde superstitiosæ mihi videntur & inanes ejusmodi observationes, suntque plerumque falsæ. Ad hæc usus vini meracioris, ciborum calidorum, pinguium, dulcium, lactis, balneorum, laconicorum, exercitationes immodicæ, & intempestivæ, atque etiam contagium tum per fomitem, tum ad distans vitiato aëre ex anhelitu ægri, sicque malum in alios serpit: Tum demum quæcunque effervescentiam humoribus conciliare possunt, fieri enim per ebullitionem clarè ostendunt symptomata quæ consequuntur, tùm calor intensus præcedens, tum pustularum color, quæ omnia sanguinis ferventis sunt indicia. Pueri maximè affliguntur, quia sanguine multo in utero abundant, unde recens nati toto corpore rubent, dein postea lactis plurimum hauriunt, nec fermè unquam saturantur, hinc multos aceruant humores pravos, ob ingluviem, assumendorum ordinem præposterum, intempestiva exercitia & quia sæpe impurum lac sugunt, & vitiosa alimenta bonis præferunt.

Signa. XIV. Præsentes variolas dignoscere non est difficile, futuras vero ut docet *Fracastorius* antequam erumpant difficillimum, nulla enim habent signa pathognomica quæ aliis morbis non sint communia. Suspitio tamen est illas futuras, *primò* si eâ tempestate grassentur, tuncque quispiam febre synocho laboret, aut ardenti. II. Adest dorsi dolor & lumborum, quia vena cava descendens perreptat per dorsi regionem, in quâ sanguis effervescit & ebullit, unde distensio & dolor. Idem in arteriâ magna descendente contingit. III. Nasi pruritus, faciei rubor propter sanguinis & vaporum acrium ad illas partes anadromen. IV. Timores in somnis propter ascensum vaporum ad caput. V. Punctionis in universo corpore sensus ex materiâ acri & pungente quærente exitum. Dubitabit quispiam cur pariter non fiat rigor, saltem in morbillis quos humor biliosus & acris parit, expulsio siquidem humoris acris per membranas sensiles rigorem parere solet? An quia non putredine solâ sed occultâ qualitate isti humores nocent? unde sicut in febre pestilenti rigores non concitantur. VI. Capitis totiusque corporis gravitas à plethorâ infestante. VII. Lachrymæ ex vaporibus acribus è capite in oculos distillantibus. VIII. Pandiculatio frequens, anxietas, & oscitatio, ex vaporibus musculos tùm totius corporis tum oris ferientibus. IX. Corporis palpitatio; X. Anhelitus compressio à sanguinis thoracem comprimentis copiâ. XI. Raucedo ex sanguinis circa partes spiritales ebullitione. XII. Sputum crassum à nimio calore.

lore. XIII. Oris exſiccatio & ariditas eâdem de causâ. XIV. Animi perturbatio, convulſio, ſyncope, ex humore maligno cerebrum & cor feriente. XV. thoracis gutturiſve dolor. XVI. Pedum manuumve tremor. XVII. Poſt prædicta apparent in facie & toto corpore maculæ rubicundæ primum milii granis ſimiles, aliquantulum aſperæ, quæ tamen ſenſim augentur. *Rhazes* prædicta ſigna brevius proponit. Cum, *inquit*, febris acuta pueris & juvenibus contigerit, ſimulque coſtarum dolor, naſi pruritus, in ſomno timor, capitis gravitas, oculorum rubor, & in toto corpore punctio perſentitur, ſignum eſt ægro vel variolas vel morbillos ſuperventuros. Quæ tamen ſigna, ut diximus, non ſunt neceſſaria, nam ſimul omnia, & ſingula ſeorſim in aliis febribus contingere poſſunt, tantumque ſanguinis fervorem indicant, cui neceſſariò exanthemata non ſuccedunt.

XV. Prognoſtica quod ſpectat, morbus hic acutus eſt, cum periculo ſcilicet & vehementi motu, qui ſunt morborum acutorum characteres, imo tam graves interdum ſunt hi tumores, ut putredine & fœtore fiant ingratiſſimi, in ſquamas fœtidiſſimas abeant, tranſeantque neglecti in ſcabiem fœdam, interdumque ex iis corpus contabeſcat. Sunt autem evacuationes criticæ, criſis verò mala eſſe poteſt & bona. Ideo dignoſcendum quando ſalutares ſint, quando lethales. Utplurimum itaque ſalubres ſunt, quia ſunt criticæ, maximè ſi cum exiguâ febre erumpunt, citò apparent, febrem tollunt, aut ſaltem imminuunt, ſi ſint coloris rubicundi, non violacei, aut nigri, ſi ſint magnæ, ſi citò ſuppurent, nam Coaca 114. *Quibus per febres aſſiduas puſtulæ toto corpore enaſcuntur lethale eſt, niſi quid purulentum accedat*, ſi ſymptomata reliqua imminuantur, ægri benè ſpirant, ad oblata benè ſe habent. Contraria ſigna mala ſunt, ut ſi ſemel apparentes evaneſcant, vel intro redeant, naturæ imbecillitatem arguunt, humoriſque copiam excretioni reſiſtentem; *Secundò* ſi poſt earum exortum febris remaneat continua & acuta, aut ſi quæ prius ceſſaverat, revertatur; *Tertiò* ſi mala ſymptomata vel perſeverent vel accedant, anhelitus difficultas, tuſſis, ſitis, æſtus, corporis vehemens agitatio, animi deliquiâ, convulſio, delirium, urinæ malæ, lividæ, nigræ, virides: *Quartò*, ſi fuerint virides, lividæ, nigræ, maximè pruriginoſæ, magnam enim humorum aduſtionem ſignificant. *Quintò*, ſi fauces, ventriculum, & interna viſcera exulcerent. *Sextò* ſi alvi fluor æruginoſus, dyſentericus, niger ſucceſſerit, qui ſi in declinatione interdum contingat, redeuntibus in viſcera exanthe-

Prognoſtica.

matis, aut aliâ de causâ, etiam in ipsâ declinatione æger mori potest. *Septimò* lethales quoq; fiunt in iis qui valdè cacochymi sunt, in quibus fervente sanguine putredo immedicabilis succedit, tùm quoq; si victus errores committantur, tùm si accedat morbidi cœli & acris intemperies, sicut contrà meliores sunt in iis quibus præter ichores nihil est pravum, & in quibus nulla externa causa operatur, nec aër, nec ratio victus, nec aliud quippiam. Ut ut sit, vix unquam ita fœliciter curantur, quin in facie cicatrices relinquant, & vestigia satis deformia, quia cutis illic non est separata à panniculo carnoso, sic docet *Aristoteles 3. de histor. animalium xi.* ubi cutis immediatè ossibus adhæret, vulnera difficulter coalescere. *Octavò*, in pueris mitior affectus est quam in adultis, quia si in tenerâ ætate infectio non expurgetur, signum est tenacem illam esse vixque idoneam separari, quare non nisi vi multâ & magno labore in adulto separari potest. In scabie, tineâ, achoribus, aliisque affectibus fiunt multæ excretiones sine febre, cur hic non fient? Respondeo excretiones eas quas Natura sensim molitur, sine febre posse perfici, sed crititas, impetuosas, quales sunt variolarum eruptiones, sine multo calore non fieri, calor enim ille est qui promovet & accelerat repentinas omnes humorum vacuationes. *Nonò*, dubitatur quænam sint deteriores, plures an pauciores? *Aëtius* copiosas vituperat, *Avicenna paucas.* Sanè optandum est semper ut quamplurimæ exeant, sic enim removetur magis ab internis visceribus humor morbificus. Sed sive copiosæ, sive paucæ erumpant, attendenda semper sunt symptomata, quæ si perfectè cessaverint, semper sunt bonæ, si remaneant & perseverent, vel redeant, malæ, in posteriori hoc casu, paucæ, naturæ imbecillitatem, copiosæ humorum malignorum copiam arguunt, in priori vero casu, paucæ, humoris pernitiosi paucitatem; Copiosæ, naturæ sanguinem perfectè expurgantis robur ostendunt. Prognostica hæc signa eleganter complexus est, *Aëtius tetrabibli secunda libro primo, cap. 129. deteriores sunt*, inquit, *plures quam copiosiores, majores quam minores, quæ cito delentur quam quæ multo tempore durant, & quæ succedunt alvo suppressa, aut moderatè fluenti meliores, quæ vero fluente alvo, aut vomitibus vexantibus malæ, si succedentes alvum resiccent bonæ.* Præterea quidam moriuntur anginosi, nonnulli dysenterici, alii syncope conflictantur, & pereunt.

Dubium. *

Curatio.

VI. Ad curationem jam veniendum, & quoties eruptionis variolarum motus est, adjuvanda est natura expellens, tum partes tam internæ quam

quam externæ defendendæ sunt ne lædantur, prohibere autem variolas ne fiãt, satis tutum non est, nec facilè, si natura semel hoc orgasmo concitetur. Sed quoniã nobiles plurimi earum timent contagium, Optimũ erit, si tunc hoc morbi genus grassetur, vitare primum omnium cum infectis conversationem, tùm purgantibus medicamentis, venæ sectione si vires & ætas ferant corpus vacuare, & refrigerantibus syrupis temperare, de quibus capite de synocho diximus. Hic autem quia laborantibus remedia præscribimus, diætam, chirurgiam, pharmaceam explicemus. Antiquam igitur variolæ prodeant aëris frigidi usus est salutaris, humorum enim sanguinisque fervorem temperat, illis verò erumpentibus noxius est, quia intus cohibet excrementa quæ in cutem deponere Natura gestit, hæc autem cohibita viscera partesque nobiles lædunt, angustiam, syncopen, inquietudinem & prava inducunt symptomata. Temperatus igitur sit cum foras erumpunt variolæ, præcipuè si salubres sint, nam in malignis quibus apparentibus & febris & symptomata perseverant, unicè cavendum est à nimium calido, ne augeatur incendium, non minùs quam à frigido ne retrocedant, salubribus autem calidus aër prodest, æger pannis præsertim rubris cooperiatur, ut ab aëris frigidi occursu satis tutus sit, non autem ut præ pannorum copiâ & nimio calore suffocetur, animi deliquium & syncope contingant. Superstitio mihi esse videtur in colore pannorum, cur potius rubri quam albi viridesve esse debeant? Color enim non potest operari nisi per accidens quatenus visum & phantasiam afficit, quæ postea similitudine coloris incitata, sanguinem ad exteriora impellit. At sic sufficit colorem ejusmodi oculis objicere, nam cum corpori adhærent & noctu & sub lecti linteaminibus non videntur. *Secundò* panni non educunt humores nisi quatenus corpus calefaciunt, poros aperiunt, ab externo aëre defendunt, quod non rubri tantùm sed omnes panni præstare possunt & omnium optimè albi. *Tertiò* *Amatus*, *Valesius*, aliique qui hujusmodi pannos ex vulgari consuetudine probant, id sedulò movent, ne corpus ipsum contingant, quia ex tincturâ aliquam habent adstrictionem, ideo quamvis eos non improbem, ridiculum tamen esse puto colorum facere discrimen, imò potius candidissimos probarem, quia color ille visum disgregat, spiritus ad externa evocat, & ex consequentiâ quadam humorum in cute efflorescentiam promovet. Nec obstat quædam animalia viso rubicundo colore excandescere, multos viso sanguine proprio animari ad vindi-

Diata.

* *De pannis rubris.*

ctam, id tamen non est perpetuum, nec omnibus sed tantummodo quibusdam competit, qui id ex arcanâ habent proprietate, neque viso quolibet sanguine, sed tantùm proprio quidam in iram prorumpunt, indicio sanguinis colorem rubicundum ejus rei causam non fuisse.
Somnus. Somnus pueris concedi potest longior ante eruptionem variolarum, quamvis omnes vacuationes cohibeat præter sudorem, est autem hæc expulsio non multùm absimilis sudori, erumpentibus autem iis magis vigilandum quam dormiendum. *Animi motus.* Animi motus, ut in reliquis morbis diximus, præter gaudium ferè nocent omnes, ira tamen quibusdam non improbatur, reliqui verò sanguinem caloremque retinent in visceribus. Continenda igitur corpora sunt in summâ quiete corporis & animi, solùm in principio frictiones competunt leviores, quibus meatus dilatantur & naturæ juvatur expulsio, à quibus tamen abstinendum erit quando incipiunt eminere in superficie corporis. Evacuationes provocandæ glandibus & clysteribus de quibus inferius dicemus. *Excreta.* Reliqua in cibo victus ratio tenuis esse debet, quamvis in *Cibus.* pueris ob consuetudinem & plurimum calorem, in senibus ob virium imbecillitatem, paulò plenior concedi debeat, sicut in pestilenti statu, in quo tum morbus, tùm vires ineditâ læduntur. Refrigerantes autem cibi sint ob febrim adjunctam, modicè abstringentes, & incrassantes ne sanguis in partem principem impetu quodam irruat, viscera ipsa confirmentur adversus hanc luem. Vitentur ergò cibi acres, salsi, pingues, dulces, ex *Avenzoare*, tùm etiam amari, quia sanguinem agunt in fervorem, carnibus & ovorum vitellis Arabes abstinent antequam periculo æger defungatur, sed postea convenire posse docent, ideo solis sorbitiònibus alendos ægrotantes vult *Hipprocrates*. Juscula ergò carnium eupeptarum, lactucâ, cichorio, portulacâ, endiviâ, borragine & similibus alterata dentur. Hordeata quoque amygdalata, succis granator, limonum medicata prosunt. In potu Julepi, tinctura rosarum, aqua hordei cum succis acidis & cornu cervi commendantur, sed vino abstinendum præterquam iis erumpentibus, tuncque convenit oligophoron, aquâ dilutum, modò febris non sit vehemens, nec caput doleat, nec æger deliret. *Lentes.* Sed inter omnia medicamenta vel alimenta lentes primum obtinere locum dicuntur, ita ut *Augenius* occultâ proprietate huic malo opitulari scribat, medicosque inexpertos & ignaros vocet qui illas improbant, atque etsi ut alimentum in substantiâ non conveniant, convenire tamen ut medicamentum ad causam

ſam morbillorum in ſuperficiem expellendam. *Portus* adſtrictione valere ſcribit, ſicut & laccam, & tragacanthum, quia viſcera roborant, quæ roborata humores pellunt in habitum corporis, Alii humorum ſanguiniſque fervorem retundi aiunt, ejuſque motum compeſci à lentibus, fuiſſeque Arabes in viribus medicamentorum explorandis, Græcis multò diligentiores. *Amatus* in Dioſcoridem, *Cardanus*, *ſylvaticus* Medicos damnant qui lentes in pleuritide & morbis acutis ægris præſcribunt. Scribit *Galenus*, lentes eſſe dyſpeptas, craſſum ſuccum generare, elephantiaſin, cancros, *8. ſimplic.* earumque decoctum alvum ſolvere, quod eſt variolis noxium. *Cave*, inquit Avicenna, *ne detur corpus lentium materiâ exiſtente groſsâ.* Mercurialis prodeſſe putat ſi aliquid admiſceatur quod craſſitiem illarum attenuare poſſit, laudatque Arabes qui illas aceto incoquunt. Alii corticem adſtringere ſcribunt, ſubſtantiam aperire, ideo coquunt vel cum cortice, vel ſine cortice, idque vel ſemel tantùm, vel bis terue; Ad ſanguinis fervorem compeſcendum exhibent cum cortice bis coctas, priore decocto abjecto, ſed ad modicè provocandas ſine cortice bis coctas præbent. *Avicennas* cap. de ſynocho lentes ad ſanguinem incraſſandum commendat, non ad ullam in cutim expulſionem promovendam. Ideo convenire variolis vix poſſunt. Cum igitur hujus remedii facultas ignota ſit hactenùs, & dubia, contra certiſſimum ſit ab omnibus improbari, quod vitioſi ſint ſicci, mentem turbent, ſanguinem melancholicum generent, ſcribatque *Galenus* pleuriticum èx earum uſu interiiſſe, ſane tam ineptum alimentum vix crediderim ego bonum eſſe medicamentum, cumque certiora & tutiora ſuppetant ab eo in poſterum abſtinendum. Galli & Angli qui delicatius ſolent epulari, hoc ferculo ſat ſcio lubentiſſimè carebunt.

XVII. Reliquam curationem quod ſpectat, omni arte curandum eſt ut quam citiſſimè erumpant, tuncque partes plurimæ quæ noxam percipere poſſunt ſunt roborandæ & præſervandæ. Tales ſunt oculi, nares, pulmones, inteſtina. Id autem adſtringentia & repellentia præſtant. In oculis periculum eſt ne cæcitas contingat ex cicatrice; ſi enim corneam occupant variolæ, rumpitur ea, ulcuſque ſuccedit difficillimum, & eo curato cicatrix. ℞ *aqua plantag. roſar. ana* ℥ iij. *ſumach* ʒ ij ß. *ſantali albi & rub. ana* ʒ ß. *ferveſiant parum & coquantur. Colaturæ adde camphoræ* ℈ j. *croci grana tria, & oculus foveatur.* Alumen ovi cum aquâ plantaginis ſufficit ℞ *ſief albi ſine opio* ʒ ß. *aquæ plantag.* ℥ iij. *campho-*

Præſervatio partium; Oculorum

phora ℈ ß. *f. collyrium.* Quod si hæc non profuerint & variolæ in oculum irruunt, remediis in ophtalmiâ describendis curentur. Prædicta etiam naribus convenire possunt, addito aceto rosaceo, cujus solius frequens odoratus prodesse dicitur. ℞ *Plantag. myrti, rosar. balaust. ana* P. ß. *f. decoctio in aqua plantag. & aceti ana* ℥ iij. *Colatura frequenter nares foveantur.* Ubi exulceratæ sunt, ceratum rosaceum aut violaceum cum mucilag. tragac. convenit. ℞ *mucilag. sem. cydon. extracta in aquâ plantag.* ʒ vj. *olei rosati* ℥ j. *ceræ parum fiat linimentum.* Ad fauces gargarismata ex decocto adstringenti parata cum diamoro, dianuco, granator. berberisque succo, quæ sola si gargarismatis æger uti non possit, lambendo sumpta prosunt. Ad pulmones lohoc de lentibus maximè commendatur ab Avicennâ. ℞ *lentium* M. ij. *vuar. passar.* M. j. *sem. papaver.* ʒ ij. *rosar.* ʒ j ß. decoquantur ad ℔ j. *in qua dissolve sacchari candi* ℔ ß. *pulveris tragacant.* ℥ ij. *fiat lohoc.* Vel ℞ *conservæ rosar.* ℥ j. *pulveris diatragac. frigidi* ʒ j ß. *sem. papaver albi* ʒ j. *syr. de papav. q. s. f. lohoc.*

Narium. *Faucium.* *Pulmonum.*

Intestinor Alvi quoque fluxus in his febribus noxius est, ideo utitur *Avicennas* trochiscis de spodio & aliis adstringentibus. Quidam id nolunt esse perpetuò verum, nisi ratione variolarum intestina obsidentium contingat, tuncque in ipsâ declinatione periculosus est, multo magis in principio, fiunt etiam in intestinis ulcera curatu interdum difficilia. Sed si in morbi declinatione natura relictam cacochymiam quam per cutim non excreverat, per alvum evacuet, salutaris interdum esse potest. Igitur si in principio contingat, semper sistendus est clysteribus lenientibus & repellentibus de quib. cap. de dysenteriâ dicemus.

XVIII. Ubi partes fuerint præservatæ, naturæ motus juvandus est, si ipsa segniter operetur, quod aperientia & in cutim evocantia præstare possunt. Sed si plenitudo maxima adfuerit, sanguinisque ebullitio, statim vena secetur, ex *Aëtio*, ut scilicet humor in venis ebulliens vacuetur, & natura oneris parte levetur, sic enim postea alacrius expellit, meliusque transpirat corpus, alioquin periculum est ne Natura oppressa multitudine, nihil reponat in superficiem, aut tantùm morbi partem, aut ne materia orgasmo concitata ruat in partem principem, & si authoritatibus certandum sit, *Amatus* se venam fœliciter in pueris secasse asserit. *Hollerius* quoque idem suadet ut corpus fœlicius transpiret. *Avicenna, & Gordonius* supra cætera remedia extollunt. Incidenda autem est jecoraria dextra, mittendusque sanguis ratione plenitudinis & virium, nunquam autem ad animi deliquium, necesse est enim

Venæsectio.

vires

vires superſint in corpore ad veneni iſtius vacuationem. Supponimus autem & vires & ætatem & cætera conſentire. Secanda autem eſt nondum apparentibus variolis in morbi principio, cum materia fervet in venis, nequaquam verò iis prodeuntibus, ne humor revocetur in viſcera, exeunt enim per modum criſis. *Hollerius* tamen non vult eſſe perpetuum extantibus in cute papulis à phlebotomiâ abſtinere, nam inderdum non erumpunt præ copiâ vitii, naturâ multitudine oppreſſa, quæ recreari debet & exonerari, tum ſi febris gravis perſeveret, ſpirandi difficultas urgeat, qui caſus lethales ſunt, & mortem minantur, quando apparentibus variolis febris non ceſſat, ob humoris maligni naturam aſſiduè fatigantis copiam, quibus periculis venæſectio tempeſtivè adhita opitulari poſſe mihi videtur. In pueris autem & junioribus, hirudinibus & cucurbitulis ſanguis mittatur, majora enim non perferunt remedia.

XIX. Purgationem quoque plurimi vituperant, Hollerius ait melius eſſe alvum adſtringi. *Fracaſtorius* idem ſentit, *Rhazes* & *Avenzoar* nec medicamenta exhibent, nec alvum movendam volunt, præterquam glandibus & clyſteribus ſi non reſpondeat. Et ratio eſt, quoniam pharmaca acria cum ſint & calida, humorum ebullitionem augent, præterea cum corpus extimum exanthematis ſcatet, intro virulentam materiam revocant, moventque motu naturæ contrario. Inſuper alvi fluxus hic periculoſus eſt, quia contingunt dyſenteriæ, ulcera maligna & ſanatu difficilia, vireſque hâc vacuatione labefactantur. In hiſtoriâ *Simonis* dicit *Galenus*, vomitum non profuiſſe, optimâ ratione, tùm quia hyems erat, quo tempore vomitum minùs conferre ſcribit. *Hippocrates*, tum quia motus ille contrarius erat motui exanthematum. Demùm variolæ criticæ ſunt vacuationes, propterea ſinendæ *ex aphoriſmo*, nam ut docet *Galenus*, quæ ſunt in cute non poſſunt in alvum retrahi per medicamenta. Verumtamen utilis interdum eſſe poteſt levior & benigna purgatio in principio & declinatione. In principio quidem ut prima regio vacuetur, ſicque natura aliquantulum levior fiat expeditior ad excretionem, *Inchoantibus ſiquidem morbis ſi quid videtur movendum move*. *Hollerius* ſolos clyſteres ſatis eſſe poſſe ſcribit, aut ſaltem leviſſima pharmaca, quæ in corpore cacochymo primo die aut ſecundo, antequam natura movere incipiat, exhibita, bilis effervefcentiam compeſcunt. *Gentilis* laxativa præſcribit, quia leniunt malitiam humoris menſtrualis, venaſque mundificant, movet autem fri-

Purgatio.

gida illa eſſe debere ut ſedent fervorem, & in paucâ quantitate, quia largior alvi fluxus nocet. Scribit *Galenus 5. methodi* fuiſſe ab exanthematis peſtilentibus ſervatos omnes qui ante purgati fuerant. Attamen *Nicolaus Florentinus* ipſos clyſteres vituperat, ſed nimis timidus eſſe mihi videtur, non enim impediunt naturæ motus clyſmata, in ſolis enim inteſtinis operantur niſi ſint acriora, natura autem propè cutim & in venis movet. In declinatione verò utilis eſt catharſis, ad reliquias humoris morbifici exhauriendas. Sed ubi jam corpus occupant, hoc uti remedio piaculum eſt, nam quæ judicantur irritare non oportet, ſed ſinere, potius ſi alvus tunc fluxerit, adſtrigentibus eſt utendum. Igitur ſi catharticisuti Medico viſum fuerit, ea ſint benigniora, caſſia, manna, tamarindi, rhabarbarum, ſenna, & ſimilia.

Alterantia. xx. Vidimus jam nec purgationem, nec venæſectionem eſſe ſatis tutam. Ideo alterantia ſola ſuperſunt, quæ antequam erumpant papulæ refrigerantia ſint & ſimul cardiaca, ut ſyrapus de agreſtâ, de ribes, limon. granat. cum pulvere de gemmis & aliis de quibus in febribus dictum eſt. ℞ *ſuccor. borrag. bugloſ. ſcariolæ, limon. ana* ℥ iij. *roſar. flor. nymphea ana* ℥ ß. *ſantali albi* ʒ ij. *raſuræ eboris, cornu cervi ana* ʒ j. *aceti albi* ℥ ij. *aquæ roſar.* ℔ ß. *ſacchari* ℥ x. *fiat ſyrupus.* Quidam ſequentem ſyrupum probant. ℞ *decocti lactucæ, endiviæ, jujub. lentium, ſumach,* ℔ j. *ſucci granator. agreſtæ, moror. berberis, citri, aceti ana* ℥ iij. *ſpodii* ℥ j. *caphuræ* ʒ j. *Sp. Vitrioli* ʒ ß. *ſacchari* ℔ ij, *fiat ſyrupus, refrigerat, putredinem prohibet, confert anthraci, choleræ, febri ardenti, ſanguineæ, & variolis.* Hæc & ejuſmodi alia in principio conveniunt, tum etiam in progreſſu, ſi maxima inflammatio & febris perſeveret, ſi æger angatur, inquietus ſit, animo delinquat, nauſeabundus ſit, alvique fluxu laboret. Aliàs tranſacto principio motus naturæ juvandus eſt iis quæ vim aliquam habent aperiendi, laudantur lacca, lentes, ſemen fœnic. ficus, tragacant. paſſulæ. ℞ *rad. graminis, apii, aſparagi ana* ʒ iij. *liquiritiæ* ℥ ß. *folior. acetoſæ, capillis veneris ana* M. j. *flor. cordial.* P. j. *ficus xij. paſſul.* ℥ j. *ſem. fœnic.* ʒ j. *f. decoctio. In cujus unâ doſi adde ſyr. limon. de acetoſ. citri ana* ℥ ß. *f. potio.* Vel ℞ *ficuum* N. xij. *lentium, hordei, ana* P. j. *jujubar.* N. xv. *dactylol.* N iiij. *paſſular. Par. xx ſeminis citon. gummi tragac. laccæ ana* ʒ j. *croci* ʒ ß. *cicerum rubrorum f. decoctum ſaccharo dulcoratum, & bibat,* quæ remedia ex arabum mente præſcripta mihi videntur ſatis levia & in hoc morbo inutilia. Potius utendum eſt cardiacis, & iis quæ malignitati reſiſtunt, ut ſeminibus napi, cardui bened. citri, floribus

ca-

calend, ſcabioſæ, theriacâ, diaſcordio & cæteris, ſed præcipuè confectio de hyacintho huic morbo opitulatur. Non veniendum tamen eſt ad ea quæ vehementer aperiunt, niſi natura ſegnitur expellat, quod cognoſcetur ex anthematum & paucitate & tardâ eruptione. ℞ *corticis citri ſicci* ℨ ij. *folior. ulmar. ſcabioſæ meliſſæ, pimpin. ſcordii ana* M. ß. *ſem. napi, cardui bened. critri, ana* ℨ ß. *flor. calend. borrag. tunicis ana* P. j. *dictamni albi* ℨ j. *f. decoctio ad* ℔ j. *In colat. diſſolve ſyr. limon.* ℥ ij. *ſyr. granat.* ℥ j. *ſyr. conſervationis nucum conditar.* ℥ iij. *ſyr. caryophill. hortenſ.* ℥ j. *confect. de hyacintho* ℨ j ß. *fiat apozema in quatuor doſes.* Vel ℞ *rhapontici, rad tormentillæ, fraxinellæ, myrrhidis ana* ℨ iij. *flor. cord.* P. j. *acetoſæ* M. j. *terræ lemniæ* ℨ j. *bulliant in aquæ card. acetoſæ, veronicæ ana* ℥ iiij. *In colaturâ diſſolve pulveris diamargarit.* ℨ j. *ſyr. limon.* ℥ iij. M. *f. Iulep.* Prodeſt etiam aqua ſtillatia florum papaveris erratici, ſcorzoneræ, florum lini *ex Hollerio*, ex quibus cum theriacâ & aliis antidotis potiones idoneæ concinnari poſſunt. ℞ *radicis Contrajervæ* ℥ ß. *oßis de corde cervi* ℨ j. *margarit. præparat. lapidis bezoar ana* ℨ ß. *fiat pulvis. doſis ſit ad* ℨ ß. *cum aquis idoneis, ut cardui, ulmariæ, theriacali.* Sequens quoque pulvis optimus eſt ℞ *rad. biſtortæ* ℨ ij.. *magiſterii corallor. & perlar. ana* ℨ ß. *viperarum exſiccatar. & in pulverem redactarum,* ℨ ij. *Oculorum cancri per acetum diſtillatum præparatorum inſtar magiſterii perlarum* ℨ j. *ſacchari candi* ℥ j. *f. pulvis, cujus doſis ſit ad* ℈ j ß. *cum aquis prædictis.* Quibuſdam ſufficit eos calidè continere ne ſeſe aëri frigido exponant, & naturâ opitulante protruduntur exanthemata. Quidam balneum aquæ dulcis tepidum probant, quia meatus dilatat, cutim laxat, ut facilius & promptius humores excipiat, nam quâ ratione *Hippocrates* in hiſtoriâ *Simonis* probabat inunctiones ad ignem reſolventes & cutim laxantes, eâdem ratione fotus probat, & prodeſſe poſſunt balnea moderata. At hodie importunum ægris remedium balneum eſt, nec forſan adeo huic morbo commodum, quia vires maximè reſolvit, quibus autem variolæ non erumpunt id ex ſolâ virium imbecillitate procedit, quæ à balneo magis debilitantur. Sufficiunt fotus partium quarundam ut manuum, & pedum ex aquâ ſimplici, vel decocto chamæmeli, altheæ, origani, calament. ſcorzoneræ & ſimilium; Sic *Simon* cum ad ignem ungebatur, vel calidâ lavabatur, opem ſentiebat, nam quò natura vergit per loca conferentia, eò eſt ducendum.

XXI. Ubi verò eruperunt Variolæ plurimi multa moliuntur. At earum plurimæ ſine ullo remediorum apparatu ſpontè ſaneſcunt. *Topica.*

Valescus, Forestus aliique quamplurimi nihil remedii volunt admovendum, minimèque exsiccandas jubent, si sanies alba effluat. Ut ut sit, oleis non est utendum, quia facilè inflammantur, eaque vetat *Galenus* in eresypelate, nec narcoticis, ne repellant humorem in interiora, nec emplasticis, quia humoris difflationem prohibent, nec suppurantibus, quia putredinem & corruptionem fovent, & quotidiana docet experientia sine maturatione spontè sæpissimè exsiccari, si sint paucæ, salubres, boni moris, exiguæ. Quædam tamen maturantia postulant, sed ad id fotus sufficiunt remollientes; Postea quibusdam aperiendæ videntur acu aureâ, argenteâ vel æreâ, non forcipibus ne foveas relinquant, fœdosque cicatrices, retentus ichor subjectam cutim violet, illicque ulcera generet interdum profunda, quicquid dicat *Mercurialis*, qui aperiendas esse negat, quoniam jam damnum intulerunt variolæ cum albescunt, verumtamen videmus ordinariè putrem materiam ulcera pruritumque inducere, & subjectas partes violare, nisi promptè vacuetur. Ad earum igitur exsiccationem laudabant Arabes Salitionem, sed non est utendum solo sale, faciem si quidem inflammat ob acrimoniam & dolorem quem infert, diluendus ideo est aquis quæ illius vim obtundant, ut aquâ fontanâ, vel plantaginis, vel rosarum, aut aliâ quâpiam simili, cavendo semper ne ante perfectam maturationem laventur. ℞ *aquæ rosar. vel plantag.* ℔ ij. *Salis* ℥ j. *hordei, lupinor. ana* P. ß. *foliorum tamarisci, flor. rosar. ana* M. ß. *plantag.* M. j. *lentium excorticatar.* M. j. *trochiscorum de camphora* ʒ j. *santalor. omnium* ʒ ij. *croci* ℈ j. *fiat decoctio*, quâ cum gossipio vel spongiâ tangantur variolæ. Cujus quoque decocti fumum excipere non est inutile. Exsiccat quoque pulvis sequens. ℞ *farinæ fabar. cicer. lupinor. orobi, lithargyri, cerussæ, aloes, thuris, myrrhæ, ireos, sang. dracon. terræ lemniæ ana partes æquales fiat pulvis*, qui inspergatur, nam exsiccat, cicatricem inducit, carnemque generat ex Gordonio. Quod si Natura segnis sit in squamis ulcerum tollendis, emollientibus utendum erit, ut ung. rosato, pomatâ, dein ulcera sanabuntur exsiccantibus & detergentibus, ut unguento albo camphorato, de cerusâ, de lithargyro, de plumbo, quibus addunt quidam rasuram radicum cannarum, aut salicis, aut pyri. Sed Baricellus Oleo Amygdalarum dulcium inungit donec exsiccentur, sic vestigia non remanebunt, & si excoriatæ fuerint, mirabiliter eas sanat.

Cicatrices. XXII. Cicatrices autem fœdæ huic morbo succedere sæpissimè solent,

solent, quas fieri prohibebimus, si æger manibus prurientem locum non scalpat, nec excoriet, tùm inungendo decocto oryzæ, vel butyro in aquâ rosarum loto, vel sero lactis, vel pinguedine vervecinâ cum aquâ violarum lotâ. Factæ autem cicatrices adimi non possunt, quicquid recentiorum industria hactenùs excogitarit, sufficit si aliquantulum emendentur. Quidam emolliunt deinde detergent. Emolliunt decocto maluarum, altheæ, chamæmeli, meliloti, florum lini, quo faciem fovent, fumumque facie excipiunt, vel ungunt medullâ vitulinâ, axungiis recentibus, oleo amygdal. dulcium & similibus. Emollitam cicatricem detergent saccharo cando, aquâ mellis, decocto florum rosmarini & anagallidis, vel oleo de tartaro, de myrrhâ, de camphorâ, de frumento, de vitellis ovorum, tum aquis è fabis stillatitiis, è terebinthinâ, saponariâ, serpentariâ, limonibus, arantiis, limacibus, folliculis ulmi. *Gerdonius & Hollerius* sequens unguentum maximè commendant. ℞ *lithargyri, cerussæ, cadmiæ lotæ, pulveris cannar. ustar. croci ana* ℈ ß. *olei de lilio* ℥ ij. *ceræ* ʒ *vj.* fiat unguentum. Os sepiæ, saccharum candum, spuma maris cum optimo melle locis affectis admoveantur. ℞ *litharg. præparati, cineris radicis cannar. ossium canis, farinæ cicerum & oryzæ, seminis melonum, cucurbitæ, been, costi ana* ℥ ß. *cum mucilagine seminis fœnug. & pauco melle fiat mistura*, quâ sæpe faciem aliasque partes prius decocto furfuris lotas curasse se refert *Paschalius*, quod tamen non credo. ℞ *pulveris boracis* ʒ *j. ossis sepiæ* ʒ ß. *spermatis ceti* ℥ ij. *sacchari candi* ℥ ß. *mellis & pomatæ ana* ʒ *vj. f. unguentum.* ℞ *lithargyri argenti præpar* ʒ iiij. *caphuræ* ʒ ij. *aluminis, boracis ana* ʒ ij. *moschi grana* iiij. *coquantur omnia in aquæ rosar. & aceti ana* ℔ ß. *dum tertia pars fuerit absumpta, adde olei de tartaro* ℥ ß. *serventur usui. & maculæ sæpe abluantur.* Radices ireos coquantur in aquâ ad putrilaginem, & faciei applicentur. *Mercurialis* aliam habet curandi rationem. Cicatrices panno aspero fricat ad ruborem, dein apponit picem si locus pilis careat, quam postea vi avellit, idque ter quatervè repetendum jubet. Ubi id factum fuerit locum inungit sequenti unguento. ℞ *olei optimi* ℥ j. ß. *succi limon.* ℥ iij. *litharg. loti, cineris testud. ustarum ana* ℥ j ß. *pulveris radicis cannar.* ℥ ij. *pinguedinis gallinæ* ℥ ß. Misce vesperi illinatur facies, manè abluatur aquâ in quâ decocti sint lupini. Idem laudat sequentia. ℞ *lupinor. fabarum, hordei ana* P. j ß. *contundantur & coq. ad pultis consistentiam*, quo cremore abluatur facies mane & sero. ℞ *limonem unum vel alterum, foliorum serpentariæ* P. ij. *pedes vitulinos duos*, distillentur,

aqua servetur ad faciei & manuum ablutionem. Sanguis leporis vel tauri cum farinâ hordei calidè admotus prodesse creditur, sicut & amygdalæ amaræ semen raphani cum pomatâ probantur. Quæ tamen remedia ut diximus, variolarum vestigia si aliquantulum emendent, satis id erit, curare & tollere nunquam poterunt. Ideo plura addere inutile est. Et de his satis.

Cap. XVI.

De peste secundum Paracelsum.

I. ABsolvimus jam universam febrium doctrinam, in quâ plurima de novo addidimus, plurima explicavimus, plurima immutavimus. Ne quid autem operi huic desit, quædam addamus ex Paracelso.

Pestis ab igne. II. Probat igitur Paracelsus sequentia in peste. Pestis ab igne, ab aquâ, à terrâ ducit originem. Si sit ab igne invadit cum somno profundo, in cute exilia puncta & maculæ purpureæ ac nigricantes erumpunt, adsunt quoque spasmus, tetenus, febris, opilatio hepatis. Sic curatur. ℞ *unicornu* ʒ ß. *seminis melonum* ʒ j. *ossis de corde cervi* ʒ ß. *moschi, ambræ ana grana vj. spiritus vitrioli* ʒ ß. *mumiæ* ʒ iij. *theriacæ optimæ* ℥ iiij. M. *dosis sit à* ʒ j. *ad* ʒ j ß. *manè & sero.* Cujus medicamenti dosin immutavimus, nam ineptus ille Theophrastus unicornu grana tantùm tria, semina melonum numero decem, quæ quantitas inepta est, & ossis de corde cervi drachmas septem præscripserat, quæ benè invicem non cohærent. Si bubones adsint, contunde scarabæum, si laborans vir est, cornutum & pulverem cum aceto calido subige, coque per semihoram, ranam siccam macera per decem minuta, tandem alliga ulceri, & singulis sex horis renova.

Pestis ab aëre. III. Si sit ex aëre, adest tibiarum jactatio, frons albescit ut cerussa, os livescit, anhelitus difficilis fit, spasmus est in collo, adest etiam paralysis, hæmoptœ, epilepsia, gutta. ℞ *Hellebori albi* ʒ j. *sulphuris sublimati* ℥ ij. *olibani, myrrhæ ana* ℥ ß. *dosis* ʒ i ß. *mane. Post meridiem adde mumiæ* ʒ iij. *unicornu, sanguinis de ciconiâ ana* ʒ j. *Misce, dosis sit ad* ℥ ij. quod remedium non mihi videtur satis tutum ob helleborum album, & nimiam spiritus sulphuris & vitrioli quantitatem, nisi flores sulphuris intelligat.

IV. Si

IV. Si ſit ex aquâ, ſitiunt & nolunt potare, intumeſcunt labra, palpebræ, utrique pedes ad genua uſque, maculæ purpureæ in genis erumpunt. ℞ *aquæ hyoſciami* ℥ iij. *aquæ ſambuci, barbæ Iovis ana* ℥ ij. *vini optimi* ℥ viij. *ſpiritus vitrioli* ʒ iij. *moſchi, ambræ ana* ℈ j. *unicornu theriacæ optimæ* ℥ vij. *ſulphur. albi ſublimati* ℥ j ß. *origani* ʒ j. Doſis à ʒ j ß. ad ʒ iij. ter in die ante meridiem, bibat quoque vinum generoſum aceto roſaceo & decocto valerianæ & mumiæ tinctum. Ad tumores ℞ *aceti roſacei* ℔ j. *vini optimi* ℔ vij. *aluminis, camphoræ, lithargyri ana* ʒ vij. *ſtercoris clumbini* ℔ v. *aquæ ſambuci* ℥ iij. *Coque per tres horas in vaſe clauſo, poſt adde myrrhæ, olibani ana* ℔ v. *coque per tres horas, fac Cataplaſma*, applicâ & renova cum ſiccatur. Si verò ſint apoſtemata & bubones & carbunculi. ℞ *ranam & bufonem*, ſicca & redige in pulverem, *adde opopanacis* ℥ ij. *galbani* ℥ j. *olibani* ℥ ij. *Sagapeni* ℥ iiij. *bdellii* ℥ iij. *aceti roſacei q. s.* coque, gummi liqueſcent, poſt colaturam adde *camphoræ, ſulphuris ſublimati ana* ℥ ß. *coque in Sartagine & applica*, ſingulis ſex horis renovando. Eſt optimum. *Peſtis ab aquâ.*

V. Si ſit ex terrâ, adeſt apoſtema, ardor, prunella, ſiccitas colli & linguæ, cum maniâ. ℞ *liquoris roſar.* ℥ iij. *ſulphuris optimi* ℥ ij. *Spiritus vitrioli* ʒ i ß. Miſce, & doſis ſit à ʒ j. uſque ad ʒ iij. ter in die. Interea olei tartari diſtillati ʒ j præbe. In externis autem, ut in aquosâ peſte procede. *Peſtis à terrâ.*

VI. Mundificatio aëris in ædibus ſic fit. ℞ *Sulphuris vivi* ℔ j. *olib.* ℥ viij. *myrrhæ* ℥ iij. *opopanacis* ʒ j. *aſſæ fœtidæ* ℥ j. *f. pulvis*, cujus ſume partem unam, *corticis granorum lauri, ſuccini, ana partem ſemis*, ſume ad quantitatem magnæ avellanæ, prunis candentibus injice, feneſtras & fores claudendo. Et eſt optima aëris rectificatio.

VII. Idem ad civitatem Stertzingenſem ſic procedit. Peſtis quædam interna eſt, quæ nulla ſigna exteriora profert, alia eſt externa quæ eſt cum bubone & carbunculo. Horror, fervor, phrenitis internam peſtem denotant, tundatur vena mediana, vel in minimo digito, dein potio ſudorifica ſequens danda. ℞ *vini ſublimati optimi Menſuram unam, theriacæ optimæ* ℥ vj. *myrrhæ* ℥ ij. *radicis tuſſilag.* ℥ iij. *ſpermatis ceti, terræ ſigillatæ ana* ℥ ß. *radicis aſclepiadis* ℥ j. *dictamni, pimpinellæ, radicis valerianæ ana* ʒ ij. *camphoræ* ʒ j. Miſce in vaſe vitreo benè obturato, ſtent ad ſolem per octiduum, doſis cochleare unum, quo ſumpto probè tegatur, nec cibum nec potum ſex horarum ſpatio ſumat, adde ſpiritum tartari diſtillatum. Vis ejus eſt admiranda. Si ſomnus ad ſit pro- *Alia peſtem curandi ratio.*

profundior. ℞ *beton. majoranæ*, *Salviæ*, *rosar. sylvest. florum sambuci ana* M. j. coque in æquis partibus vini & aceti albi rosacei, exprime, herbasque capiti impone, refrigeratas verò in prædicto liquore madefacito, iterumque appone. Si adsit vomitus. ℞ *lupulor.* M. iij. *artemisiæ rubræ* M. j. *granor. Iuniperi* M. j. *contunde simul, coque cum vino*, calida impone præcordiis, quæ remedia sunt administranda priusquam potio præbeatur. Ad dolorem capitis & vigilias. ℞ *corticis radicis hyosciami* M. ß. *solani, sedi ana* M. ß. bulliant in mensurâ vini ad tertiæ partis consumptionem, intinge pannos lineos, & capiti applica, totiesque iterato dum somnus obrepat. Ad prunellam ℞ *cancros vivos* N. vj. *sedi* M. iij. contunde simul in mortario, succum exprime, & eolignuam deligenter ablue, parumque bibe.

VIII. In peste externâ ubi incipiunt apparere bubones ℞ *opopanacis* ℥ ß. *solve in aceto*, *coque ad formam emplastri*, applica & elicietur bubo, dein bufonem in aëre aut sole siccatum tumori, impone, intumescet bufo, abjiciatur & alius imponatur. Ut verò maturetur bubo ℞ *rad. altheæ*, *summitatem abietis*, *laricis* ana, coque fiat cataplasma, maturat & pus extrahit, demum ℞ *vitellos Ovor.* N. ij. *retrimenti coriorum cochlearia duo*, Misce fiat unguentum, admove tamdiu dum consolidetur.

IX. Ad præservationem sume semel in hebdomade prædictæ potionis sudorificæ ʒj. cum vino & suda: Myrrha in vino pota, radix tussilaginis masticata prosunt. Rusticis verò convenit allium cum aceto, nuces, raphanus sylvestris, ruta, myrrha, theriaca cum vino, corallus ruber tritus. Hæc breviter ex ipso authore descripsimus. Addamus quoque aliquid de ipsis febribus.

CAP. XVII.

De febribus secundum Paracelsum.

1. FEbres apud Paracelsum generantur in stomacho, in hepate, in renibus. Fiunt ex fæcibus tartari, id est ex tartaro qui non potuit coagulari. Paroxysmus fit ex vaporibus fæcum tartari, qui se immiscent aëri nostro nativo, à quibus dum se purgare nititur, facit talem tremorem, donec absumatur vapor, & si aër non possit sese tueri compressio-

nes

nes excitat in ſtomacho. Periodorum cauſa non ſunt humores, qui in nullo morbo putreſcunt præterquam in leprâ, ſed ex fæcibus quæ ſi ſint ex mercurio ſingulis diebus, ex ſale tertio die, ex ſulphure quarto quoque die moventur. Febris erratica fit quia fæces mercurii, ſalis, ſulphuris commiſcentur, inde varii fiunt paroxyſmi. Calor ex pugnâ ſalis mercurialis & naturæ. Fiunt tertiana, quotidiana, & quartana in ſtomacho, hepate & renibus. Putrefactio tartari ſi non expurgetur fit tremor, ſicut in ollâ opertâ quæ fervet. Febres ex renibus ſunt omnium vehementiſſimæ, quia putrefactio illic acutiſſima eſt, mitior in hepate, mitiſſima in ſtomacho.

II. Dignoſcuntur autem febres è ſtomacho, ſi non habeant magnam ſitim, licet calor invaleſcat, & non multùm bibunt, ſed ſi in hepate ſint ardor magnus eſt, & multùm bibunt. Secundò compreſſio adeſt in ſtomacho, ignavi ſunt, rerum omnium pertæſi, laxè incedunt, vix pedes tollere poſſunt, adeo ſunt ignavi, tunc ſignum eſt eſſe è ſtomacho, nam ab hepate ſunt agiles, vaporemque ægri ſentiunt fœtidum quaſi ovorum ſaporem referentem. Vomitus, nauſea, communia ſigna ſunt ſtomachi, hepatis, renum. Adeſt præterea capitis debilitas, & membrorum, diſcoloratio, ſomnus narcoticus, tremor fortis; Si ſit ex mercurialibus, vinum faſtidiunt, ex ſulphure vomunt quod edunt, ex proprio ſale non vomunt ſed tentantur orexi. Cura harum febrium eſt purgatio ſine digeſtione, Centaurea purgat febres, cataputia, helleborus, *praciatus*: Nec ullus perfectè curatur in febribus ſtomachi, niſi per vomitum, dein roborandum eſt pilulis de laudano, fiunt ex laudani ʒß. rutæ, abſynthii ana ʒj. theriacæ q.s. ad incorporandum, cujus doſis ſit ad grana quinque tantùm. Nectar quoque ex correcto & claro vino ad cyathum unum. Correctum eſt ex vino rubro quod congelatur, clarum ex albo eſt.

Febres à ſtomacho.

Quid ſit praciatus ignotum mihi eſt.

III. Signa febris in hepate, ſunt tremor durus, lateris punctiones, calor durus & vehementiſſimus, diſcoloratio faciei, tumor in pedibus, qui ſi per tres ſeptimanas duret, ſequitur hydrops vel icteritia. Punctiones autem non ſemper adſunt. Calor poſt paroxyſmum venit ex vaporibus totius corporis, ſi ante paroxyſmum urina magnam oppilationem indicet, & poſt paroxyſmum deoppilationem, nota eſt febris brevis. Si ſit quotidiana, pulſus eſt velox, urina alba, id eſt ſine hypoſtaſi. Si ſit tertiana pulſus velox cum urinâ digeſta, id eſt cum hypoſtaſi

Febres ab hepate.

stasi, si sit quartana, pulsus tardus cum quarto tactu, id est si sani pulsus quater feriat, dum semel ferit febricitantis, urina hic non observatur. Unica cura est deoppilatio, & quartana curatur sicut tertiana, nisi quod in quartanâ materia putrefacta est durior, sed febres quædam nolunt in principio deoppilari donec materia sit tota putrefacta. Febres quæ concutiunt & calorem simul frigusque inducunt, ut curentur maturæ sunt, sed quando post paroxysmum primùm calor venit, & membra gravia redduntur, signum est materiam non esse maturam. Cura sit primùm deoppilatio, nam quicquid remorem facit ex oppilatione est. ℞ *tartari liquefacti cum vino & aceto* ℔j. *opopanacis* ℥ ß. *reduc in liquorem*. Cujus dosis sit à ʒ j. usque ad drachmas tres, detur ante paroxysmum, & sæpiùs in duobus & tribus paroxysmis. Cum calores incipiunt fiat mundificatio, ℞ *laudani puri* ℥ ß. *liquoris corallor.* ℈ ij. *f. pilulæ*, dosis sit à ℈ ß. ad ℈ j. si calor diu durat, quartâ post horâ iteretur. Post calorem in fine tertii paroxysmi fiat instauratio ℞ *cinnamomi, myrrhæ, mumiæ, ana* ʒ j *cum vino fiat haustus*. Hæc prohibent ne fiat hydrops, aut icterus, aut hemicrania.

Febres è renibus. IV. Signa febris in renibus sunt punctiones in schiâ, dolor in lumbis, pudendis, capite & spinâ ex oppilatione, pedes nonnunquam tumescunt, splen laborat, urina est omnino rubea. Si urina corrupta infra rubra est supra alba, signum est arenæ, sed urina laterina seu subrubra nota est dolorum in renibus, sæpissimè autem quartana fit ex renibus. Curare oportet per arcana, nam purgationes in his febribus nihil juvant, sed tantùm in febribus stomachi. ℞ *alcohol de testudinibus* ʒ j. scilicet in quibus propriè perlæ nascuntur, nostræ tamen illis respondent, *crystalli calcinati* ʒ ß. *mumia* ℈ j. *dosis totum*. Vel ℞ *liquoris laudani* ℈ j. *croci* ℈ ß. *aloes hepaticæ* ℈ j ß. *fiant pilulæ*. Dosis sint grana septem. Vel ℞ *alcoli soluti ex cineribus absynthii* ʒ ß. *olei de colchotar* ℈ j. *Misce*, & ante paroxysmum dentur omnia.

V. Alio modo curat febres Paracelsus, auro, corallo, argento & perlis. ℞ *alcohol vini præparati à cineribus fabarum q. s. foliorum auri ad placitum*, digere per mensem. cujus ℞ *grana tria, cum* ℥ j. *aquæ endiviæ* antè, vel post paroxysmum. ℞ *corallor. albor.* ℥ ß. *alcohol vini* ℥ x. digere per mensem, dosis grana sex cum aquis dictis. ℞ *mellis liquefacti* ℥ xv. *folior. argenti* ℥ ij. *digere per septimanam*, cujus liquoris ℞ ℈ ß. cum gra-

granis xv. croci ante paroxyſmum. ℞ *alcali extracti à malis citreis* ℥ xv. *aquæ albuminis Ovorum* ℥ iij. *perlarum non perforatarum* ℥ ß. digere per menſem, doſis grana ſex cum aquâ Valerianæ ante paroxyſmum. Plura videantur apud Paracelſum libris de tartaro, nam hæc ego non admodum probo.

FINIS.

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.